ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

CYNOSURAE MATERIÆ MEDICAE CONTINUATIO SECUNDA

AD

CYNOSURÆ MATERIÆ MEDICÆ HERMANNIANÆ IMITATIONEM CONSCRIPTA,

PUBLICÆ LUCI EXPOSITA

A

JOHANNE BOECLERO,

Philoſ. & Medic. Doct. Botan. atque Chym. apud Argentinenſes Prof. Publ. Ord. Capit. Thom. Canon.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOHANNIS BECKII.

M. DCC. XXXI.

VIRO

PERILLUSTRI,

GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. FRANCISCO JOSEPHO

DE

KLINGLIN,

REGI à CONSILIIS,

SUPREMI, QUOD IN ALSATIA EST,

DICASTERII CONSILIARIO EQUITI HONORARIO,

CIVITATIS REGIÆ

ARGENTINENSIS

PRÆTORI REGIO,

TOTIUS MAGISTRATUS ARGENTO-
RATENSIS PRÆSIDI GRAVISSIMO,

VNIVERSITATIS PROTECTORI
GRATIOSISSIMO.

QUOD
SUB PERILLUSTRI EJUS AUSPICIO
DUOS PRIORES TOMOS
IN PUBLICUM PRODIRE
GRATIOSE CONCESSERIT
QUODQUE VERUS MÆCENAS SUMMA BENEVOLENTIA
EDITOREM COMPLECTI HACTENUS ATQUE FOVERE
HAUD DEDIGNATUS FUERIT,
HOCCE QUOQUE SUPPLEMENTUM
SACRUM ESSE PIETAS
JUSSIT.
CÆTERUM
FAVOREM MAXIMUM IN POSTERUM
QUOQUE CONTINUANDUM
SUMMA VENERATIONE HUMILLIMISQUE FORMULIS
EFFLAGITAT,

PERILLUSTRIS TANTI PATRONI

Cultor perpetuus

JOHANNES BOEGLERUS.

PRÆFATIO

VT promiſſoſtem, cui ante biennium, edendo CYNOSURAM MATERIÆ MEDICÆ CONTINUATAM, ad Cynoſuræ Materiæ Medicæ Hermannianæ imitationem collectam, me ad-

adſtrinxi. En! BENEVOLE LECTOR SUPPLEMENTUM MATERIÆ MEDICÆ CONTINUATAE: in cujus compilatione eadem & nullatenus mutata inceſſi methodo. Quod ſi forſan unius vel alterius Authoris nomina fuerint omiſſa, illud ne in malam quis interpretetur partem, efflagito. Proteſtatus jam aliquoties ſum me minime novi Authoris famam anhelare, adeoque nulla malitia inductum hujus vel illius ſcriptoris mentionem non injeciſſe. Sufficit, quod illud unice mihi propoſuerim, qualicumque hac collectione *Tyronibus* inſervire & *Viris in* ARTE *Magiſtris* anſam ſuppeditare,

nauſeo-

nauſeoſam infinitorum librorum evolutionem evitandi. Optaſſem equidem, ut hoc ipſo tractatu tertio finem toti operi imponere licuiſſet, verum cum tanta rerum ſe obtruſerit farrago, & metus adfuerit, ne moles libri nimium excreſceret, ideo coactus fui, partim quædam in pertractatione Regni Vegetabilis & Animalis præterire, partim tertiam partem Regnum Minerale concernentem ad tempus ſeponere. Spondeo tamen eandem, quam primum per tempus licebit, in lucem prodituram, cui indicem rerum uberrimum jungere conſtitutum eſt, quo & hoc ipſo Benevoli Lectoris labores quadantenus ſubleventur. Inter omina

fel ci-

felicitatis meæ temporalis quam maxime ſemper reponam, ſi non omni utilitate hoc qualecumque meum ſtudium fuiſſe deſtitutum comperero. *Viros Apollineos* & *in ſacra Hygea Proceres* ſubmisſis obteſtor precibus, tenues conatus ſerena conſpicere fronte ne graventur, & ut defuerint vires, non plane aſpernentur voluntatem. ARCHIATRO autem SUMMO pro omnibus in me immerentem collatis beneficiis ineffabilibus æternas, balbutiente licet lingua, cantabo laudes. Miſerere ſemper Creaturæ Tuæ SACROSANCTA TRINITAS.

PARS PRIMA,

REGNUM VEGETABILE EXHIBENS.

CAPUT PRIMUM.

DE RADICIBUS.

RADICES SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANTES.

ASARUM CANADENSE.

EST Aſari Canadenſis Cornuti radix carnoſa, vivaxque terram oblique perreptans, a qua longiores fibræ profluunt, ſuaviſſimi odoris, acoro ſimilis intenſiorisque.

Aſarum Americanum. Majus H. R. Par. Aſaron Canadenſe Corn. 24.

Fibræ ſupra dictæ ſingularem vino gratiam conciliant, ſi pinſitæ linteique nodulo incluſæ in cadum muſti colentur, & ponduſculo ut ſidant, trimeſtrique ſpatio macerentur ante uſum.

RADICES SALE VOLATILI DULCEDINE JUNCTA CONSTANTES.

Angelica lucida Canadenſis.
Geranium triſte.
Mutellina.
Liguſticum quorundam foliis Angelicæ.
Paſtinaca Echinophora Apula.
Paſtinaca marina.

ANGELICA LUCIDA CANADENSIS.

Eſt Angelicæ lucidæ Canadenſis Corn. radix craſſa, in fibras pinguiores exiens, ſapore Angelicam redolens.

A TOURNEFORTIO refertur ad Imperatoriam. Eſt nempe.

Imperatoria lucida Canadenſis. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 4. g. 1. Angelica lucida Canadenſis. Corn. 197.

Sponte provenit in nemoribus apricis Canadæ. Colitur apud nos in hortis, floret Junio.

Acriter linguam ferit hæc radix, ſudores movet, ſalivam ciet, uno verbo ad eadem, ad quæ vulgaris Angelica efficax exiſtit.

GERA-

GERANIUM TRISTE.

Eſt Geranii triſtis Cornuti, radix, conſtans ex multis cohærentibus fibris, quæ in nodulos extuberant, ſaporis acidi.

GERANIUM TRISTE, partim ab atro virente foliorum colore, partim quod noctu tantummodo odorem diffundat, vocatur. GERANIUM INDICUM a loco natali dicitur.

Geranium triſte ſive Indicum noctu olens. Park. Theatr. 709. Geranium triſte. Cornut. 110.

Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto, imo fere tota æſtate.

Apud Barbaros radices hujus geranii, ut apud nos tubera, bulbocaſtanum & ejusmodi, gratiores inter epulas apponuntur.

Flos noctu eſt ſuavitate inenarrabili, interdiu nullo, influxum enim illucentis Solis adeo aſpernari videtur, ut integro die odorem neget, cum Lunæ acceſſu gratiſſimo odore moſchato quaſi thure libet, qui odor intempeſta quoque nocte ad auroram usque perſeverat, ſtatimque ſolis præſentia evaneſcit.

MUTELLINA.

Eſt Mutellinæ I. B. radix capillata ſatis longa & craſſa, exterius nigricans, odoris & ſaporis Mei vulgaris.

MUTELLINA dicitur vulgo in Alpibus, nomine ſcilicet a Mutri/ vel Muteren deducto, MEUM ALPINUM quorundam, CARUM ALPINUM.

Eſt ſpecies Phellandrii juxta TOURNEFORTIUM. Phellandrium autem eſt plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante, cordiformibus, in orbem poſitis, &

& calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, hinc gibbis leviter ſtriatis inde vero planis.

Phellandrium Alpinum, umbella purpuraſcente. Tour. I. H. R. cl. 7. ſect. 1. g. 5. Meum Alpinum umbella purpuraſcente, C. B. Pin. 148. Mutellina Camer. Epit. S. & I. B. 3. 2. 66.

Reperitur in Alpibus.

Gaudet radix hæc virtutibus iisdem ac Meum, ſed infirmioribus, ſudorem movet, venenis reſiſtit, flatus diſſipat, vel in ſubſtantia vel in decocto uſurpata. Ejus pabulo in montibus vaccæ plurimum & optimum lac reddunt.

LIGUSTICUM QUORUNDAM FOLIIS ANGELICÆ.

Eſt Liguſtici quorundam foliis Angelicæ I. B. radix candida, pollicis craſſitudine, in duas aut tres prælongas deſinens, odore jucundo, ſapore acri:

LIGUSTICUM SYLVESTRE, IMPERATORIA LIGURIÆ, LIGUSTICUM ITALICUM, Welſcher Liebſtöckel.

Juxta TOURNEFORTIUM pertinet ad Angelicam.

Angelica Alpina ad nodos florida. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 2. g. 4. An Liguſticum quorumdam foliis Angelicæ? I. B. 3. 2. 147.

Plurimum in Liguria naſcitur prope rivulos.

Radice hac utuntur ad ſtomachi dolores & imbecillitatem, ac omnes ferme internorum noxas.

PASTINACA ECHINOPHORA APULA.

Eſt Paſtinacæ ſylveſtris anguſtifoliæ fructu echinato C. B. Pin. radix cubitalis, digiti craſſitie, longa, æqualis, Eryngio

gio ſimilis, foris vero flavicans, intus albeſcens; nervo intus tenui, cortice carnoſo, ſapore aromatico fere, non ingrato, cum acrimonia quadam & amarore dulci mixto; ſuccoſa in minus vetuſtis.

Pertinet ad Echinophoram ex mente TOURNEFORTII. Echinophora Paſtinacæ folio. Tourn. I. R. H. App. Paſtinaca ſylveſtris anguſtifolia fructu echinato. C. B. Pin. 151. Paſtinaca echinophora Apula. Columη. part. 1. 101.

Patria ex titulo patet, quod ſit Apulia. Floret Auguſto.

Juxta COLUMNAM eſui aptior eſt, quam ſylveſtris Paſtinaca DIOSCORIDIS, quæ non ita carnoſam nec craſſam aut molliorem habet radicem. In novellis radicibus adeo gratus eſt ſapor, ut quilibet quam lubentiſſime iis veſcatur.

PASTINACA MARINA.

Eſt Crithmi maritimi ſpinoſi C. B. Pin. radix craſſa, tenera, alba, guſtui gratiſſima, dulcis & rugoſa, ut Paſtinacæ ſativæ latifoliæ.

PASTINACA MARINA, HIPPOPHAES DIOSCORIDIS, CHRITHMUM SECUNDUM MATTHIOLI, ſeu SPINOSUM, SECACUL ARABUM, TRIBULUS MARINUS.

Peculiare genus conſtituit TOURNEFORTIUS ſub nomine Echinophoræ. Eſt autem

Echinophora plantæ genus flore roſaceo in capitulum umbellatum naſcente, & calyci communi inſidente, qui deinde abit in fructum unicapſularem ſemine fœtum oblongo.

Echinophora maritima ſpinoſa. Tourn. I. R. H. append. Crithmum maritimum ſpinoſum. C. B. Pin. 288. Paſtinaca marina. Lob. Icon. 710.

Creſcit ad mare, & iisdem provenit maris litoribus, in quibus Crithmum marinum exit.

Vim habet incidentem, & iisdem ac Chrithmum marinum virtutibus pollet. In Narbonenſi provincia radices erutas plebecula eſitat.

RADICES SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO MIXTIS PARTICULIS TERREIS ET SALINIS FIXIS CONSTANTES.

Bubonium luteum.
Cyperoides.
Ephemerum Matthioli.
Gladiolus.
Ononis lutea non ſpinoſa.
Petaſites albus.
Spatula fœtida.

BUBONIUM LUTEUM.

Eſt Aſteris montani lutei Salicis glabro folio C. B. P. radix longa, fibrata, odorata, ſubadſtringens & ſiccans, amarore aromatico modice ad Cinamomi ſaporem accedit, ſubacris.

TINCTORIUS FLOS LUTEUS TRAGI, BELLIS LUTEA, OCULUS CHRISTI.

Aſter montanus luteus Salicis glabro folio. C. B. Pin. 266. Conyza media Monspelienſis quibusdam Aſteris Attici genus, folio glabro. I. B. 2. 1049. Bubonium luteum. Tabern. Icon. 337.

In dumetis & collibus ſaxoſis floret æſtate.

Herniis & Inguinum tumoribus utilis eſt.

CY-

CYPEROIDES.

Eſt graminis Cyperoidis Lob. radix craſſiuſcula, Cyperi longi radici ſimilis, a quibus pendent fibræ craſſiuſculæ.

CYPEROIDES quaſi planta ad Cyperum accedens. GRAMEN SPICATUM LATIFOLIUM CAULE TRIANGULO, GRAMEN TRIANGULUM.

Cyperoides eſt plantæ genus, flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus ex alis ſquamarum prodeuntibus conſtante, in ſpicam diſpoſito, ſed ſterili. Embryones enim inferiores ſpicas occupant in veſiculis reconditi, abeuntque in ſemina plerumque triangularia, in capſula, quæ embryonis veſicula fuit, matureſcentia.

Cyperoides latifolium ſpica rufa ſive caule triangulo. Tourn. I R. H. cl. 15. ſ. 5. g. 1. Gramen cyperoides latifolium ſpica rufa ſive caule triangulo. C. B. Pin. 6. Gramen Cyperoides cum paniculis nigris. I. B. 2 494. Gramen. Cyperoides. Lob. Icon. 12.

Floret in humidioribus Majo.

Virtute ad Cyperum accedit hæc radix; flores ejus ſunt detergentes & aperientes.

EPHEMERUM MATTHIOLI.

Eſt Ephemeri Matthioli I. B. radix, multis fibris capillatâ, odorata & ſubadſtringens.

EPHEMERON NON LETHALE, EPHEMERUM SPURIUM. Wießenzeitloßen/ Bechtblumen.

Juxta TOURNEFORTIUM pertinet ad Lyſimachiam.

Lyſimachia ſpicata flore albo, Salicis folio. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 6. g. 1. Ephemeron Matthioli. I. B. 2. 905. Ephemerum Matthioli vel potius Ephemerum ſpurium. Lob. Icon. 354.

In ſylvis locis umbroſis provenire dicitur.

Radix

Radix hæc in vino aut aqua decocta, ſi hoc decocto os colluatur, dolores dentium ſedare perhibetur.

GLADIOLUS.

Eſt Gladioli Dodonæi, radix, duobus conſtans bulbis, guſtu acri, altero alteri incumbente, alteroque magis quam altero vegeto.

ξίφιον, GLADIOLUS, a foliorum figura, quæ gladium quodammodo refert. Schwertel/ GLAIEUL, ou GLAIS.

Characterem vide ſub Victoriali rotunda.

Gladiolus floribus uno verſu diſpoſitis major, & procerior, flore purpuro rubente. C. B. Pin. 41. Gladiolus ſive Xiphion I. B. 2. 701. Gladiolus. Dod. Pempt. 209.

Copioſe naſcitur in Italia & Gallia Narbonenſi ſegetes inter. In hortis floret Junio.

Xiphii radix dulcis decocta & trita farinæ admixta panem dulcem atque innoxium reddit. Superna præſertim radix attrahendi, diſcutiendi, & ſiccandi vim obtinet. Cum vino & thure impoſita ſpicula & aculeos extrahit. Cum farina loliacea & aqua mulſa pannos diſcutit: unde ejusmodi emplaſtris additur. Ducit & menſes appoſita. Tradunt etiam ſuperiorem radicem cum vino potam Venerem ſtimulare, inferiorem vero ſteriles facere. Quin & ſupernam radicem cum aqua bibendam commode exhiberi dicunt pueris, quibus ex inteſtinorum hernia inteſtina in ſcrotum delabuntur.

ONONIS LUTEA NON SPINOSA.

Eſt Anonidis non viſcoſæ ſpinis carentis luteæ majoris C. B. Pin. radix nigra, craſſa, virus hirci, aut, ut aliqui ex-

exponunt, bituminoſum & gravem fœtorem, ſicuti tota planta, redolens.

ONONIS LUTEA MONTANA. NATRIX quibusdam, ANONIS FLOSCULO LUTEO, ANONIS MINOR NON SPINOSA.

Anonis viſcoſa, ſpinis carens lutea major. C. B. Pin. 389. Anonis lutea non ſpinoſa Dalechampio Natrix. I. B. 2. 393. Anonis ſine ſpina lutea Tabern. 429.

Sponte naſcitur in Sicilia & circa Monſpelium in Gallia, in aridis glareoſis & ſabuloſis. Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

Adverſus omnia venena prodeſſe & admotam & ſumptam experientia comprobatum dicitur, ut docet HISTORIA LUGDUNENSIS.

PETASITES ALBUS.

Eſt Petaſitidis minoris C. B. Pin. radix valida, craſſitudine pollicari aut majore, longa, proſerpens, geniculata nonnihil, ad calami officinarum radices accedens, cortice rubro tecta, cui alius ſubeſt lignoſus, & in medio cartilaginea matrix alba, guſtu calido, aromatico, acri ſubamaroque, Myrrham nonnihil referente.

PETASITES MINOR FLORE ALBO, aut CANDIDO, ἐννεαδύναμις ἄγριος, wilde Neunkrafft/ wilde Peſtilentzwurtz.

Petaſites minor. C. B. Pin. 197. Petaſites albus anguloſo folio. I. B. 3. 567. Petaſites flore albo. Camer. Epiſt. 593.

Montibus altioribus humidis & umbroſis familiaris. Flores Aprili & initio Maji conſpicui ſunt.

Earundem eſt cum Petaſitide majori vulgari virium.

SPATULA FOETIDA.

Eſt Gladioli fœtidi C. B. Pin. radix, incurva, in novellis plantis rotunda, & veluti bulbi aut cepæ alicujus caput, ex qua fibræ dependent craſſiuſculæ: veteribus & multorum annorum plantis, multæ, longæ, geniculatæ, ſibi invicem implicatæ, magnum veluti ceſpitem conſtituentes, denique, ut forma ita & acrimonia intenſa ad iridem accedentes.

ξύρις, XYRIS ob folii ſimilitudinem, quaſi raſorium cultrum aut novaculam diceres. Eſt enim illi folium ancipiti novaculæ ſimilius acutiore acie & tenuiore rigidioreque, quam gladiolus aut Iris mucrone. SPATULA FOETIDA tum ob eandem folii figuram (ſpata enim gladium ſignificat) tum quod gravem exhalet odorem nuncupata eſt. Welſch Schwertel- und Wantleuß-Kraut / a cimicibus necandis. SPATULE OU GLAYEUL PUANT.

In Hetruria & aliis Italiæ locis ſponte exit. In Galloprovincia quoque & Anglia prope uda prata & littoreos maris aggeres reperitur. Colitur in hortis, floret æſtate.

Iris fœtidiſſima ſeu Xyris. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 2. g. 3. Gladiolus fœtidus. C. B. Pin. 30. Spatula fœtida. Dod. Pempt. 247. Spatula fœtida plerisque *Xyris*. I. B. 2. 731.

Ea vi & acrimonia prædita eſt radix, tametſi Cotulam aut Cimices oleat, ut contra capitis vulnera (DIOSCORIDE quidem teſte) faciat, & fracturas, educat aculeos & omne telum extrahat citra dolorem: admixta floris æris tertia parte, radicis centaurii quinta, & melle, ſanet tumores, & inflammationes, cum aceto impoſita. Radix cum paſſo contuſa bibitur ad convulſa, rupta, coxendium dolores, urinæ ſtillicidia & alvi profluvia: ſemen ad ciendam urinam efficaciſſimum eſt, trium obolorum pondere in vino potum: Idem & lienem abſumit cum aceto potum.

Juxta

Juxta LOBELIUM ad alvi profluvia bibitur, non ſecus ac Rhabarbarum & Aſarum, ventris fluores, materiam per urinas deducendo & avertendo ſupprimit; cæterum opilionibus & ruſticorum plebi in præfectura Sommerſeti Angliæ hujus radicis decoctum aut etiam infuſum purgationes Iridis modo molitur. In omni alvi profluvio nolimus, ut monet J. BAUHINUS, experiri hanc fervidam radicem; forte poſſet tolerari uſus in profluvio alvi pituitoſo. Juxta D. NEEDHAM hæc radix maximarum eſt virium in ſcrophulis intus ſumta. Pulvis radicum exiccatarum in hyſterica paſſione, orthopnœa & hypochondriacis affectibus utilis eſt.

RADICES CONSTANTES SALE AROMATICO BLANDO SEU MITIORI, CONSTANTE VIRTUTE DIURETICA, APERIENTE ET BLANDE SUDORIFERA.

Acarna.
Polygonum cocciferum Polonicum.
Tordylium.
Thyſſelinum.

ACARNA.

Eſt Acarnæ flore luteo patulo C. B. Pin. tenuis atque ruffecens radix.

CARLINA SYLVESTRIS MINOR, CARLINA PARVA
Klein wild Carlina oder Eberswurtz.
Carlinæ ſpecies eſt, nempe
Carlina ſylveſtris minor Hiſpanica. Clus. Hiſt. CLVII. Carduus

us Carlina minor ſylveſtris Cluſii, flore luteo. I. B. 384. Acarna flore luteo patulo. C. B. P. 379.

In regionibus calidis provenit ſponte in campis.

Virtute hæc radix gaudet aperitiva & ſudorifera.

POLYGONUM COCCIFERUM POLONICUM.

Sunt grana radicibus Polygoni cocciferi C. B. Pin. adhærentia, rubra, liquore ſeu ſucco purpureo & ſanguineo plena, cum concoloribus vermiculis, qui ſimul cum ſucco ſericis præcipue tingendis purpuram faciunt incomparabilem.

De hoc Cocco egerunt præprimis SEGERUS in Ephemeridibus anno 1. & A BERNITZ in anno 3. ex quibus ſequentia damus.

Coccus iſte ſeu ejus ſuccus a plebe in Germania appellatur Johannes-Blut/ SANGUIS JOHANNIS, quia grana hæc ſolum circa feſtum St. Johannis inveniuntur, quo tempore etiam a ſuperſtitioſis certis quibusdam illicitis ceremoniis intra 11. & 12. horam meridianam colligitur. HERBA quoque CANCRI dicitur, quia eo ſolum tempore ejus granum apparet, ubi ſol ſignum Cancri in zodiaco occupat, quo tempore & illud prædictum feſtum S. Johannis occurrit, nam brevi poſt granula iſta ſeu baccæ non amplius inveniuntur, ſed in vermiculos abeunt (ſimiles illis qui Cochinillæ vocantur,) relictis albis quaſi veſiculis inanibus, odoris ſuaviſſimi, inſtar Moſchi. Et hoc notandum eſt, non ſingulis annis apparere, præſertim cum tempus eſt frigidum, humidum vel pluvioſum. Vocatur etiam CHERMESINUM POLONICUM. Nomine Polonico dicitur KOJMACZEK.

Polygonum Polonicum cocciferum. I. B. 3. 378. Polygonum cocciferum. C. B. Pin. 281.

Reperitur in Polonia in locis arenoſis circa Warſaviam. In Ukrania & locis maxime ibi deſertis luxurioſe & in ſumma copia creſcit; ideo olim Magnates & Nobiles, quorum bona ter-

terreſtria in illis locis ſunt, campos magnos tali cocco impletos; pro certa ſumma Judæis locabant, vel per ſubditos ſuos & muliercu- las ruſticanas colligi curabant, haud parum lucri inde haurientes.

Modus hæc grana colligendi hic eſt. Ruſticuli & illi, qui ad hoc opus conſtituti in Ucrania, animadvertunt quam accurate & diligenter tempus circa ſolſtitium æſtivale & vel brevi poſt, quando granula iſta ſeu baccæ ad maturitatem pervenerunt, & ſucco jam purpureo quaſi turgent: tunc temporis, cum coccum iſtum colligunt, opus habent parvo inſtrumento ferreo cum manubrio, quod Bernitz Trullam vocat; una enim manu arripi- unt plantulam, altera vero eodem inſtrumento extrahunt radi- cem ejus in altum, bacculas decerpunt & plantam iſtam iterum in foveam vel foramen inſerunt, quæ cum tali celeritate faciunt, ut ſatis mirari non poſſimus. Coccum poſtea ab omni terreſtrei- tate prius per cribrum huic labori idoneum ſeparant & purgant & quando vident, in vermiculos abire velle illos aceto vel etiam aqua frigidiſſima ex puteo inſpergunt & in loco tepido ſupra for- nacem (ſed caute) ſeu in ſole lente & cum ſumma diligentia exſiccant, donec moriantur, alias deſtruuntur & a nimia exſicca- tione tincturam illam pulcherrimam incluſam amittunt: Ali- quando etiam animalcula ita a veſiculis relictis ſegregant & extre- mitatibus digitorum leniter comprehendendo in pilam ſeu maſ- ſam rotundam efformant, ſed hoc fit ſumma dexteritate; alias ſuc- cus innatus ex nimia compreſſione reſolvitur, & optimus ſan- guineus ſeu purpureus liquor & color amittitur.

Eſt itaque hic coccus nihil aliud quam excreſcentia quæ- dam præternaturalis, a punctura cujusdam inſecti excitata, ut ſit matrix ſeu uterus ovi ibidem depoſiti, fovendi, exclu- dendi.

Turcæ & Armeni, qui Coccum iſtum emere ſolent, lanam, ſetam, corium (den Saphian) item jubas & caudas equorum eo tingunt. Fœminæ etiam apud Turcas ejus ſuccum cum aci- ditate Citri ſeu granatorum vel ſolo vino prius permixtum & extractum, ad tingendas extremitates digitorum, tam in ma-

manibus quam pedibus (quod apud illas tanquam ornamentum ſingulare) in quotidiano uſu habent. Noſtri mercatores coccum in Polonia collectum Hollandis aliquando magno pretio vendere ſolebant, & ego recordor inquit A BERNITZ, me Dantiſci aliquando illum in maxima copia apud DN. PETRUM HEINRICH vidiſſe: is pro certo mihi affirmabat in Hollandia Tinctores ad tingendum Scarlatum & Carbaſinum, iſtius Cocci Polonici ſemper dimidiam partem ad illum ordinarium & exoticum Coccum admiſcere ſolere, unde color altior fiat, cum ordinarius exoticus nimis ſit pinguis, hic vero Polonicus tenuior. Apothecarius quidam Warſaviæ ex hoc ſucco expreſſo, loco ſucci ordinarii granorum Kermes, cum reliquis ſpeciebus ac ſaccharo parabat illam decantatam confectionem Alkermes, quæ non minoris virtutis fuit quam illa communiter parata. Nam in virtute, quoad Medicinam Coccus ille Ilicis in Narbonenſi Gallia collectus a cocco noſtro radicum in Polygono nihil differt, & ambo tanquam Medicina cardiaca ſpiritus vitales reficiunt, gravidis & parturientibus ſubveniunt. CNOEFFELIUS iſtis granis ſeu baccis in Polygono collectis ſeu Cocco Polonico ſibi extrahebat mediante ſpiritu roſarum Tincturam pulcherrimam cordialem, pro ulteriori medicamento & ſpiritu ſuo refectorio, quem non ſolum ita per ſe propinavit, ſed & omnibus aliis medicamentis liquidis ad communicandam tincturam ſeu colorem admiſcuit. Pictoribus noſtris maxime Ruthenis hic Coccus etiam eſt notus: Hi aciditate citri vel lixivio certo & alumine colorem ex illis extrahunt, aliquid gummi Arabici admiſcentes & in picturis maxime (quas immaturas vocant) adhibent. Lacca pictoria cum additione Cretæ prius lotæ & præparatæ ex Cocco noſtro Polonico more conſueto paratur non minoris nobilitatis Laccæ Flo-

ren-

rentinæ, ſeu Romanæ ſpecies, quæ alias ex panno ſcarlato ſeu Carmeſino vel ex ipſa Cochinella exotica paratur. In Perſia a Judæis & Armenis transportatus fit exinde color iſte pretioſus (qui certe rex colorum dici poteſt) ſub nomine Carmion ſeu Carmein. Præparatio non multum recedit a præparatione Magiſterii granorum Kermes de quo ZWELFERUS. Hoc Magiſterium omnibus medicamentis tam liquidis quam ſiccis admiſceri poteſt & in colorem pulcherrimum ſcilicet roſeum ſeu puniceum infici &; ſufficit granum unum pro uncia una pulveris ſeu magiſterii albi ad tingendum Balſamum roſarum: roſei coloris hoc magiſterium Cocci Polonici dat tincturam valde idoneam & naturalem. Cum ſucco recenter extracto & aciditate Citri paratur charta illa, qua mulieres utuntur, ut genas reddant rubicundas & faciem venuſtiorem. Pannus chermeſinus ſeu ſcarlatus, qui cum ſucco granorum ſeu cocco noſtro tinctus externe applicatus æque bonus eſt ac Scarlatus pannus, qui Cocco baphico tinctus, cujus uſus in Gallia, Italia, Germanica, & aliis locis apud mulierculas eſt ad proliciendos morbillos, patientes ſcilicet in eum involvendo. Valet quoque ad cor roborandum, dum Epithemata eo ſuſcepta regioni cordis & pulſibus applicari ſolent. Ad retinendum & roborandum fœtum in utero mulierculæ tanquam remedium a proprietate certum ſibi ex tali panno faciunt cingulum, quod toto geſtationis tempore juxta carnem feratur. Aliæ cum ſimili cingulo ſeu faſcia ex eodem panno parata ſeſe cingunt & nudo corpori applicant ad retinendum nimium fluxum menſtruorum & hæmorrhoidum.

TORDYLIUM.

Eſt Seſeli Cretici minoris C. B. Pin. radix tenuis, ligneſcens, alba & ſimplex.

Laudatur hæc radix contra aſthma & ad excitandam expectorationem. Confer infra ea, quæ de ſemine dicuntur.

THYSSELINUM.

Sunt Apii ſylveſtris ſucco lacteo turgentis C. B. Pin. radices, digiti minimi fere craſſitudine, longitudine alias palmari alias dodrantali, candidæ, ſapore ingrato, mixta cum amarore acrimonia.

Thysselinum a θύω ſuffio & σέλινον Apium, quaſi diceres Apium Ad Suffiendum. Maſticata enim planta os afficit ſed ingrato modo. σέλινον ἄγριον, ὑδροσέλινον ἄγριον, wilder Eppich. Persil ou Ache ſauvage.

Thyſſelinum eſt plantæ genus ab Oreoſelino diverſum ſucco lacteo.

Thyſſelinum Plinii. Lob. Icon. 711. Apium ſylveſtre lacteo ſucco turgens. C. B. Pin. Apium ſylveſtre Dodonæi, Thyſſelinum quorundam, Planta lacteo ſucco turgens, locis humidis proveniens. I. B. 3. 2. 188.

Juxta lacus, uliginoſis ac humidis locis, in ſcrobibus aquas reſides habentibus, quandoque etiam Alnorum juxta Veteres truncos reperitur.

Radix hæc calida commanducata multam ex ore pituitam elicit & dentium dolores ſopit. Extenuat præterea, incidit & aperit, urinas & menſes movet, & quæ Apii genera reliqua, eadem & nec ſegnius, ſed etiam efficacius præſtat.

RADICES

RADICES SALE VOLATILI AROMATICO SPIRITUOSO ET PENETRANTE ET PAUCO ACIDO VOLATILI CONSTANTES.

Allium Sphærocephalum.
Moly anguſtifolium.
Moly latifolium.
Moly luteum.
Scorodopraſum.

ALLIUM SPHÆROCEPHALUM.

Eſt Allii montani capite rotundo C. B. P. bulbus e multis contextus nucleis albis, tunica alba involutis, fibratis, odore Allii gravi præditis.

Σκοροδόπρασον, SYLVESTRIS ALLII GENUS, PORRUM AGRESTE, ALLIUM ſeu MOLY MONTANUM PURPUREUM, OPHIOSCORODON quaſi Serpentis Allium. ALLIUM CANINUM, wilder Knoblauch/ wilder Lauch / Hunds-Knoblauch.

Allium montanum, capite rotundo. C. B. Pin. 75. Allium ſphærocephalum purpureum ſylveſtre. I. B. 2. 562. Allium ſeu Moly montanum v. Clus. Hiſt. 195.

In vineis & ſegetibus provenit, floret æſtate.

Μῶλυ

Hoc Allium corpus, ut PORTA ratiocinatur, in meliorem colorem mutat ſanguinem emaculando.

MOLY ANGUSTIFOLIUM.

Eſt Moly anguſtifolii umbellati C. B. Pin. radix bulboſa, Allii

Allii aut Avellanæ magnitudine, membranis involuta, intus candida, ſucculenta, calidiuſcula & ſubingrato odore.

Μῶλυ παρὰ μολύειν τὰς νόσους, quia demulcet, ac amolitur morbos. Nominis hujus primus auctor eſt HOMERUS, deſcribens plantam quandam, radice nigra, flore lacteo, difficulter e terra exemptilem, præſtantem contra incantationem & veneficia. Qui ſecuti ſunt HOMERUM Botanici, eandem hanc vocem retinuerunt, & applicuerunt aliis plantis, quas putarunt ab Homerico Moly non multum differre.

Eſt ſpecies Allii.

Allium anguſtifolium umbellatum flore albo. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 4. g. 12. Moly anguſtifolium umbellatum. C. B. Pin. 75. Moly Dioſcoridis. Clus. Hiſt. 192. Moly Dioſcoridis parvum quibusdam.

Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

Virtute gaudet hæc radix aperitiva & reſiſtit venenis. Id quod etiam de ſemine dicitur.

MOLY LATIFOLIUM.

Eſt Moly latifolii liliflori flore ſubrubente C. B. Pin. radix bulboſa, foris nigricans intus alba.

Pertinet ad Allium.

Allium latifolium liliflorum flore ſubrubente. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 4. g 12. Moly latifolium flore ſubrubente. C. B. Pin. 75. Moly Theophraſti magnum. I B 2. 558.

Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

Symbolizat viribus cum Moly anguſtifolio.

MOLY LUTEUM.

Eſt Moly latifolii lutei, odore allii, primi C. B. Pin. radix bulboſa, odorem Allii fragrans.

Ad

Odor

Ad Allium pertinet.

Eſt nempe Allium latifolium luteum. Tourn. cl. 9. ſ. 4. g. 12. Moly latifolium luteum odore allii primum. C. B. Pin. 75. Moly luteum Botanicorum latifolium allii odore. I. B. 2. 562. Moly montanum latifolium flavo flore. Clus. App. alt.

Sponte naſcitur in Pyrenæis. Colitur in hortis, floret Junio.

Odor ſatis indicat, quod viribus correſpondeat cum Allio.

SCORODOPRASUM.

Eſt Scorodopraſi dicti I. B. bulbus inſeſſilis, parvæ Cepæ æqualis, multis albis tunicis conſtans, fibratus, ſpicis multis Allii ritu cohærentibus, odore & ſapore remiſſiore, medioque inter Allium & Porrum.

Σκοροδόπρασον, ALLIPORRUM, ALLIUM PORRUM, Aberlauch/ quaſi iterum porrum dicas, Acker-Knoblauch, AIL PORREAU, quoniam de Allio & Porro participat.

Species eſt Allii, nempe

Allium ſphæriceo capite folio latiore ſive Scorodopraſum alterum. C. B. Pin. 74. Scorodopraſum dictum. I. B. 2. 558. Scorodopraſum I. Clus. Hiſt. 190.

Sponte naſcitur in Orientalibus locis; in viridariis floret Junio.

Αγισα-

Radix hæc de Allio & Porro participans convenit etiam cum ipſorum facultatibus. Aperit, urinam & menſes ciet, calculos renum & veſicæ conterere & pellere dicitur. Veneniſ inſuper reſiſtit, & externe in maturandis abſceſſibus prodeſt.

RADICES SALE VOLATILI ACERRIMO ABSQUE OLEO GAUDENTES.

Ariſarum.
Arum Æthiopicum.
Dracunculus aquaticus.
Pancratium Monſpeſſulanum.

ARISARUM.

Eſt Ariſari latifolii. C. B. Pin. radix rotunda, globoſa, Aro minor, foris nigricans, intus alba, aliquando tuberoſa & oblonga, initio dulcis, deinde acris, minus tamen Ari radice.

Ἀρίσαρον, Ἀρὶς βοτάνη, ARIS HERBA, quaſi parvum Arum, ASARUS.

Ariſarum eſt plantæ genus ab Aro & Dracunculo diverſum flore cucullato.

Ariſarum latifolium majus. C. B. Pin, 169. Ariſarum latifolium alterum. Clus. Hiſt LXXIII.

Ariſarum latifolium alterum. C. B. Pin. 196. Ariſarum latifolium quibusdam. I. B. 2. 787. Ariſarum latifolium. I. Cluſ. Hiſt. LXXIII.

Sponte provenit in ſalebroſis & lapidoſis Luſitaniæ collibus. Colitur in hortis.

ARUM

Radix hæc commendatur in peſte. Doſis eſt a ℈j. usque ad ʒj.

ARUM ÆTHIOPICUM.

Eſt radix Ari Æthiopici flore albo odorato moſchum olente.

te. H. L Bat. Ari vulgaris radici ſimilis, bis autem ejus magnitudinem ſuperans.

ARUM Africanum flore albo odorato. Prodr. Par. Batav. Arum Æthiopicum flore albo odorato moſchum olente. H. L. Bat. Arum Æthiopicum flore albo odorato. H. Amſtel. 95.

COMELINUS in hujus plantæ foliis obſervavit, quod ſi nimis irrigetur planta, per claviculas ſuas ſuperfluam humiditatem eructari & quaſi diſtillari limpidam & guſtu acrem.

Idem Author de viribus ſequentia ſcribit verba. Radices virtutibus convenire cum vulgari, & ejus loco ſubſtitui quoque poſſe, ex relatione eorum, qui illud ſunt experti, hauſimus.

DRACUNCULUS AQUATICUS.

Eſt radix Dracunculi aquatici. C. B. Pin. digitalis craſſitudinis, prælonga, geniculata, transverſo ſitu limoſo paluſtrium locorum incumbens, cui figitur ex articulis demiſſa fibrarum ſobole numeroſa boſtrychi ſeu cincinni inſtar.

Radix

DRACUNCULUS PALUSTRIS, ARUM PALUSTRE, DRACUNCULUS AQUATILIS, HYDROPIPER RUBEUM, AQUATICA ANGUINA, SERPENTARIA AQUATICA, Waſſer Aron / Waſſerſchlangenkrauth / Waſſerdrachenkrauth / Froſchlöffel / Froſchkrauth. SERPENTAIRE D'EAU OU AQUATIQUE.

Arum paluſtre quorundam. Dracunculus aquaticus. I. B. 2. 790. Dracunculus paluſtris ſive radice acundinacea Plinii. C. B. Pn 195.

Naſcitur uliginoſis paluſtribusque locis, & in ipſis paludibus ac pigris camporum rivulis, floret Julio & Auguſto, ubi baccæ etiam matureſcunt.

PAN-

Radix hæc ratione virtutum radici Ari ſimilis eſt, ſed minus potens, minusque efficax videtur. Fructus ex vino contra viperarum ictus bibuntur.

PANCRATIUM MONSPESSULANUM.

Eſt Narciſſi maritimi C. B. Pin. radix bulboſa minor, quam Scillæ vulgaris ruffæ, cum maxima eſt, quanta maximi Lilii aut Arantii vel Limonii, oblonga fibris donata, cortice Cepæ obtecta pullo, intus candido, tunicis veſtita cepaceis pellucidis, leviter ſtriatis, aliquot detractis candidiſſimis etiam in meditullio ſatis craſſis, minus tamen quam Scillæ dictæ, albis, viſcidis, amaris ſine acrimonia.

PANCRATIUM a πᾶν omne & κρέας, caro, quoniam radix eſt valde carnoſa, BULBUS LITTORALIS, SCILLA MINOR, HEMOROCALLIS quibusdam.

Eſt ſpecies Narciſſi, nempe

Narciſſus maritimus. C. B. Pin. 54. Pancratium Monſpeſſulanum multis Scilla alba, parva. I. B. 2. 611. Narciſſus marinus. Dod. Pempt. 229.

In maritimis Galliæ Narbonenſis, ad maris ripam prope Monſpelium, in Hiſpania & Italia ſponte provenit. Mutato natali ſolo nunquam aut rariſſime florere ſolet.

Καμ

De uſu hujus radicis ita J BAUHINUS differit. Littoris Incolæ piſcatores & prædones raptu interdum victitantes, rati hanc eſſe cæpe vorantes ex ſale & pane, quamvis famelici tamen (teſte LOBELIO) nauſeabant. Facultate igitur Pſeudonarciſſo luteo (Bulbocodio) aſſimilis DODONÆO videtur, nam & guſtatus tantummodo bulbus nauſeam excitat. Magis venenatam qualitatem eis RONDELETIUS attribuit,

qui

qui referre ſolebat exemplum de duobus piſcatoribus, quorum alter cultrum Hemerocallidis conciſæ ſucco intinctum, ſodali quem oderat, cibo ſumpturo appoſuit, ille bonæ fidei nec inſidias metuens, carnes propoſitas ſecat, iiſque veſcitur, abſtinente alio, qui ſe fame premi negabat, poſt paucos dies miſere ſublatus fuit Sunt qui iiſdem ac Scillam virtutibus pollere & ei ſubſtitui poſſe contendunt.

RADICES SALI ACRI FIXO ABSQUE OLEO CONSTANTES.

Apium riſus.
Chamæleon niger.
Pimpinella ſaxifraga minor.
Ranunculus flammeus major.
Raphanus aquaticus.

APIUM RISUS.

Eſt Ranunculi paluſtris Apii folio C. B. Pin. radix cava, multis fibris donata, ſaporis valde calidi & urentis.

Radix hæc ſicca tritave ſtermutamenta ciet naribus indita.

CHAMÆLEON NIGER.

Eſt radix Chamæleontis nigri C. B. Pin. fuſca foris, intus radicis Ariſtolochiæ longæ colore, carnoſa, guſtus acerrimi, ſi commanducetur.

Cum

Καμαιλέον μέλας, ſchwartze Eberswurtz.
a TOURNEFOTIO refertur ad Carthamum, eſt nempe Carthamus aculeatus Carlinæ folio, flore multiplici veluti umbellato. Tourn. Cor. I. R. H. Chamæleon niger umbellatus flore cœruleo Hyacynthino. C. B. Pin. 380. Chamæleon niger Dioſcoridis Maranthæ. I. B. 3. 1. 63.
In Apuliæ finitimis, ac multis aliis locis in campeſtribus & ſiccis provenit. BELLONIUS in Græcia invenit, & de eo hanc hiſtoriam tradit.

Cum Chamæleonis nigri radices apud pagum quendam in inſula Lemno, Liuadochorio appellatum, erui curaremus, plurimi Græci & Turcæ ſpectatum venerant, quid ageremus: eas vero fruſtulatim ſectas filo trajiciebamus, ut facilius exſiccari poſſent. Turcæ in eo negotio occupatos nos videntes ſimiliter radices tractare & ſecare voluerunt: at cum ſummus eſſet æſtus & omnes ſudore maderent, quicunque eam radicem manibus tractaverant, ſudoremque abſtergerent, aut faciem digitis ſcalperent, tantam pruriginem iis locis quos attigerant, poſtea ſenſerunt, ut aduri viderentur. Chamæleonis enim nigri radix ea virtute pollet, ut cuti applicita ipſam adeo inflammet, ut nec Scillæ nec urticæ ullæ centeſima parte ita adurant, prurigo tamen non adeo celeriter ſeſe prodit. Poſt unam aut alteram porro horam ſinguli, variis faciei locis cutem inflammatam habere cœpimus, ut tota ſanguinea videretur atque quo magis eam confricabamus, tanto major excitabatur prurigo. Fonti aſſidentes ſub Platano, pro ludo habuimus initio & riſimus, at illi plurimum indignati ſunt; & niſi aſſeveraſſemus, nos nunquam expertos tali virtute eam plantam pollere; haud dubie male nos mulctaſſent. Attamen noſtra excuſatio fuit ab illis facilius accepta, cum eodem incommodo nos affectos conſpicerent. Mirum ſane tantillæ radicis ingentem efficaciam

noſtro-

noſtro malo expertos eſſe. Ex his, inquit JOH. BAUHINUS, apparet, quod ex inſtituto muliercula apud MARANTHAM faciant, quæ radicis ſucco pectines inficiunt, ad puerorum pediculos enecandos.

PIMPINELLA SAXIFRAGIA MINOR.

Eſt Pimpinellæ Saxifragiæ minoris C. B. Pin. radix longa, rugoſa, minor quam majoris Pimpinellæ Saxifragiæ, ſapore magis vegeto, fervido.

PIMPINELLA SAXIFRAGA vocatur etiam SAXIFRAGIA HIRCINA, TRAGOSELINUM MINUS, PETRIFINDULA, kleine Bibinell/ klein Bocksspeterlein.

Tragoſelinum alterum majus. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 1. g. 10. Pimpinella Saxifraga major altera. C. B. Pin. 159. Saxifragia Hircina minor foliis ſanguiſorbæ. I. B. 3. 2. 111. Tragoſelinum minus, Pimpinella minor. Tabern.

Ab hac in eo tantummodo diſcrepat, quod foliola habeat minutiſſime diſſecta ac ſerrata, ita quidem ut a Caro diſcerni ac Pimpinella eſſe vix credi poſſit, niſi guſtata radice.

Tragoſelinum minus. Tourn. l. c. Pimpinella Saxifraga minor. C. B. Pin. 160. Saxifraga Hircina minima, Pimpinella criſpa Tragi. I. B. 3. 2. 113. Saxifraga parva. Dod. Pempt. 315.

Utraque aſperis & ſaxoſis & arenoſis montium locis delectatur.

RA-

Sapor, ut SCHWENCKFELDT loquitur, manifeſte arguit acriorem & validiorem Saxifraga majori vim & efficaciam. Radix ſiccata loco Piperis in cibo uſurpari poſſet, nam guſtu & viribus ita Piperi reſpondet, ut, RAJO judicante, Piper Germanicum non inepte dici poſſit; Et meo certe judicio, inquit prædictus author, utilior & ſalubrior eſt

omni Pipere, quod ego experientia longa didici. Calefacit & ſiccat juxta SCHWENCKFELDT. Uſus ejus frequens ad ſudores eliciendos, tormina ventris, calculum & menſtruorum retentionem. Ictericis, hydropicis, & iis, qui anguſtiam præcordiorum ex ſcabie repercuſſa ſentiunt, eximium præſidium. Radix hæc quacunque ratione ſumatur, ſive in potionibus aut eclegmatis, adverſus omne venenum facit unice. In peſte aliisque morbis contagioſis præcavendis & curandis celebratur. Pota ex aceto magnæ commendationis eſt ad peſtiferos morbos. Externus ejus uſus eſt in odontalgià pro maſticatorio ad pituitam eliciendam, ad bubones cancroſosque tumores maturandos, Lac augendum.

℞. Radicis Saxifragiæ minoris aut minimæ ℥j. redigatur in pulverem & cum ſ. q. Sacchari & mucilaginis Tragacanthæ fiant rotulæ vel paſtilli, ſtomacho frigida intemperie craſſisque ac viſcoſis humoribus laboranti, paſſioni etiam colicæ ac matrici perquam utiles.

RANUNCULUS FLAMMEUS MAJOR.

Eſt Ranunculi longifolii paluſtris majoris C. B. Pin. radix compluribus fibris prædita, ſaporis fervidi.

Fa-

RANUNCULUS FOLIO NULLA EX PARTE SCISSO, RANUNCULUS INSECTUS, RANUNCULUS LANCEOLATUS MAJOR. FLAMMULA PALUSTRIS MAJOR, LINGUA PLINII, LINGULACA, groſſer Waſſer-Hahnenfuß / groſſer langbletterigter Waſſer-Hahnenfuß.

Ranunculus longifolius paluſtris major, C. B. P. 180. Ranunculus

culus longo folio maximus Lingua Plinii. I. B. 3. 853. Ranunculus lanceolatus major. Tabern. Icon. 48.

In lacuſtribus & piſcinis natales habet.

Facúltate cæteris ranunculis eſt ſimilis, exulcerans & veſicas faciens.

Radix combuſta teritur & adipi Suis nigræ admiſcetur. Sed id excipitur, ut ejus ſit Suis, quæ nondum peperit. Sic in Sole illita plurimum alopeciæ confert.

RAPHANUS AQUATICUS.

Eſt radix Rapháni Aquatici C. B. Pin. oblonga, digitum craſſa, alba, acris & mordax.

RAPHANUS AQUATICUS, Waſſer-Rettich / RAIFORT D'EAU.

Eſt ſpecies ſiſymbrii; nempe

Siſymbrium aquaticum foliis in profundas lacinias diviſis, ſiliqua breviori. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 4. g. 8. Raphanus aquaticus foliis in profundas lacinias diviſis. C. B. Pin. 97. & Prodr. 38.

Siſymbrium aquaticum Raphani folio, ſiliqua breviori. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 4. g. 7. Raphanus aquaticus alter. C. B. Pin. 97. & Prod. 38. Raphanus aquaticus Rapiſtri folio. C. B. Pin. 97. Rapiſtrum aquaticum. Tabern.

Reperitur in paludibus, foſſis aqua plenis & fluminibus, floret Junio & Julio.

SPINA

Radices hujus plantæ poſſunt comedi ut Raphani. Aperit, detergit, attenuat, urinam & calculum pellit. Prodeſt in nephritide, ſcorbuto atque hydrope.

RADIX SALE ACRI ABSQUE OLEO TAM FIXO QUAM VOLATILI CONSTANS.

SPINA SOLSTITIALIS.

Eſt ſpinæ ſolſtitialis Dod. radix longa, lignoſa.

SPINA ſeu STELLA SOLSTITIALIS, CARDUUS SOLSTITIALIS, quoniam circa Solſtitium floret. SPINA CITRINA vel LUTEA, quam Allobroges nominant AUREOLES ob floris colorem aureum.

Cardui eſt ſpecies, & quidem

Carduus ſtellatus luteus foliis Cyani. C. B. Pin. 387. Spina Solſtitialis. Dod Pempt. 734. & I. B. 3. 90.

Monſpelii abundat ſponte, ut & in incultis Italiæ. Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Carlina

Spinam Solſtitialem annotavit VALERANDUS DOUREZ efficaciſſimam in morbo regio ex experientia FONTANONI. Radicem, id annotante CAMERARIO, mirifice prædicant valere in Cachexia, Hydrope, febribus diuturnis, virginum decolore facie, & aliis obſtructionibus. Ejus decocto vel deſtillata aqua ruſtici utuntur ad coxendicis dolores, punctiones laterum, lienis tumores & ſudorem ciendum.

RADIX SALE BLANDO BALSAMICO CONSTANS.

CARLINA GUMMIFERA.

Eſt radix Carlinæ acaulis, gummifera C. B. Pin. craſſa

ad-

admodum longa, foris ruffeſcens, intus alba, lacteſcens, aromatico, gravi parum, odore non injucundo cerebrum petente, dulci ſapore edulis, quæ cum extirpatur, ſi vel minima fibrilla violetur, ſtatim ea parte lac emittit in grumos ob viſcoſitatem concreſcens, etiam grumis hærentibus effoſſa circa ſummas radicularum ſoboles.

Carlina hæc vocatur etiam Chamæleon Albus Gummi ut Mastyx Ferens.

a Tournefortio ad Carlinam, a Rajo ad Cinaram refertur.

Carlina acaulos gummifera. C. B. Pin. 380. Chamæleo albus Apulus, purpureo flore gummifer. Col. part. 1. 12. Cinara acaulis gummifera Raji. Hiſt. 301.

In Apuliæ, Cirinolæ ſterilibus, devexis locis Occidentalibus editis reperitur.

Archan-

Hæc radix non ſolum gummi ſuppeditat, ſed & ruſtici, ut loquitur COLUMNA, armentorum duces gummi, quod in acano & inter ſpinoſa foliata calycis manat, colligunt ex hac in Apulia in montibus excelſis frigidis illudque appellant Cera de Cardo, quia concretum veluti Cera dureſcit, atque ubi attrahendi opus ſit eo utuntur. Vix eſt planta cui ſponte gummi hoc non hæreat, unicum ſaltim grumulum.

RADICES CONSTANTES SALE VOLATILI BLANDO CUM TEMPERATA TENUI VISCOSITATE.

Archangelica.
Cachrys.

Cicu-

Cicutaria odorata bulboſa.
Serratula.

ARCHANGELICA.

Eſt Archangelica I. B. radix craſſa, alte depacta; albida, exigui odoris.

ARCHANGELICA a magnitudine, caule enim quandoque eſt bracchii craſſitudine & tricubitali. ANGELICA ALPINA, ANGELICA SCANDIACA, groſſe Bergangelick/ Norwegiſch und Pomeriſchangelick.

Eſt ſpecies Imperatoriæ, videlicet
Imperatoria Archangelica dicta, Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 4. g. 1. Archangelica. I. B. 3. 2. 143. & Clus. Hiſt. CXIV. & Dod. Pempt. 318.

In editioribus provenit, floret æſtate, aut etiam citius.

Contra venena uſurpatur; & eadem quæ ſativa præſtat.

CACHRYS.

Eſt Libanotidis ferulæ folio ſemine anguloſo C. B. Pin. radix profunda, candida, acris, odorat Thus redolens.

Radix

λιβανωτὶς παρὰ τὸ ὄζειν λίβανον, quia thus redolet; λιβανωτὶς καχρύφορος. LIBANOTIS GALENI. LIBANOTIS CACHRYFERA, CACHRYS VERIOR, LIBANOTIS CACHRYOPHOROS, ROSMARINUM FERULACEUM, ROSMARINUS CACHRYOPHORUS. Weyrauch-Kraut/Roßmarin-Krauth.

Cachrys eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, plurimis

mis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum, compoſitum ex duabus partibus ſemiovatis, fungoſis, nunc lævibus, nunc ſtriatis & aſperis, ſemine fœtis grani hordei æmulo.

Cachrys ſemine fungoſo, ſulcato, plano, majore, foliis Peucedani anguſti. Mor. umb. 62. Libanotis Cachryophoros quibusdam floribus luteis. I. B. 3. 2. 40. Libanotis ferulæ folio ſemine anguloſo. C. B. Pin. 158. Cachrys verior Libanotis Galeni. Lob. Icon. 783. Roſmarinum. Camer. Epiſt. 544.

Colitur in hortis.

Radix hæc virtute gaudet ſiccante & calefaciente.

CICUTARIA ODORATA
BULBOSA.

Eſt Cicutariæ bulboſæ C. B. Pin. radix ſingularis, brevis, turbinata, craſſiuſcula, Antithoræ radici ſimilis, vel napis minimis, tecta cortice tenui pullo, interne alba, fungoſa, grati ſaporis ad ſtaphylinum accedentis, deſinens in parvas fibras longiuſculas, parvas alias laterales habentes.

BULBOCASTANON CONIOPHYLLON, CICUTARIA PANNONICA, MYRRHIS CICUTARIA, Nappenkörbel/ Vulgus Auſtriacum Peperlin appellat.

Pertinet ad Myrrhidem. Eſt nempe

Myrrhis tuberoſa, nodoſa, Conyophyllon. Mor. Umb. 67. Cicutaria bulboſa. C. B. Pin. 161. Cicutaria odorata bulboſa. I. B. 2. 182. Myrrhis Cicutaria. Tabern. Icon. 98.

In ſepibus & alibi provenit, florens Junio.

SERRA-

Novo vere radices firmiores & magis ſucculenti cum novellis ſuis foliis in Viennenſi foro venales reperiuntur. Coquuntur enim & cum oleo aceto & ſale primis menſis iſtic

iſtic vulgares ; quam ſalubri cibo ſe neſcire fatetur CLUSIUS : frequentem tamen ejus uſum non ſine noxa eſſe, & capitis gravedinem doloremque inducere ſe expertum eſſe memoriæ mandavit.

SERRATULA.

Eſt Serratulæ I. B. ex crebris fibris parvis compoſita , ſapore ſubamaro , odoris aromatici.

SERRATULA a foliis minutim circumquaque inciſis & ſerratis nomen obtinuit. JACEA AROMATICA, JACEA CARYOPHYLLATA. CENTAUROIDES, CENTAURIUM MAJUS SYLVESTRE GERMANICUM CERETTA ſeu SERRETTA ab infectoribus lanarum appellata. Schartenkrauth / Ferberſcharten.

Ad Jaceam a TOURNEFORTIO refertur. Jacea nemorenſis, quæ Serratula vulgo. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 2. g. 3. Serratula. I. B. 3. 23. & Dod. Pempt. 42.

Sylvis humectis & pratis montoſis familiaris, floret æſtate.

CICHORIUM

Datur hæc radix pulveriſata utiliter potando calide ex albo meraco ruptis & ab alto devolutis ad ℨj. Radix hæc tuſa & impoſita hæmorrhoidum dolores ſanat. Ad enterocelas ſeu Inteſtinorum ramicem valet.

RADICES SALE BLANDO FIXO TENUI VISCOSITATI INCLUSO CONSTANTES.

Cichorium bulboſum.
Eryngium marinum.

Eryngium

Eryngium nothum.
Moſchatellina.
Spina lutea.

CICHORIUM BULBOSUM.

Eſt Cichorii bulboſi I. B. radix fibris tenuibus longe lateque perreptans, quibus appenſi bulbi, avellanæ circiter magnitudine, alabaſtritis marmoris candore, ſolidi.

CICHORIUM STRUMOSUM, Cichorium vocatur a foliorum forma, ſtrumoſum vero ab effectu & forma radicis, quæ ſtrumas refert & ſanat. CHONDRILLA PUSILLA MARINA LUTEA BULBOSA. CHONDRILLA BULBOSA MARINA. a Tournefortio ad Dentem Leonis refertur.

Dens Leonis tuberoſa radice. Tourn. I. R. H. cl. 13. ſ. 1. g. 1. Chondrilla bulboſa ſive Chondrilla 2. Dioſcoridis. C. B. Pin. 130. Cichorium bulboſum. I. B. 2. 1038. Chondrilla puſilla, marina, lutea bulboſa, an Dioſcoridis radice rotunda, orbiculata, Strongyle? & an Theophraſti Cichorium Perdicionve. Lob. Icon. 230. In maritimis & juncetis occurrit.

ERYN-

Radicem iſtam globoſam ad ſtrumas curandas multum conferre ſe experimento didiciſſe MYCONIUS apud HISTORIAM LUGDUNENSEM aſſerit. Quinque aut ſex integræ cum melle ſumptæ multis diebus continuis mirum in modum proſunt. Eadem præſtat aqua earum ſtillatitia, vel decoctum ſed inefficacius: idem conditum ex iis cum melle paratum admodum juvat.

ERYNGIUM MARINUM.

Sunt Eryngii maritimi C. B. Pin. radices longiſſimæ circumquaque profunde vagantes, ſapore aromatico.

ERYNGIUM MARINUM & VESCUM, ERYNGIUM ANTIQUORUM.

Eryngium maritimum. C. B. Pin. 486. Eryngium marinum. I. B. 3. 86. & Dod. Pempt 730.

Non modo in calidarum regionum, quales ſunt Hiſpania, Italia, Gallia Narbonenſis & ſimiles, ſed etiam frigidorum & ad ſeptentrionem vergentium, ut ſunt Anglia, Belgium, Hollandia atque aliæ adhuc iis frigidiores, maritimis frequens ſponte naſcitur, & radice ſub terra vagatur: floret Julio in hortis.

Juxta MATTHIOLUM & DIOSCORIDEM easdem poſſidet vires ac Eryngium vulgare. Meminit CLUSIUS RONDELETIUM marini Eryngii radices (quas potiſſimum uſurpandas cenſebat) ſaccharo conditas præſcribere ſolere mulieribus frigidiore uteri intemperie laborantibus, ad juvandum conceptum, prius tamen purgato, ut decet, corpore & neceſſariis præmiſſis.

ERYNGIUM NOTHUM.

Eſt Eryngii arvenſis foliis ſerræ ſimilibus C. B Pin. radix longa, ſatis craſſa, alba; Eryngii & guſtu & ſimilitudine.

CRITHAMUS MONTANUS vel TERRESTRIS, CRETHAMUS ARVENSIS, CRITHMUS ARVENSIS, CRITHMUM QUARTUM UMBELLIFERUM, Sichelkrauth / Sichelmöhren / Acker-oder Feld-Bacille.

a TOURNEFORTIO ad Ammi refertur.

Ammi perenne. Moris. Umb. Ammi quorundam Dalechampii. Lud. 696. Eryngium arvenſe foliis ſerræ ſimilibus. C. B. Pin. Crithmum quartum Matthioli umbelliferum. I. B. 3. 2. 195. Eryngium quartum. Dod. Pempt. 732.

In agris æſtate paſſim occurrit florens.

Aperit, calefacit, digerit, ſiccat, urinas trahit & menſtrua

MOSCHA-

ſtrua pellit, calculum ejicit: ut docet SCHWENCKFELDT.

MOSCHATELLINA.

Eſt Ranunculi nemoroſi Moſchatellina dicti C. B. P. radix ſemuncialis & uncialis, candida, pluribus ſquammulis caninorum dentium inſtar habentibus, quarum inferioris cavum ſuperioris mucronem ſolidum excipit, fibris donata circa ſuperiora genicula, ſatis pro plantæ proportione, longis, ſubdulces.

MOSCHATELLA, MUSCATELLINA, ab odore dicitur. Sunt qui ALABASTRITEN vocant ob radicis fere pellucidæ ac nitentis ſplendorem alabaſtro ſimilem. DENTICULATA etiam audit a radice, velut a dentibus parvis coagmentata; RANUNCULUS SEPTENTRIONALIUM HERBIDO MUSCOSO FLORE, FUMARIA BULBOSA SEU TUBEROSA MINIMA, Bieſemkräutlein/ Bieſem-Hahnenfuß.

Eſt plantæ genus flore monopetalo rotato & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde obſervante RAJO abit in fructum mollem ſeu baccam ſucculentam, ſeminibus fœtam utplurimum compreſſis.

Ad fontium ſcaturigines rivuloſque prata rigantes, & in umbroſis ſepibus naſci primo vere dicunt.

Moſchatellina foliis fumariæ bulboſæ, I. B. 3. 206. Ranunculus nemoroſus Moſchatellina dictus. C. B. Pin. 178. Minimus ranunculus ſeptentrionalium herbido muſcoſo flore & Muſcatella. Cordi. Lob. Icon. 674.

SCOLY-

Radici huic adſcribitur virtus detergens reſolvens atque vulneraria, ſed externe tantummodo uſurpatur.

SPINA LUTEA.

Eſt Scolymi Chryſanthemi C. B. Pin. radix pollicaris, fulveſcens, lacteum ſuccum fundens, veſca.

SCOLYMUS THEOPHRASTI, ERYNGIUM LUTEUM MONSPELIENSE, CARDUUS CHRYSANTHEMUS, SPINA LUTEA. EPINE JAUNE.

Scolymus eſt plantæ genus, flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus, a cujus capillamento perfodi ſolet pars poſterior. Semifloſculi autem ſeparantur ab invicem a foliolo, & comprehenduntur calyce ſquamoſo. Embryo vero deinde abit in ſemen, foliolo adhæreſcens thalamoque affixum.

Scolymus Chryſanthemos. C. B. Pin. 384. Spina lutea. I. B. 3. 84. Carduus Chryſanthemus. Dod. Pempt. 725.

Scolymus Chryſanthemus annuus. A. R. Par. 111. Scolymus Chryſanthemos annuus. Botan. Monſp. Scolymus Theophraſti Narbonenſis. Clus. Hiſt. CLIII.

Paſſim provenit circa Monſpelium, in Italia, Hiſpania, integra fere æſtate floret.

Ἀσπά-

Salmanticenſes (inquit CLUSIUS) tenellam adhuc plantam & primum germinantem, cum ipſa radice elotam crudam aut etiam coctam cum carnibus edunt: ipſius lacteo ſucco omne lactis genus coagulant: etiamque ejus flore Crocum adulterant. Hujus radice Sues non minus libenter veſcuntur quam Eryngii. Sunt qui radici huic virtutem aphrodiſiacam adſcribunt.

RADICES SALE BLANDO DIURETICO CONSTANTES.

Corruda.

Gramen

Gramen nodoſum.
Oenanthe apii folio.
Oxalis maxima.
Rapum Geniſtæ.
Rubia arboreſcens.
Saxifraga Matthioli.
Tripolium.

CORRUDA.

Sunt Aſparagi foliis acutis C. B. Pin. radices ab uno capite multæ, craſſæ, inſtar aſparagi altilis, ſed breviores, ſaporis ſubdulcis & glutinoſi.

Ἀσπάραγος πετραῖος καὶ μυάκανθα, id eſt, ASPARAGUS PETRÆUS ſive SYLVESTRIS, & MURINA SPINA. CORRUDA dicitur, quod, ubi adolevit, facile corruat. LYBICUM autem vocatur a patria.

Aſparagus foliis acutis. C. B. Pin. 490. Corruda. I. B. 3. 726. Corruda prior. Clus. Hiſt. CLXXVII.

Provenit in Italia, Hiſpania & in Gallia, circa Monſpelium, locis ſiccis & aridis, floret Auguſto.

GRA-

Radix hæc, docente TOURNEFORTIO, nullam in charta cærulea impreſſionem facit. Forſan ejus ſal ſimile eſt tartaro vitriolato in multo phlegmate ſoluto & partibus quibusdam terreſtribus & ſulphureis involuto. Temperate aperit, cæterum radici Aſparagi ſativi virtutibus correſpondet, & a quibusdam efficacior cenſetur. Renes & hepar ab obſtructione liberat. Dentium dolores ſanat.

GRA-

GRAMEN NODDSUM.

Sunt Graminis nodoſi avenacea panicula C. B. P. radices bulbis catenatis tuberoſæ, creberrimis fibris longis capillatæ, ſapore partim ſubacido, candidæ, in ſicca planta ſubfuſco luteæ.

Gramen Nodosum a crebris geniculis ac tuberoſis radicum nodis appellatur. Gramen Tuberosum, Gramen Bulbosum, Gramen Caninum Nodosum. Knopff, oder Knoten, Graß.

Gramen nodoſum avenacea panicula. C. B. Pin. 2. & Prod. 3. Gramen nodoſum. I. B. 3. 456. Gramen bulboſum nodoſum. Lob. Icon. 23.

Naſcitur in ſegetibus, pluribus in regionibus, ubi haud raro veluti agrorum peſtis eſt. Floret menſe Majo.

Radices hæ valentius obſtructiones expediunt & urinam cient, quam Graminis vulgaris radices.

Nodoſum iſtud gramen apud veteres pro gramine proprie dicto ſive Agroſti habitum, & adverſus calculum & veſicæ morbos commendatum fuit. Recentior ætas nunc hujus nunc vulgaris indifferenter pro graminis radicibus utitur.

OENANTHE APII FOLIO.

Sunt Oenanthes Apii folio C. B. Pin. radices glanduloſæ, longis filis pendulæ, latius quam altius propagatæ, tunica nigricante contectæ, intus albæ, paſtinacæ germanicæ quodammodo ſapore, gratiore tamen, dulci.

Iisdem

Oenanthe Angustifolia, Filipendula Tenuifolia

Folia Tabernæmontani. Oenanthe Selinophyllos. Filipendula Folio fere Apii Hortensis.

Characterem vide ſub Oenanthe, ſeu Filipendula aquatica.

Oenanthe apii folio. C. B. Pin. 162. Oenanthe ſive Filipendula Monſpeſſulana, folio Apii. I. B. 3. 2. 190. Filipendula tenuifolia. Tabern. Icon. 141.

Sponte provenit in locis & collibus a Sole illuſtratis, item in locis paludoſis. Colitur in horto, floret æſtate.

Iisdem fere virtutibus ac Filipendula vulgaris pollere creditur. Detergit, aperit, diſcutit & flatus pellit. Medetur calculo & hæmorrhoidibus.

OXALIS MAXIMA.

Eſt Acetoſæ montanæ maximæ C. B. Pin. radix crocea.

Acetosa Alpina ſive Major Montium, Oxalis Sylvatica Maxima. Acetosa Hispanica Grandissimis Foliis. Berg=Saurampffer.

Acetoſa montana maxima. C B. Pin. 114. Oxalis ſylvatica maxima. I. B. 2. 990. Oxalis major Broccenbergenſis. Thal. 82.

Ad rivulos montium altiſſimorum, locis herbidis provenit.

Rapum

Oxalidis hujus radicibus mulierculæ ignaræ imponunt, quod croceæ admodum ſint, pro Rhabarbaro vulgari eas obtrudentes: ut docet THALIUS.

RAPUM GENISTÆ.

Geniſtæ radicibus adnaſcitur quod Rapum Geniſtæ appellant. Eſt autem hoc tuberoſum quoddam turbinatum, ſubnigricantibus ſquammis opertum, pulpa interiore ſublutea,

a quo

a quo caulis aſſurgit ; dodrante brevior , floribus circa faſtigium ſubcandidis , Lamii fere æmulis.

RAPUM GENISTÆ, RAPUM GENESTRÆ, Brennrape / NAVEAU de GENESTRE.

RAJUS aliique aſſerunt, quod non ſit aliud quam Orobanche flore majore J. BAUHINI , qui ipſe dicit, quod tota facie Orobanchen referat , hoc ſolo ab eo differens , quod non inter legumina exeat, ſed è fibris radicum geniſtæ quibus adhæreſcit.

Rubia

Rapum hoc geniſtæ habetur apud DODONÆUM a nonnullis Empyricis pro ſummo remedio adverſus calculum, ad movendas urinas, decoctum in vino deinde potum; ſolvit enim, ut ajunt, renum obſtructiones, producit ac provocat urinam, calculum frangit ac arenulas pellit. Succus recens glutinat ac ſanat omnia vulnera recentia , & abſtergit deteriora & ſordida reddita : uſus eſſe poteſt ad alia ulcera maligna, abſtergit enim ac ad ſanitatem perducit. Ut autem ſuccus melius conſervetur , poſtquam ex radicibus erit expreſſus, ſoli exponendus, donec craſſeſcat, aut additur aliquid mellis & Soli exponitur: hinc enim melior erit ac commodior extergendis vulneribus & ulceribus putridis. Poteſt etiam ex radicibus ſemiſiccis extrahi oleum utile ad omnia, ad quæ confert ſuccus. Hoc oleum delet omnes maculas ac faciei exanthemata ac totius corporis ſæpius illitum. Pulverem cum calido vino exhibitum inſigne medicamentum adverſus colicum dolorem nonnulli credunt. Rapum Geniſtæ magnis votis & peregrinationibus Chymiſtas Majo menſe venari ſcribit LOBELIUS. Ad Geniſtæ radices ſublectosque teneriores aſparagos cum radicibus ſive appendicibus a Geniſta avellendis, alembico indunt, & inde igne oleum eliciunt ad calculos perquam celebre. Hæc JOH. BAUHINUS.

RUBIA

RUBIA ARBORESCENS.

Eſt Rubiæ arboreſcentis Proſp. Alp. radix parva, oblonga, craſſa, in radiculas alias diviſa, rubei coloris, ſaporis amareſcentis cum quadam auſteritate.

Rubia Cretica fruteſcens tenuifolia. Tourn. Cor. I. R. H. Rubia arboreſcens. Proſ. Alp. Exot. 110.
Naſcitur in creta.

Habet facultatem purgatoriam docente ALPINO, qua & jecur & lienem purgat, multam craſſamque Urinam movendo: menſes quoque cit, nec non ea ratione juvat etiam articulares morbos, præſertimque coxendicos dolores, atque non minus icterieos ſanat.

SAXIFRAGA MATTHIOLI.

Eſt Saxifragæ Matthioli tenuifoliæ & umbelliferæ I. B. radix albicans, paſtinacæ ſapore ſubacris & ſubdulcis.

a TOURNEFORTIO refertur ad fœniculum. Eſt nempe Fœniculum ſylveſtre elatius, ferulæ folio longiori. Tourn. I. R. H. Saxifraga Matthioli tenuifolia & umbellifera. I. B. 3, 2, 18. Naſcitur in Italia ſicco & admodum extenuato ſolo.

Radix hæc urinam ciet & menſes quovis modo ſumpta; viſum acuit & obſtructiones reſerat.

TRIPOLIUM.

Eſt Tripolii Dod. radix longa, albicans, fibroſa, guſtu acris.

Τριπόλιον, TRIPOLIUM quod *κατὰ κοιλίας ὕδωρ ἄγει*, ASTER MARITIMUS CÆRULEUS,

a TOURNEFORTIO dicitur eſſe Aſter, nempe.

Aſter maritimus paluſtris cæruleus Salicis folio. Tourn. I. R. H. cl. 14. ſ. 1. g. 1. Tripolium majus cæruleum. C. B. Pin. 267. Tripolium. Dod. Pempt. 379. Tripolium majus. I. B. 2. 1064.

Aſter maritimus paluſtris cæruleus minor. Tourn. l. c. Tripolium minus. Lob. Icon. 298. & I. B. 2. 1064.

Scatent hac planta Narbonica & Angelica littora, & fluminum crepidines, quas refluxus & maris æſtus inundant. Floret æſtate.

DIOSCORIDES radicem hanc in vino potam duarum drachmarum pondere per alvum aquam ducere refert, itemque urinam. Conciditur etiam ad alexipharmaca ſive venenis reſiſtentia medicamenta.

RADICES AMARÆ SALE FIXO CONSTANTES.

Apium montanum.
Cicutaria rubra.
Gentianella alpina magno flore.
Gentiana major purpurea & alba.
Gentiana punctato flore.
Gentiana purpurea.
Lilionarciſſus.
Ornithogalum vulgare majus & minus.
Panax Coſtinum.
Pneumonanthe.
Stœchas Neapolitana.

APIUM

APIUM MONTANUM.

Eſt radix Apii montani nigri C. B. Pin. inſigniter craſſa, mollis, ſuprema parte capillata, intus foriſque albida, ſapore acri, amaricante, ingrato nonnihil, ſuccum e vulnere remittens lacteſcentem, viſcidum, reſinoſum.

OREOSELINUM a vocibus Græcis ὄρος Mons & σέλινον Selinum, quaſi diceres Selinum montanum. POLYCHRESTUM CORDI: VALDEBONA, VIELGUTHA, MULTIBONA, POLYMETUM GESNERI, MONTAPIUM, vielgut Augenwurtzel/Bergpeterlein.

TOURNEFORTIUS ab apio removet & peculiare genus conſtituit Oreoſelinum.

Oreoſelinum eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis & calyci inſidentibus conſtante. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus ovatis, planis, amplis, ſtriatis, marginatis, involucrum quandoque deponentibus. His notis addenda ſunt folia Apii vel Cicutæ.

Oreoſelinum Apii folio minus. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 5. g. 1. Apium montanum nigrum, C. B. Pin. 153. & Apium montanum folio ampliore. Ejuſd. 16. Apium montanum Dalechampii. I. B. 3. 2. 103. & Apium montanum nigrum. Ejuſd. 104. Oreoſelinum ſive veelgutta. Dod. Pempt. 696.

Amat montoſos arenoſoſque tractus. Provenit in pratis ſiccis: floret æſtate cum ſemine eodem tempore matureſcente

CICU-

Radix hæc extenuat, aperit, incidit, urinas movet. Calculos diſſolvit, menſes provocat, Jecinoris & Lienis obſtructiones ſolvit, regio morbo auxiliatur. Manducata dentium dolores mitigat ac ſalivam ciet. Torminibus ventris ſuccurrit, viſum exacuit & alios multos uſus præſtat.

CICU-

CICUTARIA RUBRA.

Eſt Cicutariæ paluſtris latifoliæ rubræ C. B. Pin. radix craſſa, oblonga, amara & acris.

CICUTARIA ALPINA, MEUM SILESIACUM CAMERARII, MEUM CICUTARIUM. Wilde Bärwurtz.
Ad Myrrhidem a TOURNEFORTIO refertur. Eſt nempe.
Myrrhis paluſtris latifolia rubra. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 2. g. 7. Cicutaria paluſtris latifolia rubra. C. B. Pin. 161. Cicutaria latifolia hirſuta. I. B. 3. 2. 182. Cicutaria rubra. Lugd. 789.
Herbidis jugis montium apud rivulos reperitur.

Aperit hæc radix, attenuat, provocat urinam & menſtrua. Quidam pro Meo, alii pro Imperatoria uſurpant.

GENTIANELLA ALPINA MAGNO FLORE.

Eſt radix Gentianellæ Alpinæ latifoliæ & anguſtifoliæ magno flore C. B. Pin. non admodum craſſa, longiuſcula, flaveſcentibus ſive pallidis aliquot fibris donata, ſaporis amari admodum.

Vocatur GENTIANELLA ALPINA, GENTIANULA, GENTIANELLA PUMILA. Bitterwurtz.
Gentiana Alpina magno flore. I. B. 3. 523. Gentianella Alpina latifolia & anguſtifolia magno flore. C. B. Pin. Gentiana v. Gentianella major verna. Clus. Hiſt. 314.
Creſcit in Alpibus, ubi Junio & Julio floret, in hortos translata citius florem ſuum oſtendit.

Amariſſimus, uti J. BAUHINUS loquitur, eſt totius

GEN-

tius plantæ ſapor ideoque jecinoris vitiis nempe regio morbo & obſtructionibus auxiliatur, pari cum Gentiana facultate, cui amaritudine non cedit.

GENTIANA MAJOR PURPUREA ET ALBA.

Eſt radix Gentianæ majoris purpureæ vel etiam floribus albis C. B. Pin. craſſa, longa, foris plerumque flava, intus alba, impenſe amara.

GENTIANÆ ALTERUM GENUS. GENTIANA PUNICEA AUT ALBA RADICE LUTEA AMARIORE, &c.

Gentiana major purpurea. C. B. Pin. 187. Gentiana magna flore purpureo. I. B. 3. 521. Gentiana major purpureo flore. 1. Cluſ. Hiſt. 312.

Gentiana major floribus albis. C. B. Pin. 187. Gentiana magna flore albo. I. B. 3. 521. Gentiana major albo flore. Cluſ. Hiſt. 312.

In Alpibus aliarumque regionum montibus altius reperitur.

Quoniam guſtu amarior quam vulgaris, ideo in Medicina efficacior habetur, vehementiusque & ſolvere & purgare creditur.

GENTIANA PUNCTATO FLORE.

Eſt Gentianæ paluſtris latifoliæ punctato flore C. B. Pin. radix ex pallido lutea, fibroſa, amaricans.

Tota

GENTIANA FLORE SUBCÆRULEO PUNCTIS NIGRIS NOTATO, ALISMA FOLIO GLABRO FLORIBUS SUBCÆRU-

CÆRULEIS PURPUREIS ET VIOLACEIS, PUNCTIS ASPERIS.

Gentiana palùſtris latifolia flore punctato. C. B. Pin. 188. Gentiana punctato flore ſubcæruleo Pennæi. I. B. 528. Gentiana xij. punctato flore. Clus. Hiſt. 316.

Amat petroſa & humida altiſſimorum montium loca. Floret Julio & Auguſto.

Tota planta amara eſt inſtar Gentianæ. Venenis medetur pota.

GENTIANA PURPUREA.

Eſt radix Gentianæ Aſclepiadis folio C. B. Pin. lutea, digitalis craſſitudinis, multas oblongas fibras ejusdem coloris in latum ſpargens, guſtus valde amari.

GENTIANA SILESIACA MAJOR, klein Entzian/ juxta SCHWENCKFELDT. Eſt autem

Gentiana Aſclepiadis folio. C. B. Pin. 187. Gentiana folio Aſclepiadis vulgo creditæ. I. B. 3. 523. Gentiana 2. cæruleo flore. Cluſ. Hiſt. 312.

In Pannonia, Stiria, Auſtria inferiore provenit ad montium radices, nusquam vero in ſummis & apertis jugis, ut quidem CLUSIUS tradit. SCHWENCKFELDT vero docet hanc plantam reperiri quoque in montibus excelſis Sudetis, locis herbidis; floret Auguſto.

Radix hæc ob amaritiem, quæ tamen minor eſt, quam in Gentiana majore lutea, aperit, abſtergit, febricitantibus, aſthmaticis & bile ſuffuſis prodeſt. Celebratur quoque ad vermens enecandos. Sclavonici Ruſtici hujus radicis decoctum feliciter calculoſis propinari experimento ſe compertum habere affirmant, teſte CLUSIO. Sunt qui dicunt

ea paſtores uti ad ubera vaccarum, ſi a muribus, araneis aut aliis venenatis beſtiis lædantur, curanda.

LILIONARCISSUS.

Eſt Colchici lutei. 1. majoris C. B. Pin. bulbus oblongus, mediocriter magnus, ſapore præditus amaro.

LILIONARCISSUS, quaſi planta ad Lilium & Narciſſum accedens. NARCISSUS AUTUMNALIS MAJOR. NARCISSUS MARCELLI. COLCHICO NARCISSUS. COLCHICUM LUTEUM. ναρκίσσος ὀπώρινος, Geelwieſen Zeitloſen. LISNARCISSE.

Lilionarciſſus eſt plantæ genus, flore liliaceo, ex petalis ſex compoſito, Lilii æmulo. Hujus autem calyx ſeu embryo abit in fructum Narciſſi fructus forma. His notis addenda eſt radix bulboſa, tunicata, qua differt a Lilio; a Narciſſo vero flore polypetalo.

Lilio Narciſſus luteus autumnalis major. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 5. g. 1. Colchicum luteum 1. majus. C. B. Pin. 69. Colchicum flore luteo quorundam. I. B. 2. 661. Narciſſus autumnalis major. Cluſ. Hiſt. 164.

Sponte naſcitur in montanis Hiſpaniæ pratis: colitur in hortis; floret menſe Septembri.

Ὀρνι-

Radix hæc, docente LEMERY, emollit, digerit & reſolvit.

ORNITHOGALUM VULGARE MAJUS & MINUS.

Eſt Ornithogali umbellati medii anguſtifolii C. B. Pin. radix bulboſa, candida, quæ multos bulbulos adhærentes habet, veluti racematim compactos, fibroſos, ſe plurimum mul-

multiplicantes, guſtu amaricante, lenta ſpumoſaque mucagine maſticatos os replentes,

Ὀρνιθόγαλον, ORNITHOGALUM CANDIDUM VULGARE, ORNITHOGALUM VULGARE FLORE ALBO, BULBUS LEUCANTHEMUS, BULBUS SOLSEQUIUS: Weiſſfeldzwiebel. OIGNON BLANC CHAMPESTRE.
Ornithogalum umbellatum medium anguſtifolium. C. B. Pin. 70. Ornithogalum vulgare & verius, majus & minus. I. B. 2. 630. Bulbus Leucanthemus minor, ſive Ornithogalum. Dod. Pempt. 221.

Abundat in Italia. Provenit quoque in Gallia & Germania; floret vere. In hortis colitur, ubi ita ſe bulbulis multiplicat, ut odioſum ſit.

Radix cruda & cocta manditur. Urinam ciet & expectorationem promovet, acrimoniam humorum demulcet.

PANAX COSTINUM.

Sunt Panacis Coſtini C. B. Pin. radices vegetæ, craſſo carnoſoque cortice veſtitæ, colore cinereo ſplendente, amari ſaporis.

Præſtant

PSEUDOCOSTUS, COSTUS SPURIUS, PANACES COSTINUM, COSTUS ILLYRICUS, COSTUS ADULTERINUS, PANAX HERACLEUM MAJUS, PANAX CHIRONIUM, PANAX HERCULEUM. Coſtenheyl-Wurtz/ Panax-Wurtz.

Eſt ſpecies Paſtinacæ, juxta TOURNEFORTIUM.

Paſtinaca ſylveſtris altiſſima. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 5. g 3. Panax Coſtinum. C. B. Pin. 156. Sphondylio vel potius Paſtinacæ Germanicæ affinis, Panax ſive Pſeudocoſtus flore luteo. I. B. 3. 2. 156. Panaces Coſtinum, Coſtum Illyricum. Tabern. Icon. 81.

Colitur in hortis, floret Junio.

PNEU-

Præſtant Pſeudocoſti radices ad omnes cerebri & nervorum frigidos affectus, ad pectoris vitia & ad ventriculi cruciatus & viſcerum omnium obſtructiones, & ad renum veſicæ & uteri morbos. Ideoque auxiliantur diutino capitis dolore affectis, vertiginoſis, comitialibus, ſtupidis, veternoſis, convulſis, reſolutis, aſthmaticis, tuſſientibus, ictericis & Hydropicis. Flatus pellunt, vermes necant, urinam ducunt, calculos pellunt, menſes & partus cient. Infunduntur earumdem decocta ad coli cruciatus & coxendicum affectus.

PNEUNOMANTHE.

Sunt Gentianæ anguſtifoliæ autumnalis majoris C. B. Pin. radices plures, longæ, amaræ.

PNEUNOMANTHE dicitur etiam VIOLA CALATHIANA, CALATHIANA PLINII, CRUCIATA ſive GENTIANA MINIMA MATTHIOLI, CAMPANULA AUTUMNALIS, GENTIANA FUGAX, Lungen-Entzian/ Lungen-Blümlein/ VIOLETTE D'AUTOMNE.

Eſt ſpecies Gentianæ, nempe Gentiana anguſtifolia autumnalis major. C.B. Pin. 188. Gentiana paluſtris anguſtifolia. Ejusd. Gentianæ ſpecies Calathiana quibusdam radice perpetua ſive paluſtris. I. B. 3. 524. Pneumonanthe. Tab. Icon. 787.

Autumno paſſim in campeſtribus pratis, paſcuis, areis pagorum & aliis incultis occurrit.

Mauris

Viribus iisdem, quibus Cruciatam præditam ait MATTHIOLUS, pollet. DODONÆUS qualitate calidam ſtatuit, Gentianæ facultate quodammodo ſimilem, multo tamen imbecillorem. Efficax a quibusdam adverſus peſtilentes

tes morbos habetur, & ad virulentorum animalium morſus & ictus.

STOECHAS NEAPOLITANA.

Eſt Elichryſi foliis oblongis, paucis, Stœchadis citrinæ anguſtioribus C. B. Pin. radix tenuis, ac ſupervacua, amaricantis ſaporis.

Calefacit, ſi MATTHIOLO credimus, & ſiccat, aperit & abſtergit, ut amariuſculus indicat ſapor, quin etiam nec adſtringendi facultate vacat.

RADICES SALE FIXO CUM PAUCO VOLATILI CONSTANTES. INCLUSO RESINÆ.

Ariſtolochia Maurorum.
Filix ramoſa minor.
Oenanthe ſucco viroſo Cicutæ facie.

ARISTOLOCHIA MAURORUM.

Eſt Ariſtolochiæ Maurorum C. B. Pin. radix magna, alte defixa, qualitate ſicca calidave, ut amaritudinem ejus docere putat RAUWOLFFIUS.

Hæc

Mauris dicitur RHASUT & RUMIGA.
Ariſtolochia Orientalis foliis lanceolatis. Tourn. I. R. H. cl. 3. ſ. 2. g. 1. Ariſtolochia Maurorum. C. B. Pin. 307. Ariſtolochiis ſimilis Rhaſut & Rhumigi Maurorum. I. B. 3. 563. Maurorum Rhaſut & Rumigi. Lugd. App. 29.

In

In Africa apud Mauros reperitur imprimis circa Alepum.

Hæc radix uſurpari poteſt ut radix alterius Ariſtolochiæ, detergit, exſiccat, reſolvit, virtute gaudet vulneraria.

FILIX RAMOSA MINOR.

Filix ramoſa minor pinnulis dentatis C. B. Pin radicem habet labyrintheo contextu multipliciter implexam, Polypodii radicibus tenuiorem, repentem & in obliquum ſe ſpargentem, nigram, raris fibris tenuibus & duris capillatam, ſapore cum levi dulcedine inſigniter acerbo.

DRYOPTERIS GRÆCORUM, FILIX QUERNA, OSMUNDULA GALLORUM, Erdfarn / Windfarn / Eichelfarn / Baumfarn.

Filix ramoſa minor pinnulis dentatis. C. B. Pin. 358. Filix querna. Ejusd. Filix ramoſa minor. I. B. 3. 741. Filix arborea. Trag. 538.

In altiſſimis montibus reperitur.

BIN-

Tragus putat poſſe pro Filice, cui guſtu ſatis reſpondet, uſurpari.

OENANTHE SUCCO VIROSO CICUTÆ FACIE.

Eſt Oenanthes Chœrophylli foliis C. B Pin. radix, in pares Aſphodeli albi bulbos multipartita, & quaſi bracchiata, ſucco viroſo turgens.

Inexcuſabilis eſt (inquit JOHNSONUS apud GERARDUM) quorumdam noſtris temporibus ignorantia, qui radices hujus herbæ pœoniæ radicum loco vendunt. Quin ſibi

ſibi compertum affirmat, mulierculas Rhizotomas & Botanopolas Londinenſes radices haſce ſub nomine Leviſtici aquatici vendere. Verum an adeo venenatæ ſint & malignæ hujus plantæ radices nonnullos dubitare video. MATTHIOLUS Oenanthem ſuam tertiam & TABERNÆMONTANUS Oenanthen ſelinophyllon, quas C. BAUHINUS hujus plantæ ſynonymas facit, ſalubrem eſſe plantam ſtatuunt, LOBELIUS vero venenatam dixit. Ego rem in medio relinquo, ulteriori examini ſubjiciendam. Tutius interim eſt illa planta non uti.

PURGANTES RADICES SALE FIXO RESINÆ INCLUSO CONSTANTES.

Convolvulus maritimus Zeylanicus.
Muſcari.
Scammonea Cretica.
Solanum ſpinoſum arboreſcens promontorii bonæ ſpei.

CONVOLVULUS MARITIMUS ZEYLANICUS.

Eſt radix Salſaparillæ non abſimilis, in obliquum longe lateque prorepens, fuſco craſſoque cortice tecta, & lacte tenui in reſinam concreſcente referta.

Pur-

BINTAMBURU ZEYLANENSIBUS. PES CAPRÆ LUSITANIS a foliis juxta Zeylanenſes figuram pedis caprini habentibus.

Con-

Convolvulus maritimus Zeylanicus folio craſſo cordiformi. H. L. Bat.

Luxuriat locis maritimis Malabaræ, Zeylan aliarumque regionum & inſularum Orientalium.

Purgativo ſale conſtare hunc convolvulum colligitur, ut docet HERMANNUS, non tantum ex lacte acri linguam & fauces pungente ſed & experimentis multijuga experientia comprobatis. Reſina enim radicis drachmæ pondere cum vitello ovi, lacte coccineo aliave convenienti emulſione data, hydropicorum alvum blande ſubduxit. Idem officium præſtitit radicis extractum cum ſpiritu vini paratum. Quanquam vero Convolvuli hujus radix a Luſitanis, & nunc quoque a multis Indis cenſeatur diaphoretica, ejusque decoctum hoc nomine in lue venerea aliisque morbis chronicis in frequenti uſu ſit, attamen perſuaſus, inquit HERMANNUS, ratione & experientia exiſtimo, hanc virtutem eſſe meram imaginariam, adſcriptam radici forte ex non diſpari facie, quam habet cum ſalſaparilla.

MVSCARI.

Eſt Hyacynthi racemoſi moſchati C. B. Pin. bulbus, admodum magnus, albicans, multis tunicis pertextus, guſtu amaro.

Radix

MUSCARI, ut exiſtimant, ab odore floris moſchato. DIPCADI CHALCEDONICUM & ITALORUM HYACYNTHUS SPURIUS, HYACINTHUS BOTRYOIDES CHALCEDONICUS MUSCHATUS, BULBUS VOMITORIUS MATTHIOLI, frembder Trauben-Hyacinth.

Muſcari eſt plantæ genus, flore liliaceo, monopetalo, veluti campaniformi globoſo, & in ſex partes ſecto; ex cujus fundo ſurgit

ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum plerumque triangularem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum ſubrotundis.

Muſcari obſoletiore flore. Clus. Hiſt. 178. Hyacinthus racemoſus moſchatus. C. B. Pin. 42. Hyacynthus odoratiſſimus dictus Tibcadi & Muſcari, J. B. 2. 579.

Colitur in hortis, floret Aprili.

Radix interne aſſumpta vomitum movet, externe digerit, attenuat atque reſolvit.

SCAMMONEA CRETICA.

Eſt Scamoneæ macrorhyzæ Alpin: radix longa, pollicem craſſa, lacteo ſucco madens.

a TOURNEFORTIO refertur ad Periplocam.

Periploca orientalis foliis longioribus & acutioribus, Tourn. I. R. H. Scamonea macrorhiza. Proſp. Alp. Exot. 61.

Reperitur in inſula Creta.

Succo hujus radicis uti & totius plantæ utuntur purgationis gratia, purgandique præſtantia haud cedere Syriaco Scammonico deprehenſum eſt teſte ALPINO.

SOLANVM SPINOSVM ARBORESCENS PROMONTORII BONÆ SPEI.

Eſt Solani ſpinoſi arboreſcentis Capitis bonæ ſpei Breyn. radix alba, lignoſa, perennis, longo & obliquo reptatu diſperſa.

Hujus

Solanum pomiferum fruteſcens Africanum, ſpinoſum, nigricans

cans Borraginis flore, foliis profunde laciniatis. H. L. B. Solanum ſpinoſum arboreſcens Capitis bonæ ſpei. Breyn. faſcic. 25.

Ad foſſarum margines locisque aliis incultis Promontorii bonæ ſpei ſponte provenit.

Colitur nunc in hortis etiam Europæis.

Hujus plantæ radicem, quam acrem & ſubamaram deprehendidi, inquit HERMANNUS, exemplo Hottentotorum ad hydropicorum aquas per urinam educendas ex decocto præſcripſi magno ſemper ægrotantium levamine.

RADICES SALE FIXO ACRI CONSTANTES ET VEHEMENTISSIME PURGANTES.

Apios.
Bryonia Zeylanica.
Cneorum.
Ranunculus tuberoſus.
Tithymalus Characias.
Tithymalus maritimus purpuraſcentibus floribus.
Tithymalus non acris.
Thapſia Salmanticenſis.
Thymelæa Monſpeliaca.

APIOS.

Eſt radix Tithymali tuberoſa pyriformi radice C. B. Pin. oblonga, turgida inque pyri modum turbinata.

Supe-

Apios, Ἄπιος dicitur etiam ἴσχας, quod ἰσχάδα id eſt caricam ſeu ficum aridam radix referat. χαμαιβάλανος, Terrfstris Glans a figura quoque, ſed bene debet diſtingui ab aliis Chamæbalanis edulibus.

Tithymalus tuberoſa pyriformi radice. C. B. Pin. 292. Apios. I. B. 3. 666. Tithymalus tuberoſa radice Iſchias. Cluſ. Hiſt. CXC.

Tithymalus tuberoſa oblonga radice. C. B. Pin. 292. Apios ſive Iſchas altera. I. B. 3. 667. Iſchas altera. Clus Hiſt. CXCI.

Naſcitur in montoſis & aſperis, aliquando & herboſis.

Bryonia,

Superior pars radicis aſſumpta vomitione bilem pituitamque extrahit, inferior per alvum. Tota vero ſumpta utraque parte purgat. Liquorem ſi libet excipere, radices tundito & crateri aquæ inditas agitato, ac liquorem, qui ſupernatat, penna collectum, exſiccato. Hujus ſeſquiobolus potus per ſuperna infernaque purgat. Hæc DIOSCORIDES, a quo in ſucci collectione diſſentit PLINIUS. Effoditur vere inquit, tuſaque in fictili mergitur, dejectoque quod ſupernatat, reliquus ſuccus purgat utraque parte ſeſquiobolo in aqua mulſa. Sic & hydropicis datur acetabuli menſura. Inſpergitur & aridæ radicis farina potioni ajuntque ſuperiorem partem ejus vomitione biles extrahere, inferiorem per alvum agere. Ceterum hic Tithymalus facultate & temperamento valde calidus eſt & ſiccus, reliquis Tithymalis ſimilis ac perinde quoque moleſtus & noxius.

BRYONIA ZEYLANICA.

Eſt radix albicans, fibroſa, in modicum ventrem extumeſcens, ſapore acri amaro & nauſeoſo.

Ingenium

Bryonia Zeylanica, foliis in profundas lacinias diviſis fructu minori. Tourn. I. R. H. cl. 7. g. 1. Bryonia Zeylanica foliis profunde lacinitatis, H. L. Bat.

Ingenium catharcticum congeneribus haud diſſimile probat hæc Byronia, tam guſtu ſuo acri amaro & nauſeoſo, quam etiam uſu Zeylanenſibus in hydrope frequenti, penes quos in parietinis ruderibus aliisque incultis ſordidis ſua ſponte luxuriat.

CNEORUM.

Eſt radix Thymelææ affinis, facie externa C. B. Pin. longa, mimimi digiti utplurimum craſſitudine, interdum majore vero ex parte flaveſcens, lenta, superna parte nonnunquam gracilior, unde rami flexibiles & humi diſperſi emergunt, & ſubinde ſecundum alarum cava ſatis craſſas fibras flaveſcentes agunt.

CNEORUM MATTHIOLI dicitur etiam THYMELÆÆ AFFINIS, CNEORON MATTHIOLO, CNEORON ALTERUM MATTHIOLI, OLEANDER SYLVESTRIS, THYMELÆA MINOR.

Thymelæa Alpina Linifolia humilior, flore purpureo odoratiſſimo. Tourn. I. R. H. cl. 20. ſ. 1. g 2. Thymelææ affinis facie externa. C. B. Pin. 463. Cneorum Matthioli ſuffrutex. I. B. 1. 570. Cneorum Matthi. 46.

Sponte naſcitur in Auſtriæ & Pannoniæ ſylvis, item etiam alibi, floret Vere. Tanta autem in multis montibus, Viennæ Auſtriæ vicinis, provenit abundantia, ut ruſticæ mulieres, dum floribus abundat, multos ejus manipulos in forum venales afferant exornandorum tricliniorum gratia.

RA-

Radix hæc, quæ guſtu ad aliquot horas fauces & palatum

tum Coccognidii inſtar excalfaciente & ſcarificante eſt, purgat violentiſſime.

RANUNCULUS TUBEROSUS.

Eſt Ranunculi pratenſis radice verticilli modo rotunda C. B. Pin. radix bulboſa, alba, fabæ vulgaris mediocris magnitudine, multis fibris circumdata, acris.

RANUNCULUS ROTUNDUS, RANUNCULUS VULCANI, RANUNCULUS D. ANTONII, FLAMMULA MINOR ROTUNDA VULCANI, RANUNCULUS BULBOSUS, BATRACHIUM, Brennkrauth/ Ruben-Hahnenfuß.

Ranunculus pratenſis radice verticilli modo rotunda, C. B. Pin. 179. Ranunculus tuberoſus major, I. B. 3. 417. Ranunculus bulboſus. Lob. Icon. 667.

Floret Majo in ſiccioribus pratis & juxta ſemitas.

Ti-

Radix hæc, ſi recens eſt, cauſtica exiſtit ac admodum urit, exiccata vero poſt unum menſem dulcis efficitur. Utimur hac radice tuſa & emplaſtri modo impoſita, tempore peſtis, ad rumpendos abſceſſus. Nebulones Mendici quidam, quo facilius nobis imponant, ea ſanguine draconis macerata ſuras aut femora illinunt. Non debet niſi externis corporis partibus adhiberi, erodendis & exulcerandis auris tumoribus conducit; verrucas formicantes & penſiles & id genus alia vitia citra inciſionem ſuccus illitu tollit. Herbam tuſam cnm ſua radice mixto aceto impones his, qui habent cicatrices nigras, exedit enim eas & ſimilem corpori reliquo reddit colorem.

TITHYMALUS CHARACIAS.

Eſt Tithymali Characias rubentis peregrini radix craſſa & lignoſa.

Radix

TITHYMALUS CHARACIAS MASCULUS, TITHYMALUS AMYGDALOIDES a foliorum forma: HERBA LACTUARIA.

Tithymalus Characias rubens peregrinus. C. B. Pin. 290. Tithymalus Amygdaloides ſive Characias. I. B. 3. 672. Tithymalus Characias. 1. Clus. Hiſt. CLXXXVIII.

Naſcitur in aſperis montoſiſque per Hiſpaniam atque etiam ſupra Arelatem, itinere Maſſilienſi & quibusdam aliis Narbonenſis Galliæ locis. Obſervatur quoque Monſpelii, ubi abundat locis ſaxoſis. Occurrit quoque in montoſis in Germania. Floret Martio & ſqq.

Radix hæc ℥j. pondere hydromeliti inſperſa potaque per alvum purgat. Decocta eadem cum aceto, dentium doloribus auxiliatur, ſiquidem ea colluantur.

TITHYMALUS MARITIMUS PURPURASCENTIBUS FLORIBUS.

Eſt Tithymali maritimi purpuraſcentibus floribus C. B. P. radix valde prolixa, & ſatis craſſa, lac, uti & tota planta facit, acre & fervidum Tithymalorum more fundens.

Licet

ESULA RARA, ESULA RARA è LIO VENETORUM INSULA.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies Apocyni.

Apocynum maritimum Venetum, Salicis folio flore purpureo. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 5. g. 2. Tithymalus maritimus purpuraſcentibus floribus. C. B. Pin. 291. Alypum quibusdam ſive Eſuſa rara flore purpureo. I. B. 3. 676. Eſula rara e Lio Venetorum inſula. Lob. Icon. 372. Eſula rara noſtra floribus purpuraſcentibus. Don. 39.

Ab hac nonniſi floris colore præſertim differt.

Apocynum maritimum Venetum Salicis folio, flore albo. Tourn. l. c.

l.c. Tithymalus maritimus ſive Eſula rara e Lio Venetorum inſula flore albo. H. R. Par.

Non alibi, quam in littoribus & inſulis ſinus Adriatici reperitur & in Lio inſula exigua. Colitur in hortis, floret Auguſto & Septembri.

Licet hæc radix non ſit Turbith antiquorum poſſe tamen eam tanquam ſuccedaneum veri Turbith admitti & Turbith Venetum appellari, quod pares in purganda pituita moliatur effectus, docet CASP. BARTHOLINUS.

TITHYMALUS NON ACRIS.

Eſt Tithymali montani non acris C. B. Pin. radix longiuſcula fibrata, tuberculis inæqualis.

Quoniam obtinet liquorem lacteum ſed nequaquam acrem aut fervidum ſed adſtringentem, Tithymali aut Eſulæ dulcis nomen meruit. LUPINUM DULCE quoque dicitur ſüß Wolffsmilch.

Tithymalus montanus non acris, C. B. Pin. 292. Tithymalus non acris rubro flore. I. B. 3. 673. Eſula dulcis. Tragi. 298. Pithyuſa ſeu Eſula minor altera floribus rubris. Lob. Icon. 358.

In umbroſis ac uliginoſis montibus ac vallibus floret Majo.

Thapſia

Radix vulnera mirifice glutinat, ſed intro aſſumpta vehementer vomitiones movet. Ejus exterior cortex lacte ex aceto per diem & noctem maceratus, deinceps autem reſiccatus, tuſus & in pulverem redactus, poſtea ℥ß. pondere in vino vel melicrato potus, quosvis aquoſos humores & choleram expellit, & hydropicis apprime conducit, ut docet TRAGUS.

Licet autem hic Tithymalus non ſit acris, attamen ob vehementem vim emeticam hic relatus eſt, cum acrimoniam involutam nihilominus obtineat.

THAPSIA

THAPSIA SALMANTICENSIS.

Eſt Thapſiæ maximæ latiſſimo folio C. B. Pin. radix admodum longa, guſtus amari & acris

Thapſia maxima latiſſimo folio. C. B. Pin. 148. Thapſia Salmanticenſis ſive iij. Cluſii, magna, flore luteo, ſemine lato: I. B. 3. 2. 186. Thapſia iij. Cluſ. Hiſt. cxcij.

Creſcit in agro Salmanticenſi & tota vetere Caſtilia, ad Pyrenæos usque montes.

Vetulæ Salmanticenſes medicinam iſthic exercentes, authore CLUSIO, hac radice utuntur ad provocandos menſes, aliasque dejectiones moliendas. Tanta autem vi cum ſuperne, tum inferne purgat, ut ſumentes in maximum periculum ſæpe conjiciat.

THYMELÆA MONSPELIACA.

Eſt radix Thymelææ foliis Lini C. B. Pin. lignoſa & dura, in tenellis plantis raphani modo efformata, craſſo cortice tecta, ſed quemadmodum tota planta, lento & admodum tenaci.

De

θυμελαία quæ & Latinis THYMELÆA quaſi Tithymelæa ex Tithymalo & oleo mixta facie. THYMELÆA FOLIIS LINI, THYMELÆA FOLIIS PARVIS, THYMELÆA VERA. THYMELÆA GRANA GNIDII, COCCUM GNIDIUM, Kellerhalß oder Seydelbaſt von Montpelier.

Characterem vide ſub Mezereo.

Thymelæa foliis Lini. C. B. P. 463. Thymelæa Monſpeliaca, I. B. 1 591. Thymelæa. Cluſ. Hiſt. 87.

Copioſe creſcit circa Monſpelium, in Gallia porro Narbonenſi &

& Italia agris depreſſioribus, littoreo tractu, imo ipſis montibus ſponte provenit; floret Julio & toto nonnunquam autumno ſemenque ſubinde profert.

De hac radice violentiſſime purgante ſuadet CAMERARIUS, ne quis ea utatur, quia paucis horis perimit.

Cortices Thymelææ ſerviunt pro ligandis ſcopis & faſciculis.

Externe hæc radix uſurpatur in catarrhis & fluxionibus oculorum. Perforatur Lobus auris & fruſtum radicis immittitur. Eodem modo agit ac veſicatoria.

RADICES SALE PURGANTE BLANDO CONSTANTES ET VULGO LAXANTES.

Lapathum acutum criſpum.
Split.

LAPATHUM ACUTUM CRISPUM.

Eſt radix Lapathi folio acuto criſpo C. B. Pin. ſimplex, interdum ſurculoſa, craſſa, ex flavo pallida, amara & adſtringens.

Hæc

LAPATHUM οὐλόφυλλον, OAXYLAPATHUM CRISPUM. Spi-tziger kraußer Ampffer. PARELLE OU PATIENCE SAUVAGE FRISÉE.

Lapathum folio acuto criſpo. C. B. Pin. 115. Lapathum acutum criſpum. I. B. 2. 988. Tabern. Icon. 436.

In locis incultis, hortorum areis, humidis præſertim, & uliginoſis, paſſim & copioſe provenit.

Aſtragalus

Hæc radix juxta TOURNEFORTIUM IN HISTORIA PLANTARUM CIRCA LUTETIAM NASCENTIUM, chartam cæruleam efficit rubicundam. Sal itaque acidum continet, quod ad Nitri naturam accedit, non enim nigrore inficit decoctum Gallarum. Lutetiæ, eodem authore, adhibetur hæc radix in juſculis & ptiſanis aperientibus. Laudatur ad morbos cutaneos ſcabiem &c. item ad ulcera tibiarum, ſi contuſa imponatur. Quidam commendant ad Eriſypelas, ebullitionem maſſæ ſanguineæ & variolas.

℞. Radicis Lapathi acuti criſpi ℥ij. inciſam & raſam in juſculo minime pingui decoque, poſtmodum in colatura diſſolve Tartari ſolubilis chalybeati ʒß. pro ſcopo aperitivo.

℞. Radicis Lapathi acuti criſpi. Radicis Enulæ campanæ ana ℥ij. Conciſas. coqu. in libr. jv. aquæ, ſub finem addendo aliquid liquiritiæ. Coletur & addatur ♀r. Sol. ʒj. Hauriantur aliquot hauſtus per diem ab iis, qui ſcabie, impetigine aliiſque vitiis cutaneis laborant. Conducit quoque in exæſtuatione ſanguinis.

℞. Radicis Lapathi acutì criſpi, rad. Enulæ Campan. ana ℥jv. Inc. coqu. in pauca aqua, adde butyri recentis q. s. ut fiat unguentum, cui colato adde florum ſulphuris ℥iß ad unguenti uncias ſex. Convenit ſcabie laborantibus.

SPLIT.

Eſt fumariæ luteæ C. B. Pin. radix craſſiuſcula, nigricans, amara, acris.

Hæc radix iiſdem gaudet viribus ac herba, de qua infra.

℞. Radic. Split. ℥j. vel man. j. contunde minutim, pone in Vini albi menſ. j. in olla vitreata ſat magna : integatur cruſta panis bene oblita in circumferentia. Bull. lento igne per

per horam. j. Datur jejuno pro vice ℥j. hujus decocti tepide & per quinque dies continuetur. Prima vice ſumptum inebriat, poſt leviter exhilarat & morbum cito levat, victu convenienti inſtituto. Corroborat Cerebrum & quod Melancholicis ac Maniacis conveniat credit quidam Medicus. GREGORIUS a KLO Medicus in Bavaria aſſerit hæc omnia vera eſſe, & ipſemet cum eſſet debilitatis artubus, ut vix ambulare poſſet, timens præterea Epilepſiæ ſuperventum, curatus eſt hac herba, ita ut in alium quaſi novumque hominem ſe converſum putaret. Hic vero dat ℥ij. decocti.

RADICES PARTICULIS DULCIBUS SEU BLANDE VISCOSIS CUM DULCEDINE CONSTANTES.

Aſtragalus Monſpeſſulanus.
Campanula Alpina Tragopogi folio.
Campanula repens.
Chryſanthemum Canadenſe ſtrumoſum.
Gramen crucis.
Hyacynthus Orientalis.
Hyacynthus tuberoſa radice.
Lilio Hyacynthus.
Orchis odorata.
Siſyrinchium.
Teſticulus Hircinus.
Xiphion.

ASTRA-

ASTRAGALUS MONSPESSULANUS.

Eſt Aſtragali Monſpeſſulani I. B. radix durá, lignoſa, craſſitudine digitali & craſſiore, longitudine cubitali, dulcis, intus alba, cujus cortex craſſus ſubfuſcus, quæ, antequam è terra erumpat, dividitur in aliquot portiones ſive capita tres quatuorve digitos longa, ut, niſi quis profunde fodiat, multas eſſe plantas exiſtimet.

Aſtragalus Monſpeſſulanus, I. B. 2. 338.
Creſcit ſecus vias in itinere Narbonam verſus prope gigant, uno a Monſpelio miliari. In hortis floret Auguſto.

Radix gaudet virtute adſtringente, & laudatur in alvi fluxibus. Nihilominus urinam quoque ciet. Externe detergit & exſiccat, vulnera & ulcera. Interne adhibetur in decocto.

CAMPANULA ALPINA TRAGOPOGI FOLIO.

Eſt campanulæ Alpinæ Tragopogi folio C. B. Pin. craſſiuſcula albida, lacteſcens, dulcis.

Campanula Alpina Tragopogi folio, C. B. Pin. 94. Trachelium Tragopogi folio montanum Fabii Columnæ, I. B. 2. 802. Trachelium Tragopogi folio montanum Colum. Phytob. 25.
Reperitur in quibusdam montibus Alpinis.

RAPUM

Radix hæc eſui apta, ſicuti vulgare Trachelium & Rapunculum.

CAMPANULA REPENS.

Eſt Campanulæ hortenſis rapunculi radice C. B. Pin. radix importuna petulantia reptans, alba, craſſa, ſic ſatis fibrata guſtu dulci ſuavi.

RAPUM MINUS SUIS RADICULIS SERPENS. TRACHELIUM MOLLIORIBUS FOLIIS RADICE MIRE REPENTE. CAMPANULÆ GENUS RADICE REPTANTE.

Campanula hortenſis Rapunculi radice. C. B. Pin. 94. Campanula repens flore minore cœrulea. I. B 2, 804. Cervicaria major ſylveſtris Eyſt.

Floret Auguſto & ſqq.

Juxta DODONÆUM refrigerantis & nonnihil adſtringentis eſt potentiæ, ac radices edi poſſunt in acetariis.

CHRYSANTHEMUM CANADENSE STRUMOSUM.

Sunt Coronæ Solis Rapunculi radice Tourn. radices albæ carnoſæ, fuſiformes, rapunculo vel aſphodelo haud diſpares, ſubamarum aromaticum non ingratum habentes ſaporem.

Corona Solis Rapunculi radice. Tourn. I R. H. cl. 14. ſ. 2. g. 2. Chryſanthemum Canadenſe Rapunculi radice ſtrumoſum vulgo. H. L. Bat. Helenium Canadenſe altiſſimum Voſacam dictum. H. R. Par

NEJEM

Radices hæ a Canadenſibus parantur in fercula velut ab Europæis rapunculi, rapæ & ſimiles.

GRAMEN

GRAMEN CRUCIS.

Sunt graminis Crucis I. B. radices albæ, geniculatæ, dulces cum aliquali acrimonia, communi gramini proximæ.

NEJEM EL SALIB, GRAMEN CRUCIS a quatuor ramulorum ſpicis perfectam crucem figurantibus.

Gramen Dactylon Ægyptiacum. C. B. Pin. 7. Gramen Crucis ſive Nejem emſalib. I. B. 2. 460. Nejem & ſalib ſive Gramen Crucis. Pr. Alp. Ægypt. 121.

Naſcitur in Ægypto.

Mulieres Ægyptiæ; teſte ALPINO, decoctum hujus radicis tum ad pueros variolis atque morbillis correptos maxime ſequuntur, tum ad ſe ipſos, ubi cupiunt interceptas menſtruas purgationes rurſum evocare. Ad uſum quoque vulnerum & ulcerum non parvum apud Ægytios tota herba præcipue radices habent uſum. Ajunt radicem frigidam atque ſiccam eſſe tenuiſſimarumque partium. Quamobrem non deſunt, qui ad movendum ſudorem ejus decocto familiariſſime utuntur.

HYACYNTHUS ORIENTALIS.

Sunt Hyacynthorum Orientalium variorum bulbi plus minusve magni, intus candidi, guſtu viſcido dulci.

Come-

HYACYNTHUM duplex comitatur fabula, luctum præferens, ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis, ut græcarum literarum figuræ. A. I. inſcriptæ legantur. Hyacynthen/ Jacinthen/ Jacinthe.

Hyacynthus eſt plantæ genus, flore liliaceo, monopetalo, in ſex partes ſecto, & quaſi campaniformi, tubulato, ex cujus fundo

ſundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum fere trigonum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum modo ſubrotundis modo planis.

Plures Hyacynthi Orientalis dantur ſpecies, frequentiorum autem tantummodo injiciam mentionem.

Hyacynthus Orientalis caule maculato. C. B. Pin. 44. Hyacynthus Orientalis quibusdam Conſtantinopolitanus. I. B. 2. 575. Hyacynthus Orientalis græcus. Lob. Icon. 104.

Hyacynthus Orientalis purpureus. C. B. Pin. 44. Hyacynthus Orientalis purpuro rubeus. Lob. Icon. 104. & I. B. 2. 576.

Hyacinthus Orientalis albus primus. C. B. Pin. 44. Hyacinthus brumalis albus. I. B. 2. 577. Hyacinthus Orientalis albus. Lob. Icon. 105.

Hyacynthus Orientalis maximus. C. B. Pin. 44. Hyacynthus Orientalis major. Dod. Pempt. 216.

Hyacynthus Orientalis flore duplici. C. B. Pin. 45. Eyſt.

Hyacynthus Orientalis albus multiplici flore. C. B. Pin. 45. Hyacynthus candidiſſimus pleno flore Eyſt.

Floret Aprili.

Comeſtioni forte apti Hyacynthi Orientales juxta LAUREMBERGIUM. Orientalis Hyacynthi bulbus contuſus & cum vino in emplaſtri formam commixtus prohibet, ne pilus germinet in mento, maxillis, inguine aut alibi partium. Sic, teſte PLINIO, in vino dulci illita hæc radix pubertatem coercet, & non patitur erumpere. Torminibus & araneorum morſibus reſiſtit urinamque pellit.

HYACYNTHUS TUBEROSA RADICE.

Eſt Hyacynthi Indici tuberoſa radice Cluſ. radix tuberoſa, viſcoſa. Radix

HYACINTHUS INDICUS TUBEROSUS, BULBUS INDIcus

cus Florem Album Proferens, Floris Hyacinthi Orientalis Æmulum, Tuberoſe/ Tubereuse.

Hyacinthus Indicus tuberoſus flore Hyacinthi Orientalis. C. B. Pin. 47. Hyacinthus Indicus tuberoſa radice. Clus. Hiſt. 176. & I. B. 2. 588.

Colitur in hortis, floret Julio, Auguſto & Septembri. In America ſeu India Occidentali.

Radix hæc detergit, adſtringit, exſiccat, atque reſolvit.

LILIO HYACYNTHUS.

Eſt radix Hyacynthi ſtellaris foliis & radice lilii. C. B. Pin. lilii bulbo ſimilis, ſed minor & oblongior, flaveſcens.

Lilio Hyacynthus quaſi planta ad Lilium & Hyacynthum accedens. Hyacynthus Stellatus Lilii Folio, λυριόφυλλον, Lyriophyllus, Hyacynthus Liliaceus Lilien jacinth. Lis Jacinthe.

Lilio Hyacynthus eſt plantæ genus, flore Liliaceo, ex petalis ſex compoſito & Hyacynthi floris æmulo. Hujus autem piſtillum abit deinde in fructum ex globoſo acuminatum, plerumque trigonum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum fere globoſis. His notis addenda eſt radix ſquamata, radicis Lilii forma.

Lylio hyacinthus vulgaris flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 4. g. 4. Hyacynthus ſtellaris flore & radice Lilii. C. B. Pin. 46. Hyacynthus Lilioſolius ſtellatus. I. B. 2. 589. Hyacynthus ſtellaris Lilioſolius. Lob. Icon. 101.

Colitur in hortis. Sponte provenit in montibus Pyrenæis & Galliæ Aquitanicæ.

TE-

Gaudet virtute emolliente, digerente atque reſolvente, ſed interne non debet uſurpari, quoniam dicunt animalibus hanc

hanc plantam depaſcentibus caput intumeſcere & mortem ſubſequi.

ORCHIS ODORATA.

Eſt radix Triorchidis albæ odoratæ minoris, C. B. Pin. duplex, bulboſa, oblonga, villoſa, ima verſus acuminata, aliquot fibris donata.

TESTICULUS ODORATUS, TESTICULUS MINOR ODORATUS, SATYRIUM EXIGUUM, SATYRIUM ODORIFERUM, TESTICULUS ODORATUS ODORE LILII CONVALLIUM, wohlriechend Ständelwurtz/ klein wohlriechend Knabenkrauth. COUILLON ODORIFERANT,

Orchis ſpiralis alba odorata. I. B. 2. 769. Triorchis alba odorata minor. C. B. Pin. 84. Teſticulus odoratus ſive Orchis ſpiralis minor. Lob. Icon. 186.

Editis incultis & aridis locis plurimum reperitur, floret autumno vel Auguſto & Septembri ante Vergiliarum occaſum; in arenoſis ſiccis & acclivibus pratis, interdum etiam humidis.

Radix hujus Orchidis odoratæ cocta in vino & pauco melle ſanat ulcera putrida oris.

SISYRINCHIUM.

Eſt Siſyrinchii majoris Clus. radix bulboſa, gemina, altera alteri inſidens, ſuperior plena candida, dulcis, edulis, inferior vero flaccida, coloris exterius nigricantis, interius candidi, ſaporis dulcis.

Virtute

SISYRINCHIUM a vocibus græcis ὗς, ſus, & ῥύγχος roſtrum, quaſi diceres roſtrum ſuillum, tum propter radicis formam, tum

quod

quod ſues roſtro terram ſodiant, ut ea radice paſcantur.

Siſyrinchium eſt plantæ genus, ab Iride & Xiphio diverſum, radice gemina, altera alteri inſidente, qualis in Croco & Gladiolo obſervatur.

Siſyrinchium majus flore lutea macula notato. C. B. Pin 40. Siſyrinchium majus. Clus. Hiſt. 216. Iridi bulboſæ affine Siſyrinchium majus. I. B. 2. 708.

Ab hac ſpecie nonniſi fere magnitudine differt.

Siſyrinchium medium. C. B. Pin. 41. Iridi bulboſæ affine Siſyrinchium minus. I. B 2. 708. Siſyrinchium minus. Clus. Hiſt. 216.

In regionibus calidioribus locis montoſis & humidis provenit.

Virtute radix gaudet carminativa & anticolica. Ad ventris tormina (inquit CLUSIUS) utilem eſſe referebant incolæ, ſed devorata radice illico corpus ſaltatione eſſe exercendum.

TESTICULUS HIRCINUS.

Sunt Orchidis barbatæ fœtidæ I. B. bulbi reliquis Orchidum bulbis plerumque majores.

Τραγόρχις, TESTICULUS HIRCINUS ab odore plantæ, quo hircum dum in flore eſt refert, Bockshödlein / BOUILLON ou BOUC.

Orchis barbata, odore Hirci, breviore latioreque folio. C. B. Pin. 82. Orchis barbata fœtida. I. B. 2. 756. Tragorchis, teſticulus Hirci. Dod. Pempt. 237.

Solo pingui naſcitur, floret circa finem Maji ad medium Junii, provenit in collibus muſcoſis, præſertim inter umbroſas convalles.

XIPHION

Radix teſticuli hircini, ſi comedatur, aut cocta cum lacte

ĉte caprino bibatur, Venerem excitat, roborat & corpus nutrit: Hecticis & iis, qui alimento egent, ſingulare remedium. Odor plantæ florentis, multum olfacientibus, capitis dolorem creat.

XIPHION.

Eſt Iridis bulboſæ latifoliæ flore cœruleo & candido I. B. radix bulboſa, candida, avellanæ inſtar dulcis, multiplici cortice nigricante involuta.

XIPHION a voce græca ξίφος gladius propter folia quaſi enſiformia. IRIS BULBOSA LATIFOLIA, HYACINTHUS POETARUM LATIFOLIUS, LIRIUM ENSIFORME, LIRIUM CÆRULEUM.

Xiphion eſt plantæ genus, flore liliaceo, monopetalo, Iridis floris æmulo. Piſtillum tribus petalis pariter donatur: calyx vero abit in fructum Iridis fructus forma, ſed radix bulboſa eſt, ſeu plurimis tunicis conſtat.

Xiphion latifolium, acaulon, odoratum, flore cæruleo. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 2. g. 4. Iris bulboſa latifolia, acaulos, odora, flore cæruleo. C. B. Pin. 38. Iris bulboſa latifolia flore cæruleo. I. B. 2. 703. Iris bulboſa latifolia. Dod. Pempt. 212.

Xiphion latifolium acaulon, odoratum flore lactei coloris. Tourn. l. c. Iris bulboſa latifolia acaulos odorata, flore lactei coloris. C. B. Pin. 38. Iris bulboſa latifolia purpurea Schwert.

Sponte naſcitur in Luſitaniæ Bæticæque collium radicibus. Colitur in hortis, floret Martio & Aprili.

Pertinet

Radix hæc gaudet virtute reſolvente, emolliente & maturante.

RADICES AQUOSIS CRASSIS SEU MUCILAGINOSIS CONSTANTES.

Acarna Theophraſti.
Althæa Ricini folio Virginiana.
Anacampſeros minor.
Bugloſſum foliis Borraginis Hiſpanicum.
Poterium.
Symphytum tuberoſum.
Tataria Hungarica.

ACARNA THEOPHRASTI.

Eſt Acarnæ Col. radix longa, pedem ſuperans, craſſitie digiti majoris, pallens, odorata, Carlinæ vulgaris modo, lacteſcens, dulcis.

Pertinet ad Carlinam juxta TOURNEFORTIUM. Carlina patula Atractylidis folio & facie. Tourn. I. R. H. cl. 14. ſ. 1. g. 2. Acarna. Colum. part. I. Icon. 23. Acarna Theophraſti, Acorna Plinio. Col. ib. deſcr. 26.

Provenit in Campoclarenſium collibus ſecus vias in incultis. Colitur in hortis floret ſub finem æſtatis. a TOUR-

Radix hæc, docente COLUMNA, eſtur elixa deinde oleo frixa, nervo exempto, quadragenæ diebus a pauperibus Valvenſibus.

ALTHÆA RICINI FOLIO VIRGINIANA.

Eſt Althææ Virginianæ radix Ibiſco ſimilis pallida, longe lateque repens, guſtus viſcoſi.

a TOURNEFORTIO ad Malvam refertur.

Eſt nempe

Malva Aceris folio Virginiana. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 6. g. 1.
Althæa Ricini folio Virginiana. H. L. Bat.

Radicis hujus virtutes eædem ſunt ac radicis Althææ vulgaris.

ANACAMPSEROS MINOR.

Sunt Telephii recentis folio deciduo radices fibroſæ ſedi vermicularis, non tuberoſæ.

TELEPHIUM MINUS, TELEPHIUM MINUS SEMPER VIRENS.

Anacampſeros minor rotundiore folio ſemper virens. I. B. 3. 682. Telephium repens folio deciduo. C. B. Pin. 287. Telephium minus ſemper virens. Lob. Icon. 390.

Colitur in hortis, floret Junio.

Coincidit virtute cum craſſula majore. Coquitur cum melle in vino & potatur in alvi fluxionibus. Virtute gaudet vulneraria, demulcente & adſtringente.

BUGLOSSUM FOLIO BORRAGINIS HISPANICUM.

Eſt Bugloſſi latifolii ſemper virentis C. B. Pin. radix craſſa, adnatis donata, cortice nigro denſiuſculo obtecta, intus alba, ſapore lento & viſcido.

Radix

BUGLOSSUM HISPANICUM, BUGLOSSUM SEMPER VIRENS, BORRAGO HYEMALIS. Ὀνόκλεια, ONOCLIA, Κάλυξ. Spaniſch Ochſenzung.

Bugloſ-

Bugloſſum latifolium ſempervirens. C. B. Pin. 256. Bugloſſum folio Borraginis Hiſpanicum. I. B. 3. 577. Bugloſſum ſemper virens. Lob. Icon. 575.

Colitur in hortis, tota æſtate floret.

Radix hæc refrigerat & reſiccat, & una ſimul adſtringit, & quia ſubamara, biliosos etiam extergit humores. DIOSCORIDES ad ambuſta & vetera ulcera ex oleo & cerato efficacem radicem ait: eryſipelatis cum polenta mederi: lepris & vitiliginibus cum aceto imponi, partus extrahere genitali impoſitam; decoctum exhiberi ictericis, nephriticis & ſpleneticis, febricitantibus cum melicrato: ad unguentorum ſpiſſamenta a pigmentariis uſurpari, perhibent.

POTERIUM.

Eſt Tragacanthæ affinis lanuginoſæ ſive Poterii C. P. Pin. radix lenta, longa, in multos ramos diviſa, nigro cortice foris obducta, materia intus candida, fungoſa, dulci; interior pars gummoſum quidquam & ſubdulce refert.

TRAGACANTHA ALTERA, POTERIUM.

Tragacantha altera, Poterium forte Cluſio. I. B. 1. 408. Tragacantha altera Poterium forte. Clus. Hiſt. 108. Tragacanthæ affinis lanuginoſa ſive Poterium. C. B. Pin. 388.

Naſcitur in regno Granatenſi, in collibus arido & inutili ſolo.

SYM-

Radix hæc contuſa recens vulneratos nervos atque tendines conglutinare dicitur, id quod etiam præſtat ejus decoctum. Gummi ex hac radice effluens hauſtum Phthiſicis prodeſſe fertur.

SYMPHYTUM TUBEROSUM.

Eſt Symphyti majoris tuberoſa radice C. B. Pin. radix in obliquum ſparſa, cui rotunda tubercula inſunt, colore candido, mollia, ſapore non ingrato.

SYMPHYTUM RADICE TUBEROSA. SYMPHYTUM MAJUS FLORE SUBLUTEO TUBEROSA RADICE. SYMPHYTUM ALIUD FOLIIS BORRAGINIS FLORE LUTEO RADICE TUBERI (tartuffo ſimili) ANGUILLARÆ. CONSOLIDA MINOR FLORE PALLESCENTE. Gelbe knödichte Wallwurtz.

Symphytum majus tuberoſa radice. C.B. Pin. 259. Symphytum tuberoſum. I. B. 3. 594. & Dod. Pempt. 134.

Sponte occurrit in umbroſis Pannoniæ, Auſtriæ; item in Italia ſub Olea & locis cultis, ut & circa ſepes. Colitur in hortis, floret vere & æſtate.

Miraculoſam hanc radicem ad conſolidationem & conjunctionem carnium & oſſium eſſe tradit ANGUILLARA.

TATARIA HUNGARICA.

Eſt radix Tatariæ Hungaricæ edulis I. B. radix craſſiſſima & longiſſima bracchialis craſſitudinis & cubitalis longitudinis aut etiam amplioris.

a TOURNEFORTIO ad Cachrym refertur.

Cachrys Ungarica Panacis folio. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 7. g. 1.
Tataria Ungarica edulis, Panacis Heraclei folio, ſemine Libanotidis Cachryophora. I. B. 3. 2. 163.

In Ungaria & Tartaria invenitur.

Naſcitur

Maximo eſt in uſu apud Tartaros, nam absque ea, per magna

magnas illas ſolitudines, in quibus nihil edule reperitur, iter facere non poſſent, itaque ea nata ſuas peregrinationes inſtituere ſolent. A Tartaris forte hujus radicis uſum edocti ſunt Ungari, proptereaque nomen illi dederunt. Ungari in annonæ caritate & inopia alterius panis loco utuntur hac radice.

RADICES CONSTANTES MUCAGINE TENUIORE PAUCIS FIXIS SALINIS.

Carduus Eryngoides.
Juncus floridus.
Liliaſtrum.
Lyſimachia Chamænerion.
Ornithogalum ſpicatum.

CARDUUS ERYNGOIDES.

Eſt Cardui Eryngoidis capite ſpinoſo Proſp. Alp. Exot. 158. & Tourn. Cor. I. R. H. radix craſſa, carnoſa.

Naſcitur in Creta.

Juncus

Indigenæ hac radice libentiſſime & cruda & cocta veſcuntur, libidiniſque excitamentum eſſe affirmant.

JUNCUS FLORIDUS.

Eſt Junci floridi majoris C. B. Pin. radix juncea, craſſiuſcula, nodoſa, albicans, ſaporis glutinoſi.

Radix

JUNCUS FLORIDUS vocatur etiam BUTOMUS, quoniam Boves folia hujus plantæ adamant. JUNCUS CYPERINUS FLORIDUS. Blüende Bintzen/Bintzenſchwertel.

Eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis majoribus & minoribus, in orbem poſitis plerumque conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ, in cornu utplurimum deſinentes, ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibus fœtæ plerumque oblongis.

Butomus flore roſeo. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 6. g. 10. Butomus. Cæſalp. 553. Juncus floridus major. C. B. Pin. 12. Juncus floridus. 2. 524. Gladiolus aquatilis. Dod. Pempt. 601.

Butomus flore albo. Tourn. l. c. Juncus floridus major flore albo. H. R. Par.

Floret Junio in piſcinis & ad fluminum ripas.

Radix hæc gaudet virtute ſubadſtringente deterſiva atque aperitiva. Laudatur ad morſum ſerpentum.

LILIASTRUM.

Eſt Phalangii magno flore C. B. Pin. radix, conſtans e multis fibris albis, longis, Phalangii & Ellebori radicibus ſimilibus, Liliorum modo guſtu glutinoſa.

Ejus

LILIASTRUM quaſi planta ad Lilium accedens. LILIAGO. PHALANGIUM FLORE LILII. LIS DE St. BRUNO.

TOURNEFORTIUS peculiare plantæ genus conſtituit ſub nomine Liliaſtri.

Liliaſtrum eſt plantæ genus, flore Liliaceo, ex petalis ſex compoſito, ad Lilii vulgaris formam accedente: ex floris autem meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, trifariam dehiſcentem, in terna loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum anguloſis. His notis addendæ ſunt radices Napiformes, ab uno capite pendentes.

Lilia-

Liliaſtrum Alpinum minus. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 4. g. 2. Phalangium magno flore. C. B. Pin. 29. Phalangium flore Lilii. I. B. 2. 636. Phalangium Allobrogicum majus. Clus. Hiſt. App. 2.

Sponte occurrit in montibus Rhaeticis & Alpibus Allobrogicis. Floret Majo in hortis.

Ejus radices hinc inde pro veri ruſci radicibus a Rhizotomis divenduntur, unde multa Pharmacopolia non ſine inſigni errore easdem pro ruſco revendunt, cum tamen utriusque radicum ſapor uniusmodi non ſit. Hoc Medicos animadvertere oportet, nec adeo temere imperitis herbariis & Pharmacopœis plerisque fidere. Gaudent alias hæ radices virtute attenuandi & incidendi, carminativa atque diuretica.

LYSIMACHIA CHAMÆNERION.

Eſt Lyſimachiæ Chamænerion dictæ, latifoliæ C. B. Pin. radix alba, longe lateque repens, guſtu inſipido viſcoſoque.

Aqua

Chamænerion a vocibus Graecis χαμαὶ & νήριον, quaſi Nerion humile, Lysimachia Speciosa Siliquosa. Antoniana Herba, Herba St. Antonii. Onagra, Oenothera, Onuris, Igniaria, Feurkrauth / Federlinkrauth.

Chamænerion eſt plantæ genus, flore roſaceo, quatuor plerumque petalis in orbem poſitis conſtante. Ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, non raro quadrifariam dehiſcens. Calyx autem cylindriformis, quatuor foliis utplurimum inſtructus, abit in fructum in quatuor loculamenta diviſum, quadrifariam etiam apice dehiſcentem, multo ſemine fœtum pappis inſtructo, placentæ affixo, quatuor alis ſeu diſſepimentis donatum.

Cha-

Chamænerium latifolium vulgare. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 8. g. 6. Lyſimachia Chamænerion dicta latifolia. C. B. Pin. 245. Lyſimachia ſpecioſa quibusdam, Onagra dicta ſiliquoſa. I. B. 2. 906. Onagra Lugdunenſium. 865.

Floret æſtate juxta ſylvas in humidioribus.

Aqua, in qua radix maduerit, in potu data, auctore DIOSCORIDE feras mitigat & cicures reddit, illita quoque maligna ulcera mulcet. Radix hæc arefacta vinoſum quiddam redolet, ſed & facultatis vini eſt maxime, ut J. BAUHINUS habet.

ORNITHOGALUM SPICATUM.

Eſt Ornithogali anguſtifolii majoris, floribus ex albo vireſcentibus C. B. Pin. bulbus, albus, ſubdulcis.

ASPHODELUS BULBOSUS, ORNITHOGALUM SPICATUM FLORE VIRENTE. ORNITHOGALUM MAJUS, ASPHODELUS HYACINTHINUS FORTE GALENI.

Ornithogalum anguſtifolium, floribus ex albo vireſcentibus. C. B. Pin. 70. Aſphodelus bulboſus Dodonæi, ſive Ornithogalum ſpicatum flore virente. I. B. 2. 627. Ornithogalum majus. 1. Clus. Hiſt. 186.

Prope Genevam paſſim oritur: Floret Majo & Julio aut paulo ſerius in hortis.

Groß.

Hæc radix facultatem habet attenuandi atque aperiendi. Proinde quidam pro ſummo remedio ipſius aſparagum ictero laborantibus exhibent. Uſtæ autem cinis calidior & exſiccantior ſubtiliorque ac digerere potentior efficitur, ac proinde & alopecias ſanat.

RADICES

RADICES PARTICULIS TERREIS CONSTANTES.

Biſtorta Alpina maxima.
Caryophyllata nutante flore.
Erinacea.
Gallium montanum Creticum.
Geranium ſanguineum.
Guayava.
Halimus.
Nigellaſtrum.
Paliurus.
Quinquefolium album.
Quinquefolium fragiferum.
Scirpus.
Sparganium.
Tormentilla Alpina.
Uva Quercina.

BISTORTA ALPINA MAXIMA.

Eſt Biſtortæ Alpinæ maximæ C. B. Bin. radix, quadruplo quam in vulgari major, contorta, geniculata, fibris capillata, foris nigricans, intus alba.

Pari

Groß Berg-Natterwurtz.

Biſtorta Alpina maxima. C. B. Pin. 192. & Prodr. 100. & I. B. 3. 539.
Sectatur altiſſima ſudetorum juga.

Pari cum Biſtorta vulgari gaudet virtute.

CARYOPHYLLATA NUTANTE FLORE.

Eſt radix Caryophyllatæ aquaticæ nutante flore C. B. Pin. fibroſa, maxima, extrinſecus rubens nonnihil, intus alba, ſaporis adſtringentis & ſubdulcis.

Caryophyllata Aquatica, Caryophyllata Palustris, quoniam locis udis creſcit, Caryophyllata Montana, quoniam in montibus reperitur. Herba Benedicta Sylvestris. Berg-Benedictenwurtz/ Waſſer-Benedictenwurtz.

Caryophyllata aquatica nutante flore. C. B. Pin. 321. Caryophyllata aquatica flore rubro ſtriato. I. B. 2. 398. Septentrionalium rotundifolia papposo flore Caryophyllata. Lob. Icon. 694.
Udis montium receſſibus æſtate floret.

Opitulatur hæc radix Dyſentericis.

ERINACEA.

Eſt Geniſtæ Erinaceæ radix I. B. magna atque lignoſa.
Radix

Erinacea dicitur quoniam Erinaceum animal terreſtre, dum in orbem ſe contrahit, aculeorum & ſpinarum intervallo plane æmulatur. Genista Spinosa Humilis.

Erinacea eſt plantæ genus a Geniſta Spartio diverſum, quod aculeis denſis Erinaceum ſeu Hyſtricem referat.

Erinacea

Erinacea Hiſpanica. Tourn. I. R. H. cl. 22. ſ. 1, g. 5. Erinacea. Clus. Hiſt. 107. Geniſta Erinacea. I. B. 1. 403. Geniſta Spartium ſpinoſum foliis Lenticulæ, floribus ex cæruleo purpuraſceentibus. C. B. Pin. 394.

Naſcitur regno Valentino.

Radix hæc ut & flores ac ſiliquæ gaudent virtute adſtringente atque exſiccante. Conducunt in alvi fluxibus & hæmorrhagiis.

GALLIUM MONTANUM CRETICUM.

Eſt Gallii montani Cretici Proſp. Alp. radix longa, craſſa, lignoſa, in tres alias diviſa, ſaporis adſtrictorii.

a TOURNEFORTIO ad Aparinem refertur.

Aparine græca ſaxatilis incana tenuifolia. Tourn. Cor. I. R. H. Galium montanum Creticum. Proſp. Alpin. 167.

Naſcitur & abundat in Creta inſula.

Paſtores Cretenſes hac planta coaguli vice, ad lac coagulandum familiarius uti ſolent, quod id quàm noſtrate efficacius præſtat.

Radix, ut & flores, profluvium ſanguinis ſiſtit, daturque idcirco ſanguinem quomodolibet rejicientibus, dyſentericis ac uteri fluxionibus. Flores igne ambuſtis utiliter illinuntur, & aliqui affirmant radicem Venerem concitare, ſi per os aſſumatur.

GERA-

GERANIUM SANGUINEUM.

Eſt radix Geranii ſanguinei maximo flore C. B. Pin. craſſa, multis

multis longis craſſiuſculis appendicibus aucta, rubra, guſtu admodum adſtringente.

GERANIUM HÆMATODES, γεράνιον αἱματῶδες ſive SANGUINEUM dicitur, tum a radicis ſanguineo intus & foris colore, tum a mirifica ejus in ſiſtendo ſanguine facultate. Dicitur etiam SANGUINARIA RADIX, Blut-Rößlin.

Geranium ſanguineum maximo flore. C. B. Pin. 318. Geranium ſanguineum ſive hæmatodes craſſa radice. I. B. 3. 418. Geranium vij. αἱματῶδες. Cluſ. Hiſt. cij.

Floret Majo in dumetis & ſylvis cæduis, ad margines quoque agrorum & in vepretis copioſe gignitur, præſertim in Pannonia & Auſtria.

μελάνθιον

Radix hæc ſiccandi & adſtringendi vi eſt prædita. Datur ruptis; convulſis, dyſentericis. Ad ſanguinem undecunque promanantem præſtans habetur.

GUAYAVA.

Eſt Guayavæ Cluſii radix quinque aut ſex ulnarum longitudinem ſæpe ſuperans extus rufi intus albicantis coloris, ſubſtantiæ ſucculentæ & ſubdulcis.

Hæc cum cortice adſtringente in aqua cocta & pota mirifice medetur dyſenteriæ, quando indicatio eſt adſtringendi & roborandi.

HALIMUS.

Eſt Halimi latifolii ſive fruticoſi C. B. Pin. radix dura, lignoſa, & in multos ramos ſparſa.

Radix hæc drachmæ pondere in aqua mulſa pota, tormina diſcutit, ruptaque & convulſa mitigat, in pulvere aut in decocto ſumpta, lac quoque copioſius gignere fertur.

NIGEL-

NIGELLASTRUM.

Eſt Lychnidis ſegetum majoris C. B. Pin. radix ſimplex & alba.

Μελάνθιον ἐκ τῶν πυρῶν, MELANTHIUM EX TRITICO, NIGELLASTRUM, PSEUDOMELANTHIUM, LOLIUM, QUIBUSDAM GITHAGO. Raden/ Ratten/ Korn-Roſen/ Korn-Nägelein/ Korn-Raden/ wild Marien-Roſen/ Nichel/ NIELLE DES BLEDS.

Eſt ſpecies Lychnidis, nempe

Lychnis ſegetum major. C. B. Pin. 204. Pſeudomelanthium. I. B. 3. 341. Nigellaſtrum. Dod. Pempt. 173.

Naſcitur in agris inter ſegetes Majo & Junio cum flore viget.

Radix Nigellaſtri in ſiſtenda hæmorrhagia maximopere commendatur a SENNERTO. Uſus eſt, ut linguæ ſubdita ægri ore aliquandiu detineatur. Hujus radicis ſtupendam vim expertus fuit in hæmorrhagiis Epidemicis per Daniam ſævientibus SIMON PAULI, adeo ut Magum aut Dæmonem eum quidam ſuſpicarentur.

PALIURUS.

Eſt Paliuri Dod. Radix.

PALIURUS, RHAMNUS FOLIO JUJUBINO.

Nonnullis SPINA CHRISTI dicitur, quoniam coronam ſpineam, qua ſervatoris noſtri tempora violabantur, ex ea nexam fuiſſe autumant. PALIURE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, è cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum cyperiformem, oſſiculo fœtum fere globoſo, in tria loculamenta diviſo, in quibus adſunt nuclei ejusdem formæ.

Paliurus. Dod. Pempt. 756. Rhamnus folio ſubrotundo fructu compreſſo. C. B. Pin. 479. Rhamnus ſive Paliurus folio Jujubino. I. B 1. 35.

Sponte provenit in incultis Galliæ Narbonenſis & Italiæ. In hortis floret Junio.

Radix adſtringit, ventrem fluentem cohibet, digerit & Phymata curat.

QUINQUEFOLIUM ALBUM.

Eſt Quinquefolii albi majoris C. B. Pin. radix multis fibris donata.

PENTAPHYLLUM MAJUS CANDIDUM, QUINQUEFOLIUM TRAGI. Groß weiß Fünffinger-Krauth.

Quinquefolium album majus alterum. C. B. Pin. 325. Pentaphyllon album. I. B 2. 398. Quinquefolium 1, majus albo flore. Clus. Hiſt. CV.

Juxta CAMERARIUM in ſaxis ingentibus & ſaxoſis locis naſcitur. Juxta SCHWENCKFELDT in Sileſiæ Sylvarum umbroſis ac humidis locis vigere obſervatur. Colitur in hortis, floret æſtate.

PENTA-

Adſtringit, ſiccat, roborat, repellit. Radix ſubtilium eſt partium. Ea omnia præſtare poteſt (ſi MATTHIOLO credimus) quæ pentaphyllon vulgare repens, quo tamen adſtringentior eſt.

QUINQUEFOLIUM FRAGIFERUM.

Eſt Quinquefolii fragiferi C. B. Pin. radix plurium capitúm, craſſiuſcula, lignoſa, cortice ſaturatius rubente adſtringente tecta.

Radix

PENTAPHYLLUM FRAGIFERUM a capitulo fragam ferente, Stechend oder Aufferecht-Fünfffingre-Krauth / Erdbeer-Fünfffinger-Krauth.

Pertinet juxta TOURNEFORTIUM ad Pentaphylloidis genus, cujus Characterem vide ſub Anſerina.

Pentaphylloides erectum. I. B. 2. 398. Quinquefolium fragiferum. C. B, Pin. 326. Quinquefolium v. fragiferum. Clus. Hiſt. cvij.

Naſcitur ſponte in Pannonia non modo in ſylvis cæduis ſed etiam gramineis campis. Floret Majo & Junio, ubi & ſemine fragorum inſtar exornatur.

Radix, ut SCHWENCKFELDT perhibet, ſiccandi & adſtringendi vim obtinet.

SCIRPUS.

Eſt Junci maximi ſive Scirpi majoris radix, craſſitudinis fere cubitalis, geniculata per terram repens, cortice atrorubente intecta intus; ex qua Scirpi ſeu Junci hominis altitudinem ſuperantes, minimi digiti craſſitie, virides (qui exſiccati albeſcunt) rotundi, enodes, medulla candida molli & fungoſa farcti attolluntur, quorum cacuminibus Scirpis reclufis petioli intus canaliculati, fibris teretes extenduntur, qui ſummo apice floccos ſeu paniculas ruffas, inæquales, ſquamatim compactas metæ figura, inferne latiores ſuperne acutiores ſuſtinent. Semen milii magnitudine, triangulum altera parte compreſſum, altera dorſo elato ſuccedit.

Summi-

SCIRPUS a Sirpo id eſt ligo; JUNCUS a Jungendo ſeu ligando ad quod inſerviunt junci enodes, unde proverbium nodum in Scirpo quærit. JUNCUS MAJOR PALUSTRIS. JUNCUS GRANDIS. HOLOSCHÆNOS JUNCUS. LÆVIS AQUATICUS

cus MAXIMUS. Groſſe Weyer-Bintzen / JONC GRAND. Seeſembden-Pferdbintzen.

Scirpus eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, in capitulum ſquammoſum collecto: in ſquammarum autem alis oritur piſtillum, quod deinde abit in ſemen triangulare in capitulum pariter collectum. His notis addendi ſunt caules nequaquam triangulares. Scirpus differt a Cypero caule nequaquam triangulari, a gramine vero, ſeminibus triangularibus, tum capitulis ſquamoſis ex locuſtis non conſtantibus.

Scirpus paluſtris altiſſimus. Tourn. I. R. H. c. 15. f. 4. g. 2. Juncus maximus ſive Scirpus major. C. B. Pin. 12. Juncus maximus Holoſchænos I. B. 2. 522. Juncus paluſtris major. Tabern. Icon. 249.

In fluminibus piſcinis & ſtagnis majoribus aquas ſemper habentibus invenitur. Ob fungoſam & foraminulentam medullam leviſſimo vento facile hinc inde inſtar Arundinis vulgaris agitatur.

Summitates, ſemina & inprimis etiam radices virtute gaudent adſtringente & paululum narcotica. Alvum & crebra fœminarum profluvia aliasque hæmorrhagias ſiſtunt.

Ad triclinia inſternenda utilis item ad tegetes ſcabella pedum ad cathedrarum ſedes, ſportas &c. Inter Indos ad tapeta, ſtragula, pileos &c.

SPARGANIUM.

Sunt radices Sparganii C. B. Pin nigricantes atque fibroſæ ſaporis adſtringentis & exſiccantis.

Radix

Σπαργάνιον ἀπὸ τῶν σπαργάνων faſciolis, quod foliis ejus latis & vitilium modo lentis pro faſciis nutrices utantur, vocatur etiam BUTOMON, PLATANARIA a fructuum cum Platani pilulis ſimilitudine. Riedgraß/ Degenkrauth/ Schwertel-Ried / Igels-Knoſpen.

Eſt

Eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ſed ſterili. Embryones enim in glomerulis naſcuntur a floribus ſeparatis, & deinde abeunt in capſulas ſeu oſſicula nunc unicapſularia, nunc bicapſularia, nucleo quodam farinaceo plerumque fœta, in capitulum collecta, thalamoque affixa.

Sparganium ramoſum. C. B. Pin. 15. Sparganium quibusdam. I. B. 2. 541. Platanaria ſive Butomon. Dod. Pempt. 601.

Sparganium non ramoſum. C. B. Pin. 15. Sparganium alterum. I. B. 2. 541. Platanaria altera. Dod. Pempt. 601.

Paluſtribus & rivulis tarde fluentibus oritur.

Radix hæc vel in pulvere vel in decocto uſurpatâ virtute dicitur gaudere alexipharmaca & diaphoretica. Celebratur contra morſus ſerpentum.

Foliis, faſcias latitudine ſua & flexibilitate referentibus, Ruſtici ad ſtoreas & tegetes texendas utebantur.

TORMENTILLA ALPINA.

Eſt Tormentillæ Alpinæ vulgáris majoris C. B. Pin. radix non tantum brevis & nodoſa, ſed prælonga bracchiataque, rubra & odorata.

TORMENTILLA ALPINA vocatur etiam TORMENTILLA MAXIMA, groſſe Tormentillwurtz / Rothwurtz.

Tormentilla Alpina vulgaris major, C. B. Pin. 326. Tormentilla montana. Camer. Epit. 685.

In locis montoſis, Alpibus provenit. Reperitur, ut SCWENCKFELDT ait, ad lacus Suditorum, nec non circa Gigantæum.

Uva

Radix hæc venenis reſiſtit, dyſenteriam contagioſam & omnes ſanguinis eruptiones compeſcit. Herpetes, ſtrumas durities ſanat. Peſtilentibus morbis commoda, fortiter enim

putredini adverſatur & ſudores movet. Idcirco antidotis & magnis compoſitionibus utiliter additur.

UVA QUERCINA.

Radicum Quercus fibris ſub terra adnaſcitur & circumnaſcitur juglandis magnitudine expluribus veluti acinis racematim cohærentibus compacta, ſubſtantia dura intus rubentis ſeu ferruginei coloris, meditullio nonnihil albo, ſapore inſigniter acerbo & adſtringente.

Uva quercina dicitur a forma, Eichtraub.
In vetuſtis præprimis quercubus ad caudicem præcipue autumno naſcitur ſpongioſum hoc excrementum.

Avæ-

Uvæ Quercinæ pulvere nihil (expertus loquor inquit Encelius) præſentius in dyſenteria & in omni fluxu ſanguinis. Deſperatos dyſentericos aliquot curavi illa uva quercina, merito ergo digna eſt omni laude. SOLENANDER teſtatur ſuccum Uvæ quercinæ magno ſolatio illiniri podagricis.

CAPUT SECUNDUM
DE
CORTICIBUS.

CORTEX CONSTANS SALE VOLATILI OLEOSO.

ANAGY-

ANAGYRIS FOETIDA.

Eſt Anagyridis fœtidæ C. B. Pin. cortex ex viridi nigricans, materiem pallidam cingens.

Ἀνάγυρις, Ἀνάγυρος, ARBOR FOETIDA HERBARIORUM FABA INVERSA, quo nomine Venetiis in aromatariorum officinis ſemen ejus ex Creta delatum proſtat, Baum-Bohnen / Gewant-Bohnen / Stinckend Baum / BOIS PUANT.

Eſt plantæ genus, flore papilionaceo, cujus vexillum cæteris petalis longe brevius eſt, piſtillum autem, quod ſurgit e calyce, abit deinde in ſiliquam Phaſeoli ſiliquæ æmulam, ſeminibus fœtam utplurimum reniformibus. His notis addenda ſunt folia terna ſingulis pediculis innaſcentia.

Anagyris fœtida. C.B.Pin. 391. Anagyris vera fœtida. I. B. 1. 364. Anagyris. Dod. Pempt. 785.

Sponte naſcitur in montoſis Italiæ Sciliciæ & Hiſpaniæ locis. Colitur in hortis, floret Majo.

ESULA

Cortex hic imprimis radicis concoquendis diſcutiendisque adhibetur.

CORTICES SALE FIXO AMARISSIMO CONSTANTES.

Eſula major.
Platanus.
Sambucus aquatica.

CORTEX ESULÆ MAJORIS.

Eſt radix Tithymali paluſtris fruticoſi C. B. Pin. lignoſa,

candidaque; non brachii modo humani craſſitudinem obtinens, ſed & ſuræ nonnunquam ſuperans.

ESULA MAGNA, ESULA DENDRODES ſeu ARBORESCENS, TITHYMALUS FRUTICOSUS GERMANICUS, ESULA MAJOR GERMANICA, TURBIT NIGRUM & ADULTERINUM, Groß-Teuffelsmilch / Waſſer-Wolffsmilch.

In Germania ad ſabuloſas flumimum crepidines, floret Majo & Junio.

Tithymalus paluſtris fruticoſus. C. B. Pin. 292. Tithymalus magnus multicaulis, ſive Eſula major. I. B. 3. 671. Eſula major. Dod. Pempt. 374.

MESUES Eſulam purgatorium ruſticorum eſſe ſcribit, & majorem viſcera interna exulcerare atque eam ob cauſam pernicioſam eſſe monente DODONÆO. Impenſe calida eſt & acris & exulcerans, ventriculoque moleſtiſſima. Errant vero non parum, qui cortices harum radicum in medicamentorum compoſitionibus Turbith loco ſubſtituere temere audent.

CORTEX PLATANI.

Eſt Platani C. B. Pin. cortex lævis, corio ſimilis, ſubinde ſingulis menſibus exteriores & ſcabriores tunicas exuens, unde ſemper ſub arbore hac adulta ſtrati conſpiciuntur cortices.

Cortex

Πλάτανος, dicta a πλάτος a latitudine ſoliorum vel ἀπὸ τοῦ πλάτεος quoniam eſt patulis diffuſa ramis. Dicitur & PLATANISTUS, quod ſit πλατύφυλλος. PLATANISTUM tamen ſunt, qui a Platano per diminutionem proferri putent. Vocatur quibusdam Frembd Ahorn / PLATANE, PLANE.

Eſt arbor flore amentaceo, glomerato, plurimis ſtaminibus conſtante ſed ſterili, tener autem fructus embryonibus turgidus, abit

abit deinde in majorem globum ſemine fœtum cum intermixta lanugine.

Platanus Orientalis verus. Parck. 1427. Platanus. C. B. Pin. 431. & I. B. 1. 170. & Dod. Pempt. 842.

In Creta inſula, Lemno, item in monte Atho, nec non in Caſtagna Macedoniæ: monte inque Tauro Aſiæ & alibi ſponte provenit. Gaudet riguis & paluſtribus aquarumque ripis. Coluntur in viridariis magnatum præſertim.

Cortex hic in aceto coctus ad dentium dolores colluitur, & e vino ſcorpionum ictus reſtinguit. Sunt qui cum cortice combuſto medicamen deſiccatorium & abſterſorium efficiunt, ut cum aqua lepras ſanet, per ſeſe autem illitum ob humorem nimium ulcera vetera & ſordida.

In monte athos, obſervante BELLONIO, cymbas ex magnis truncis Platani & ſine magno labore & ſumptu parant, unam quamque cymbam ex ſolo trunco, parant. Dejiciunt arborem juxta radicem deinde truncum cavant & formant inſtar cymbarum.

Corticis quoque decoctum illinitur collectionibus & ſuppurationibus.

CORTEX SAMBUCI AQUATICÆ.

Eſt Sambuci aquaticæ C. B. Pin. cortex cinereus, amari & adſtringentis ſaporis.

Amarus

Ἀκτὴ ἔνυδρος, θραύπαλος, SAMBUCUS AQUATICA ſive PALUSTRIS, OPULUS, quod viti ferat opem, OBIERUS, OPIERUS, SAMBUCUS ROSEA. Waſſerholder/Bachholder/Schwelcken/ Schwelckenbaum/ Maßholder/ Schneeballen/ Kalinckenbaum/ Talinckenbeer. OBIER, OPIER.

Eſt arbor flore monopetalo, ſed multiplici, alius enim ad muſcarii

ſcarii circumferentiam poſitus rotatus eſt, perfoſſus in meditullio a piſtillo calycis & ſterilis. Alius vero pelviformis a cacumine calycis in meditullio etiam perfoſſus; hujus vero calyx abit in fructum ſeu baccam mollem, ſemine fœtam cordiformi & compreſſo.

Opulus Ruellii. 281. Sambucus aquatica flore ſimplici. C. B. Pin. 564. Sambucus aquatica. I. B. 1. 552. Sambucus paluſtris. Dod. Pempt. 846.

Opulus flore globoſo. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 6. g. 2. Sambucus aquatica flore globoſo pleno. C. B. Pin. 456. Sambucus roſea. I. B. 1. 553. Sambucus roſea ſive aquatica. Lob. Icon. 201.

Naſcitur prior ſpecies in ſylvis & dumetis & umbroſarum amœnarumque riparum, quas blande rigant aquæ accolæ, communiter inter alnos viſitur in Germaniæ Galliæ, Angliæ, Italiæ, Pedemontiumque pratenſibus udis convalliumque marginibus, floret Majo. Altera ſpecies colitur in hortis.

ARBOR

Amarus Corticis ſapor, ſubadſtringens & deterſorius virtute gaudet aperitiva & parumper laxante.

CORTEX SALE FIXO DIURETICO CONSTANS.

AZEDARACH.

Eſt Azedarach Dod. cortex ſcaber, atque rimoſus.

Deco-

ARBOR SANCTA, quoniam ex nucleis globulos precatorios ſolebant conficere. AZADARACHENI.

Eſt arbor flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, è quorum meditullio ſurgit tubus piſtillum condens, quod e fundo calycis prodit. Piſtillum autem abit deinde in fructum fere globoſum, mollem, oſſiculo fœtum plerumque

ſtriato,

ſtriato, in plurima loculamenta diviſo, ſemen comprehendentia oblongum.

Azedarach. Dod. Pempt. 848. Arbor fraxini folio flore cæruleo. C. B. Piu. 415. Azadaracheni arbor. I. B. 1. 554.

Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Decoctum hujus corticis cum Fumaria & Myrobalanis confert colicæ. Sed non uſurpari debet.

CORTEX PARTICULIS TERREIS CONSTANS.

SIMAROUBA.

Eſt arbóris Simarouba dictæ cortex, coloris ex albo flaveſcentis, odoris nullius, ſaporis ſubamari, lenteſcentibus fibris conſtans, candido leviſſimo inſipidoque radicum, ſtipitum, truncique ligno hærens, a quo facile ſeparatur.

Guiana Franciæ æquinoctialis inſula hunc corticem præbet, de quo celeberrimus Botanicus DN. ANTONIUS DE JUSSIEU, MEDICINÆ DOCTOR, REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ, REGIARUMQUE SOCIETATUM ANGLIÆ AC PRUSSIÆ SOCIUS & BOTANICUS IN HORTO REGIO PARISIENSI PROFESSOR AC DEMONSTRATOR, IN DISPUTATIONE QUODLIBETARIA. d. 16. Febr. 1730. habita ita diſſerit.

LIGNUM

Cortex ex arbore, Simarouba apud incolas ſupra dictæ inſulæ, nuncupata, parem jam quindecim abhinc annis apud nos, quam apud Guianenſes effectum conſtanter præſtat. Decoctus primum ad unciam unam aut ſemiſſem in minima aquæ copia, ſic apud nos ut in Guiana propinatus,

vo-

vomitus ſæpe, incommodosque fere ſemper ſudores & majora nonnunquam ſeri ſanguinisque profluvia promovit, quo factum eſt, ut pene oblivioni datum ſit; ſed correctis doſibus experientia rerum magiſtra ſalubritatis punctum attigit. Corticis nimirum minutim ſecti drachmas duas in aquæ libris duabus ad tertiæ humiditatis conſumptionem decoque, decocti in doſes quatuor diviſi unam tertia quaque hora tepidam propina, vel corticis aut ligni pulveratorum drachmam ſemiſſem in aquæ puræ unciis duabus dilutam, aut cum Adianthi ſyrupo in bolum redactam pro una doſi, hora opportuna præbe, repetitis hujus medicaminis ſub qualibet forma doſibus ad integram usque ſanationem. Perficitur illa absque ullo decocti potus faſtidio, ulla per vomitum, vel per ſeceſſum evacuatione; ſedantur tamen unius diei ſpatio dolorum cruciatus, redit cito ſomnus, urinæ fiunt copioſiores & limpidæ, rariores evadunt evacuationes, fecum odor fœtidus ceſſat, color immutatur e liquidis incraſſeſcunt, cibos æger appetit, & brevi reficitur. Admirandæ virtutis cauſam ſuſcitaris; in ipſa Guianei corticis cum ſpasmodici inteſtinorum motus ratione reperies. Hic præternaturalis habetur, nonniſi, quia vel citatior vel irregularis, nec voluntati obtemperat, mero ſucci nervei vitio, cujus non modo depravationem corrigendi, ſed & motus frequentiam coercendi Gummi reſinoſæ Simaroubæ partes vim habent. Quid contra morbi ſacri, hyſtericæ & melancholicæ affectionum convulſivos motus aliud præſtare valent celebrata medicamenta Viſci arborum, Pœoniæ, Aparines, ac Gallii pulveres aut decocta? Quove tendunt leviter narcotica, Croci filamenta, Cynogloſſi radix, Lactucæ ſylveſtris folia, Papaverum capita, & Hyoſcyami albi Stramoniique ſemina? ſi convulſivos illa cæterarum parti-

um

um motus ſiſtant, quidni & inteſtinorum ? id Simároubæ peculiare eſt præ cæteris, ut dum illa convulſivos motus curant, functiones alias lædant; his ſalvis illos ſolus Guianeus cortex ſanat: imo dum inteſtinis in decocto propinatus Balſamum ſuppeditat, ſtomachum etiam immoderatis alvi fluxibus debilitatum corroborat, ciborum appetentiam excitat, eorumque digeſtioni amaris inciſivisque partibus favet, nec non & eroſæ inteſtinorum membranæ interiori ſublatum ab acrioribus excrementis mucum reſtituit. Novo ergo efficaciſſimoque medicamine ſimplicium claſſis hoc cortice locupletior fiet, cum ſingulari virtute antiſpasmodica, ſtomachica, narcoticave vulgaria præcellat, cum adſtringentia longe ſuperet, quæ non impune fluentibus hæmorrhoidibus aut mulierum catameniis interius præbentur, feliciterque hauſto Simaroubæ decocto, ceſſante noxio alvi fluxu evacuanda, fluentiaque cætera libere ac ſecure eliminentur; unde & antihyſterica vi plerumque pollere pluribus experimentis probatum eſt. Abſit tamen ne Empiricorum more hoc unicum efficax certo remedium univerſis alvi fluxibus, convulſivisque motibus pronunciemus: cum ſerobilioſas, mucoſas, ſanguinolentasque ex cancroſo inteſtinali ulcere, vel ex pulmonum abdominisque abſceſſu excretiones curatu impoſſibiles bona fide agnoſcamus. Naturali medicaminis efficaciæ unum addamus ad perfectam ægri curationem obſervandum neceſſario, nempe & in ejus quacumque alia inveterata excretione uſu applicando prudentiam, & in arboris cortice aut ligno eligendo, & in eo decocti vel pulveris forma adminiſtrando, pro varia ægrorum ægritudinumque ratione, nec non de doſi præfiniendа temere non ſtatuendum, cum evacuatis jam ſtomachi primarumque viarum ſordibus factum mitius malum ſemi-

drachmæ ligni pulverati uni vel alteri doſi quandoque cedat, & contra accedente cacochymia ad ſæva morbi ſymptomata nonniſi pluribus repetitis decocti corticis doſibus vincatur. Præſentaneorum medicaminum ea eſt ſors, ut in ſcenam medicam vix proferantur, quin innumeris telis oppugnentur; patentis efficaciæ laus perſæpe ſubdolis rationibus minuitur : ſic non ſine convitiis Cortex Peruvianus felicem ſibi aditum in ſimplicium medicamentorum familiam fecit. Cognita jam Ipecacuanhæ virtute, ſi non inutilem tantum, ſaltem ei ſuccedaneum concedunt eſſe Simaroubam, nullo utriusque facto agendi diſcrimine, nullaque obſervata alvi fluxuum differentia. Dyſenterias vel ab infarcto ſtomacho vel ab obſtructis meſenterii aut inteſtinorum glandulis excretiones vomitu curare Braſilianæ radici detur; Cortici Guianeo ſeroſobilioſos, ſanguinolentos, mucoſosque alvi fluxus a continuo inteſtinorum convulſivo motu inveteraſcentes, illæſa ſtomachi functione & absque morſu ſedando ſanare concedatur. Spasmodicis inteſtina motibus affici poſſe quis neget, frequenti excretorum præcipitatione, viſcerum torminibus, recti tenesmo, ſymptomatumque ſubita poſt hauſtum medicaminis anodyni potum ceſſatione convincatur, ſi novam hanc proximam diarrhœæ fluxusque hepatici cauſam agnoſcere nemini non licet; quidni ſoli exotico medicamini tribuendum, quod a noſtratibus antiſpasmodicis obtineri pariter non poterit? Horum uſu levamen certo, raro ſanationem perfectam conſequeris: horum inefficacia remedium præſtantiori virtute præditum deſiderari hactenus probavit. Nec primæ, nec alteri, nec tertiæ doſi nonnunquam malum cedere objicient forte, nonnullaque aliquoties redire morbi ſymptomata, ac indureſcentia, curationis initio excrementa interdum adhuc liqueſcere

ſcere & crueantri: quid hac in re occurrit, quod in probatiſſimi cujuscunque remedii uſu non accidat, ſi absque regimine non adminiſtretur? & licet unica Guianei corticis decocti aut pulveris doſi etiam rebelles diarrhœas ſanatas eſſe compertum ſit, num minoris ideo habendus, ſi nonniſi aliquando quartæ aut ſextæ doſis portione morbum viceærit? Diarrhœa aut dyſenteria pluribus a menſibus vel ab annis laborantium majorem numerum hoc medicamine incolumitatem citius certiusque quam ab ullo quolibet alio recuperaſſe ſufficit, idque absque ullo faſtidio, ſalvis cæteris functionibus, & ſine ullo futuri alius incommodi periculo. Hæcce de Simarouba Amicus atque Patronus meus Dn. de JUSSIEU; cui eo minus fidem denegare poſſum, quo magis de ſumma Viri dexteritate atque ſinceritate mihi conſtat.

CAPUT TERTIUM
DE
LIGNIS.

LIGNA CONSTANTIA SALIBUS OLEOSIS AROMATICIS.

Lignum Citri.
Lignum St. Luciæ.
Oxycedrus.

LIGNUM CITRI.

Eſt lignum arboris cujusdam Americanæ, ut LEMERY docet, in littore maris creſcentis, folia Laurina, flores Aurantii, odorem Jaſmini ſpargentes cum fructibus nigricantibus inſtar piperis obtinentis, compactum, ponderoſum, reſinoſum, coloris flaveſcentis aut Citrini odoris ad Citreum accedentis.

Lignum Citri ſive Lignum Jasmini, ab odore, Bois de Citron, Bois de Jasmin, Bois de Chandelle.

In magnis & mille libras pendentibus fruſtis advehitur. Inſervit variæ ſupellectili parandæ. Politum enim hoc lignum Cocos inſtar reſplendet. Americani hoc ligno in parva fruſta ſecto utuntur loco candelarum.

LIGNUM St. LUCIÆ.

Eſt lignum durum compactum, mediocriter ponderoſum, absque nodis, coloris gryſei ad rubicundum inclinantis, cortice tectum tenui, Ceraſorum Cortici ſimili, odoris grati.

Ad-

Lignum St. Luciæ, St. Lucien-Holtz. Bois de St. Lucie.

Diſputant authores inter ſe, de qua arbore depromptum ſit hoc lignum. Sunt qui ex Indiis adferri putant. Lemery dicit eſſe lignum Ceraſi ſylveſtris amaræ Mahaleb putatæ, I. B. cui aſſentitur Pomet, qui ſe hac in re confirmatum fuiſſe a Tournefortio aſſerit. Ipſe autem Tournefortius in I. R. H. dicit eſſe Lignum Ceraſi racemoſi ſylveſtris fructu non eduli. C. B. Pin.

Oxy-

Adhibetur hoc lignum multum ad variam ſuppellectilem parandam odoris gratia, qui odor cum vetuſtate ligni augetur.

OXYCEDRUS.

Eſt Cedri folio Cupreſſi, majoris, fructu flaveſcente C. B. Pin. lignum fuſcum, cortice ſubrubro tectum, odore Cupreſſi, grato.

Oxycredrus, quaſi diceres Cedrus foliis acutis, Κέδρος λυκία, Cedrus Lycia, Oxycedrus Lycia, Juniperus Major Folio Cypressi.

Cedrus eſt plantæ genus, flore amentaceo, plurimis ſcilicet foliolis, apicibus donatis, conſtante, ſed ſterili: fructus autem ſeu baccæ oſſiculis turgent angulatis, ſemine fœtis oblongo. His notis addenda ſunt folia Cupreſſi æmula.

Cedrus folio Cupreſſi, major, fructu flaveſcente. C. B. Pin. 487. Cedrus Lycia, retuſa Bellonio dicta. I. B. 1. 300. Oxycedrus Lycia. Dod. Pempt. 853.

In regionibus calidioribus Hiſpania, Italia, Gallo provincia, Languedocia &c. frequens occurrit.

Cedrus,

Virtute gaudet ſudorifera hoc lignum, præſertim ſi decoquatur. Per deſtillationem exinde obtinetur oleum nigricans fœtidum, quod dicunt eſſe OLEUM CADINUM VERUM, VERITABLE HUILE DE CADE. Medetur impetigini ſcabieique, & ſurditati medelam affert, & paſſionibus hyſtericis it obviam. Uſurpatur externe & interne. Doſis eſt ad guttas ſex. Fructus Oxycedri, qui ſunt baccæ carnoſæ odoris atque ſaporis grati & Cedrides appellantur ſtomachum roborant & digeſtionem promovent.

LIGNUM AMARISSIMUM & SALIBUS FIXIS CONSTANS.

CORNUS FOEMINA.

Eſt Corni fœminæ C. B. Pin. lignum durum oſſeumque corno minime cedens, virgis corno tenuioribus robuſtis nodoſis, corticis ſanguinis modo ruffeſcens.

Quæ ex hoc ligno Spindelholtz utenſilia & ruſtica inſtrumenta conficiuntur ea diu durant nec facile corrumpuntur teſte TRAGO. CAMERARIUS tradit Italos ex hoc ligno aquam elicere ad ſtrumas vel penitus diſcutiendas, vel ſaltim diminuendas.

Sunt qui dicunt, demorſos à cane rabido illico rurſus rabie exagitari, ſi Virgæ Sanguineæ manibus tamdiu teneantur, quousque concaleſcant.

LIGNA TERREIS CONSTANTIA.

Lignum Cedri.
Oſtryæ.

LIGNUM CEDRI.

Eſt Cedri coniferæ foliis Laricis C. B. Pin. lignum, colore undequaque ruffo, (qualem in Pyri ligno ſubinde conſpicimus) pectinibus rectis fiſſile, ſolidum ſatis, media tamen inter fibras ſpatia inania ut lignum quernum oſtendens, nullam cariem, nullam teredinem ſentiens.

Lignum

CEDRUS, Κέδρος παρὰ τὸ κέντρον, κεντρώδης γάρ ἐςι, ἢ παρὰ τὸ κάιεσθαι ῥαδίως; quod facile accendatur uraturque. Dicitur quoque ARBORUM REGINA, propter altitudinem & pulchritudinem Cederbaum / Cedern / CEDRE DU LIBAN.

Eſt ſpecies Laricis nempe.

Larix Orientalis fructu rotundiore obtuſo. Tourn. I. R. H. cl. 19. ſ. 3. g. 3. Cedrus conifera foliis Laricis. C. B. Pin. 490. Cedrus Tabern. Icon. 942. Cedrus magna ſive Libani conifera. I. B. I. 277.

In monte Libani elegantiſſima hæc arbor reperitur.

Lignum Cedri ad varia utenſilia aliaque adhibetur. Gaudet virtute ſudorifera ſive in pulvere ſive in decocto adhibeatur.

LIGNUM OSTRYÆ.

Eſt Oſtryæ Ulmo ſimilis C. B. Pin. lignum candidum, ſolidum ac firmum, cortice aſpero inæquali ac candido tectum.

Vix

OSTRYS, FRAXINUS FAGO SIMILIS, ORNUS TRAGI FAGUS SEPIUM, CARPINUS, quod facile carpatur, Hanbuchen / Buchäſcheren. CHARME.

Carpinus eſt plantæ genus flore amentaceo, plurimis nempe foliolis conſtante, axi ſquamatim affinis, quibus ſingulis ſubſunt multa ſtamina: Embryones autem in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur, inter foliola ſpicæ, abeuntque in fructum oſſeum plerumque umbilicatum, compreſſum, ſtriatum, nucleo fœtum e rotundo acuminatum.

Carpinus. Dod. Pempt. 841. Oſtrya Ulmo ſimilis, fructu in umbilicis foliaceis. C. B. Pin. 427. Fagus ſepium vulgo Oſtrys Theophraſti. I. B. I. 146.

Amat

Amat aquoſa loca & prærupta, Oſtrys paſſim in ſylvis & ſepibus occurrit. Nucamenta primo Vere profert.

FUNGUS.

Vix durius invenias lignum, candidum eſt, cum multa ſoliditate ac firmitudine. Ad rotas molares cochleasque ac trochleas aliaque inſtrumenta, quæ magnum pondus ſuſtinere requiruntur, maxime experitur.

Non magni facimus inquit J. BAUHINUS, quod Theophraſtus & ex eo Plinius tradit Oſtryn domui illatam infauſtam putari. Acerbas enim inferre mortes, & partus, ubicunque fuerit, difficiles reddere. Folia Carpini, nucamenta atque radix gaudent virtute adſtringente.

CAPUT QUARTUM DE FUNGIS.

Fungi Divi Georgii.
Fungi Piperini.

FUNGI DIVI GEORGII.

Eſt parva fungi ſpecies duarum unciarum amplitudinem vix æquans, orbiculari fere forma, ſuperne quidem aliquantulum extuberante & quodammodo pulvinata; interne vero concamerata & quibusdam veluti venis diſtincta, pediculo

craſſo

craſſo brevique coloris exalbidi, cui flavi quippam admiſtum ſit.

FUNGUS DIVI GEORGII, St.Georgen-Schwamm/dicitur, quia circa diem D. Georgio ſacrum invenitur.

Fungus orbicularis exalbidus pratenſis. C. B. Pin. 370. Fungi D. Georgii, coloris exalbidi, cum pauca flavitie, eſculenti, pratenſes. I. B. 3. 824. iij. Genus eſculentorum fungorum. Clus. Hiſt. CCLXIV.

Hic fungus in ſiccioribus atque paſcuis pratis creſcit aliorum fungorum modo præparandus: qui fungi repurgati ut plurimum elixari ſolent, & in fruſta concidi, quæ inter binas lances repoſita, inſperſo oleo olivarum vel butyro & Pipere addito, ſuper prunas coquuntur: aut cum larido injicitur juſculum ex lactis cremore paratum.

FUNGI PIPERINI.

Sunt fungi magni & lati campeſtres eſculentos mole ſuperantes, pro magnitudine tamen minus denſi non ſupra tantum albi ſed & ſubtus candidiſſimis tenuiſſimisque membranis contexti. Lacte turgent fervido tandem inveteraſcentes, ſurſum flexis oris & pileolo tabeſcente ſuperius cavi redditi metam inverſam aut infundibulum referunt. Exulant

FUNGI PIPERIS SAPORIS ET LACTEO LIQUORE MANANTES, FUNGI CANDIDI, BOLETI ORBICULARES PIPIRELLÆ, PIPERITIDES quia veſcendo linguam vellicant ac ſi Piper voraremus, ac fauces incendunt. FUNGI AMARICANTES etiam a quibusdam dicuntur, Bitterling / Pfifferling / vel rectius Pfefferling.

In ſylvis Julio & Auguſto &c. reperiuntur.

Fungus piperatus albus lacteo ſucco turgens. I. B. 3. 829. Fungus albus acris. C. B. Pin. 371.

FUNGUS

Exulant quidem a menſis paulo melioribus. Quibusdam tamen in locis aqua ferventi ſæpe macerati lacti incoquuntur & addito butyro & ſale parantur ad cibum. Calefaciunt, ſiccant, aperiunt, abſtergunt, comminuunt: ſuccus recens cum Syrupo violato aut alio appropriato potus calculum frangit deturbat & urinas potenter pellit, ſingulari experimento ut SCHWENCKFELDT refert.

FUNGI TERREIS SUBAUSTERIS CONSTANTES.

Fungi albi venenati viſcidi.
Fungus fatuus.
Fungus fimetarius.
Fungus luteus Jaſeran.
Fungi Muſcarii.

FUNGI ALBI VENENATI VISCIDI.

De his ita loquitur J. BAUHINUS. Intereſt ſane horum formam & naturam vel apprime noſſe. Edulibus albis aliquo modo ſimiles ſunt, pediculo digitum craſſo, tres quatuorve plus minus alto, qui clypeum ſuſtinet orbicularem palmarem, preſſum, ſubtus candidiſſimo membranarum tenuiſſimarum ſquarro ſtipatum. Superna facies ſubcinericia, ad albidum nonnihil vergens, viſcido tactu, fungoſis ver-

verrucis eminentibus conſperſa, quæ tamen ſine membranæ noxa, avulſu faciles, quas mere accidentarias eſſe putamus, ut quæ non in omnibus compareant. Sapore ſunt minime ingrato, ſed ſubdulci, ſucco aqueo. Unde deceptus quidam optimus civis Mompelgardenſis, vegetæ ætatis vir & corpore robuſto, qui hos ipſos coctos & ad palatum ejus præparatos nimis imprudenter voravit. Mox enim nauſeabundo ſtomacho vomitus infeſtabat, hinc vertiginem ſentiens, proſtratis tandem viribus, membrisque refrigeratis, ſoporoſus jacuit, non ſine mortis periculo. Nam & loquela privatus, pulſu deprehenſus fuit perexiguo cum ſuffocationis metu. Qui tamen paulo poſt vomitu provocato prius, alexipharmacis, Theriaca potiſſimum, enematibus item reſtitutus fuit, poſtquam non paucas horas dubius & velut oppreſſus inter vitam & mortem quaſi ſuccubuerat. Offert ſe hic occaſio de remediis adverſus perniciosos fungos differendi, cum autem illud jam præſtiterit JOH. BAUHINUS, ejusdem ipſiſſimis verbis rem proponemus. Auxilio eſt omnibus fungis, inquit DIOSCORIDES, Nitri aut lixivii cum muria acida potus, aut thymbræ aut origani decoctum; aut gallinaceum fimum cum aceto potum aut melle copioſe delinctum. Fungi porro, inquit DIOSCORIDES, partim genere partim copia lædunt. Omnes inducunt ſuffocationes ſtrangulationibus per laqueos ſimiles. His ſtatim communibus auxiliis opitulari oportet, per oleum ad vomitum cogendum. Mirifice vero opem ſentiunt a lixivii cineris ſarmentorum vitis aut lignorum piraſtri potu cum poſca & ſale aut nitro. Sed & Piraſtri fructus aut folia cum fungis decocta, ſtrangulandi vim illam auferunt, eſitataque eidem auxiliantur. Juvat & ſtercus Gallinaceum cum poſca bibitum, itemque Ariſtolochiæ aut

Abſinthii drachma una cum vino : inſuperque etiam melle ſeu in cibo ſumptum , ſeu ex aqua potum. Sic & Apiaſtrum cum nitro, Panacis radix & ſemen in vino: fæx quoque vini cremata cum aqua & atramentum ſutorium ex aceto, denique radicula , Sinapi , aut Naſturtium eſu proſunt. Fungi a venenatis beſtiis arroſi non ſolum ſuffocant, inquit PAULUS & AETIUS, ſed etiam ulcerant inteſtina. Quare dandum eſt Abſynthium largum,& ficuum & Origani decoctum, & aqua mulſa. Conducet etiam vomitus & ſolium calidum & cruda hordeacea farina præcordiis impoſita. Novit quendam GALENUS , cui poſt Boletorum non ſatis elixorum (qui innocentiſſimi eſſe putantur) uſum largiorem os Ventriculi preſſum ac gravatum, coarctatumque fuit,difficilemque habuit reſpirationem & in animi deliquium incidit , ſudoremque frigidum ſudavit , ac demum ſervari ægre, ſumptiis iis, quæ humores craſſos incidunt,potuit. Cujus generis eſt Oxymel ipſum per ſe & cum Hyſſopo & Origano ipſi mediocriter incoctis. Is enim tum hæc ſumpſit, tum nitri ſpumam ipſis inſperſam: poſt quæ fungos, quos comederat , vomuit , qui jam quodammodo in ſuccum pituitoſum frigidumque admodum ac craſſum erant mutati. Contra venena fungorum laudantur paſſim apud PLINIUM, Cnicus ſive Atractylis & Pirorum ligni cinis piraque ipſa Raphanus ac ſinapi. Porrum ſectitium comeſtum, ſemen & ſuccus braſſicæ bibitus. Item braſſicæ ſylveſtris, Urticæ ac Myrti ſemen in vino potum, Ruta ſive in potu ſive in cibo. Lilii radices & folia Myrti ex vino trita & pota. Abſinthium ex aceto, Mel, Vinum merum & Vini fœx pota ſed magis cruda. Cimolia creta ex poſca pota. Gallinarum fimum duntaxat candidum in Hyſſopo decoctum aut mulſo. Muli denique piſcis e capite cinis. Con-

fert

fert quoque fungis & tuberibus pernicioſis Medicamen de aſſa & diatrion pipereon, & ſumere in potu piper cum vino veteri. Quod ſi quis fungos vel male coctos aut alioquin noxios devorarit & inde ſtranguletur aut torminibus moleſtetur, eum vel Agarici per ſe aut pilularum de Agarico drachmam e vino bibere jubet TRAGUS, ut ſanetur. Tradunt alii præter hactenus dicta eum, qui ſtrangulatus aut inflationes ex immodico fungorum eſu profectas ſenſerit, Leviſtici aut Angelicæ radicem in pulverem redactam e vino ſumere aut Raphanum eſitare, aut ejus ſuccum aut Abſinthites vinum potare, debere. Prodeſt, inquit MATTHIOLUS, mirum in modum Theriaca & Mithridatis antidotus, ex acerrimo aceto pota, ut ex oxymelite aut ex aqua vitæ vocata: Prætulit ad hæc AVICENNA calida quævis aromata, cujusmodi ſunt Diapipereos, Diaciminum, Diagalanga, Diamoſchum. CONCILIATOR potandum exhibet magno juvamento vinum optimum, in quo conferbuerit piper, offertque ſubinde Allium crudum devorandum. Id quod univerſa fere ruſticorum turba etiam facit, quæ (ut GALENUS ait) Allio vice Theriacæ plerumque utitur. Omnium tamen hactenus enumeratorum remediorum adverſus fungorum malignitatem atque perniciem primum auxiliantur vomitiones quocunque modo omni celeritate excitatæ.

FUNGUS FATUUS.

Eſt fungus fatuus candidus, pileolo in metam aſſurgente C. B. Pin corpore dum e ſua volva erumpit, eſt Boleto ſimilis longiores, ſeſe, unicalis latitudinis in metam aſſurgens ſuperna parte, candida inferne camerata & multis ſtriis a pediculo in ambitum productis notata.

FUNGUS FATUUS vel FATUORUM FUNGUS, quoniam ſorte ſi quis veſcatur, mente turbetur. Narren-Schwämm

Fungus fatuus candidus pileolo in metam aſſurgens. C. B. Pin 373. Fungi ſtultorum Boleto ſimiles, pernicioſi. I. B. 3. 816. xj. genus noxiorum fungorum. Clus. Hiſt. CCLXXIX.

Circa meſſem & vindemiam in ſylvis reperitur.

Cum primum e terra erumpit valde Boletum imitatur imo quodammodo mentitur. Unde tanta cum Boleto ſimilitudine invitat ad eſum. Sed perniciem adfert.

FUNGUS FIMETARIUS.

Eſt Fungus cuilibet notus formæ orbicularis in plano veluti circino ductæ; exili & tenui fultus pediculo, tenui non craſſo corpore, candidus omnino, & veluti, farina conſperſus cum inferne tum ſuperne, pars tamen averſa fuſcis ſtriis & a pediculo in oras ductis diſtincta eſt.

FUNGUS FIMETARIUS quoniam in ſterquiliniis primo vere naſcitur. FUNGUS LETHALIS, Miſt-Schwammen / gifftige Miſt-Schwammen.

Fungi ſterquilini albi pernicioſi. I. B. 819. Fungus noxius II. ſive Fungus fimetarius in plano orbicularis candidus. C. B. Pin.

Propter

Variant figura & colore, alii virides, fuſci alii, alii cæſii. Sunt noxii & lethales. Butyro frixi illinuntur contra ſcabiem capitis malignam, vulgo den böſen Grind.

FUNGUS LUTEUS JASERAN.

Eſt fungus ſpecioſus ita ut ad pilei magnitudinem interdum excreſcat, nitidus, levis, cujus membranæ ſubtus citrinæ

trinæ pilei vero facies ſuperna croceo ſaturatius tincta eſt. Pediculus craſſus citrinus quoque in imo aliquando ceu in fimbriam reflexus fatiſcit. Quum prodit primum & antequam expanſus eſt, magnitudine ovi ac etiam minor totus alba fungoſaque materia ceu involucro quodam ſive volva tectus conſpicitur. Volva vero hac membranacea obtegente detracta, ſubeſt pilei principium veluti vitellum ovi occultatum, quod creſcendo paulatim a volva detegitur.

Propter excellentiam dicitur Dominus Fungorum. Kayſerling a germanis appellatur, quaſi fungus Cæſareus, quod inter fungos principatum teneat. Volva Plinii, Elvela Ciceronis, Boleti Anguillaræ & Cæsalpini, Boleti Horatii, Herren-Peltz.

Fungus planus orbicularis aureus. C. B. Pin. 371. Fungi lutei, magni dicti Jaſeran, ſpecioſi. I. B. 3. 815. xvij. genus eſculentorum fungorum. Clus. Hiſt. CCLXIV.

Provenit in ſylvis rara quercu conſitis, iisque cæduis præſertim & ſiccioribus editioribusque locis, bis ſingulis annis, circa meſſem videlicet & vindemiam.

Prima

Principem inter fungos eſculentos locum obtinere dicitur, & adeo elegans eſt, ut non mirandum, ſi eos, qui libenter fungis veſcuntur, præ cæteris generibus fungorum, ad ſe edendum invitet. Non dubium eſt inquit CLUSIUS, quin hic fungus ſit ille veteribus adeo celebratus Boletus, ac a principibus viris ſic in deliciis habitus; nam ſi conferantur, quæ de Boleto ſcripſit PLINIUS, cum hujus hiſtoria ſimilis eſſe deprehendetur. Infamis autem & immenſo exemplo in crimen adductus fuit, quod olim Tiberium Claudium Cæſarem (qui Boletorum eſu impenſe delectabatur) conjunx Agrippina Boleto veneno illito ſuſtulerit ut Neronem filium ipſi ſucceſſorem Imperio daret. Hinc illi JUVENALIS in Satyris ſales de Boleto. Nam SAT. 5. inquit

Vilibus

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, poſt quem nihil amplius edit.

Et SATYR. 6.

Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus ; ſed qualem unius præcordia preſſit
Ille, ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit.
In cœlum.

Hinc etiam illud MARTIALIS.

Quid dignum tanto ventrique gulæque precabor
Boletum, ut qualem Claudius edit, edas.

Sed & ipſe Nero Boletum Deorum cibum eſſe cavillari ſolebat, quia illo periiſſet Claudius Cæſar & defuncti Cæſares in Deorum numerum referri ſolerent.

Menſas lautiores ornant ac valde expetuntur hi fungi variis modis præparati. Recentes boleti in aqua elixantur, deinde in tenuia fruſta conciduntur ; fruſtula conciſa in juſculum e cremore lactis confectum injiciuntur; adjectis ſelini foliis minutim ſectis & pipere. Vel repurgati præciſo pediculo invertuntur & ſuper prunas poſiti addito Ovi luteo torrentur. Vel recentes etiam reciſis pediculis friguntur cum butyro atque ovo ſimul in ſartagine coctis diſſolutis & ſimul mixtis. Vel integri detracto tenui cortice externo prunis imponuntur vel membranulæ replentur butyro addito, ſale & pipere, vel ablati vino in ſartagine eodem modo coquun-

coquuntur; quæ ratio coquendi aliis melius placet. Sed & exſiccati ſervantur, deinde ovorum inſtar in aqua elixantur, tum demum cum condimento ex ipſorum juſculo & pane toſto parato, additis aceto, piperis, zingiberis & caryophyllorum aromaticorum polline eduntur. Juſculum in quo coquuntur croceo colore tingitur.

FUNGI MUSCARII.

Huic fungorum noxiorum generi, ut J. BAUHINUS loquitur, Germani Fliegen-Schwammen/ appellationem dederunt a muſcis, quæ illud valde appetunt & plerumque illi inſident, non ſine ipſarum pernicie, ſiquidem quotquot degustant, intereunt. Quinque autem tradit CLUSIUS ejus ſpecies omnes extremo ſextili in cæduis ſylvis provenientes. Hos

Prima fungi muſcarii ſpecies eſt orbicularis, unam interdum, ſæpiſſime duas uncias lata, vel ſuperne palleſcens tantillo rubedinis & fuliginis admixto, vel lurida & fuligine infecta, inſperſis albicantibus maculis atro permixtis: pars inferior alba ſtriis fuſcis: pediculo gracili ſeſcunciam longo. Altera paulo major pediculo longiore & craſſiore, videlicet digitum minimum longo & craſſo, orbiculata pæne, diametro triente paulo minore: color ſuperne ex purpura dilutiore & ſatura ruſo pallido & albo varie mixtus eſt, inferne pallet cum nigris craſſioribus ſtriis. Tertia primum emergens contracto eſt corpore craſſo & unciali, quaſique Ari radicem mentiente pediculo fulta, duas uncias lata & totidem longa in metæ formam ſublata, coloris lateritii, frequentibus maculis albicantibus aſperſis, ſummo tamen faſtigio pallida. Adultior vero palmari pediculo digitalis craſſitudinis aſſurgit, inferna parte tuberoſa, orbicularem autem figuram acquirit, quatuor uncias lata, per oras interdum fiſſa & lacera, coloris prona parte rubri albis maculis infecti, oris ruſis, ſupina albi

bi prorſus, ſtriis levi fuligine infectis. Quartæ omnium elegantiſſimæ recens natæ orbis minor duas ſcilicet ſolummodo uncias lata, rubro colore valde ſaturo veluti concreti ſanguinis tincta, frequentibus maculis albis conſperſa. Adultior latior fit v. gr. quincuncialis aut amplior, tumida ſuperne, rubro etiam colore ſed paulo remiſſiore, obſcurioribus veluti undis intercurſantibus, & crebris etiam ex albidis maculis infecta. Pediculo conſtat protuberante infima parte, unciam craſſo, trientem longo. Striæ craſſæ nigræ. Bini interdum ex eodem pede conjunctim naſcuntur. Quinta junior duas uncias lata eſt in totidem unciarum metam aſſurgens, coloris ex rufo fuſci & velut fuligine infecti: adultior trientalem aut ampliorem latitudinem habet, in metæ formam aſſurgens oris valde laceris, coloris ſuperne mixti ex albo, rufo, pallido, fuſco, mixtura vel radiatim vel maculis duntaxat inſperſis conſtans. Color inferna parte prorſus fuliginoſus cum ſtriis nigris.

FOENI-

Hos fungos Muſcæ valde äppetunt, & plerumque ei inſident non ſine ipſarum pernicie: ideo in conclavibus ad feneſtras in hunc uſum eorum fruſta ſpargi ſolent.

CAPUT QUINTUM
DE
FRUCTIBUS
ET
SEMINIBUS.

SALE VOLATILI OLEOSO
AROMATICO CONSTANTIA

SEMINA

SEMINA.

Fœniculi dulcis.
Fœniculi petræi.
Liguſtici aquilegiæ folio.
Liguſtici quorumdam foliis Angelicæ.
Quamoclit.

SEMEN FOENICULI DULCIS.

Sunt fœniculi dulcis C. B. Pin. ſemina fœniculi vulgaris ſed multo majora, ſtriata, albida, dulcia, minus acria.

FOENICULUM DULCE vel FLORENTINUM ÆSTIVUM. FOENICULUM ITALICUM, FOENICULUM ROMANUM MARATHRUM VULGATIUS DULCE. Süßer Fenchel/Römiſcher Fenchel/ Florentiniſcher Fenchel.

Fœniculum dulce majore & albo ſemine. I. B. 3. 2. 4. Fœniculum dulce. C. B. Pin. 147. Fœniculum ſive Marathrum vulgatius dulce. Lob. Icon. 775.

Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Hoc genus fœniculi poſt unum vel alterum annum iterata ſatione ſeminis hic producti in hortis noſtris paulatim degenerat & in vulgare tranſit, ut teſtatur CÆSALPINUS.

FOENI-

Vires eaſdem habet ac fœniculum vulgare.

SEMEN FOENICULI PETRÆI.

Sunt Dauci glauco folio ſimilis fœniculo tortuoſo I. B. ſemina, per maturitatem alba, ſtriata & fœniculi tortuoſi

ſeminibus ſimilia, ſaporis aromatici, cum quadam acrimonia.

FOENICULUM SAXATILE & MONTANUM, PEUCEDANUM PANNONICUM CLUSII, PEUCEDANI FACIE PUSILLA PLANTA, LIBANOTIS MINIMA. Stein-Fenchel/ Berg-Fenchel.

Fœniculum ſylveſtre glauco folio. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 2 g. 1. Daucus glauco folio ſimilis fœniculo tortuoſo. I. B. 3. 2. 16.

Naſcitur locis ſaxoſis, in montibus altis & rupibus: Floret æſtate. In hortos, ob magnitudinem, quam in iis acquirit, tranſlata multum de forma mutat, ut quis diverſam plantam putet.

Fœniculum petræum, JUXTA TABERNÆMONTANUM, vim habet calefaciendi ceu fœniculum. Calculum pellit & urinam movet.

SEMEN LIGUSTICI AQUILEGIÆ FOLIO.

Sunt Libanotidis latifoliæ Aquilegiæ foliis C. B. Pin. ſemina, longa, lata, ſtriata, gemina, punicea, guſtu ſubamara, cumini ſaporem imitantia, aromatica.

LIBANOTIS AQUILEGIÆ FORMA, SESELI ÆTHIOPICUM FOLIO AQUILEGIÆ, SESELI ÆTHIOPICUM ALTERUM.

Eſt ſpecies Angelicæ nempe
Angelica montana perennis Aquilegiæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 2. g. 2. Libanotis latifolia aquilegiæ folio. C. B. Pin. 157. Liguſticum Rauvolfii foliis Aquilegiæ. I. B. 3. 2. 148.

Juxta

Semina hæc ſunt calefacientia & ſalivam cientia.

LIGU-

SEMEN LIGUSTICI QUORUMDAM FOLIIS ANGELICÆ.

Sunt Liguſtici quorumdam foliis Angelicæ ſemina figura & magnitudine fœniculi, nigra, odorata & acria.

Semine hoc utuntur in obſoniis ad ſtomachi dolores & imbecillitatem.

SEMEN QUAMOCLIT.

Sunt Quamoclit I. B. in capſulis oblongis ſemina oblonga, fuſca, piper vel braſma piperis guſtatu referentia, imo haud minore caliditate fauces nonnunquam afficientia.

Semen hoc virtute pollet carminativa, & anthelmintica.

SEMINA SALE VOLATILI AROMATICO CUM BLANDA VISCOSITATE CONSTANTIA.

Cedri.
Seſeli Æthiopici.
Siſon ſive Amomi officinarum.
Smyrnii Cretici.
Tordylii.

SEMEN CEDRI.

Sunt Cedri coniferæ foliis Laricis C. B. Pin. Coni erecti Abiegnis ſimiles, craſſiores, duriores ac multo majores, quinum vel ſenum digitorum turbinati, compactili ſquam-

marũm compreſſarum congerie coagmentati, atque obtuſi ex cinereo fulvi, conis Pini alioqui graciliores tam firmiter ramo adhærentes, ut a parente divelli non poſſint, ſine avulſa arboris parte. Coni porro hiantes ſe pandunt, ac paulatim diſiſſi roribus & pluviis decidunt, relicto in ramo pediculo firmo & tereti. Semen habet Abieti ſimile non vinaceo majus, dulcis ſaporis, ut Piceæ, ad cujus latus oleoſum quidpiam includitur odoratiſſimum. Pediculus ſquammam non prius exuit quam conus duos annos exceſſerit, quem integrum annum fert antequam matureſcat, quod Hieme potiſſimum fieri ſolet.

Vim habent calefacientem, auxiliantũr tuſſi, convulſis, ruptis, urinæ ſtillicidiis &c.

SEMEN SESELI ÆTHIOPICI.

Eſt Seſeli Æthiopici Salicis folio C. B. Pin. ſemen oblongum, canaliculatum, magnitudine ſeminum fœniculi, Seſeli Maſſilienſi odoratius.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies Bupleuri, nempe.

Bupleurum arboreſcens Salicis folio. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 1. g. 11. Seſeli Æthiopicum ſalicis folio. C. B. Pin. 161. Seſeli Æthiopicum fruticoſum folio Periclymeni, I. B. 3. 2. 197. Seſeli Æthiopicum frutex Dod. Pempt. 312.

Reperitur in Æthiopia, ut & in Galloprovincia, & ad Ceti montis radices, Auguſto floret.

PETRA-

LOBELIUS dicit, quod eximiarum earumdemque virtutum ſit ac Seſeli Maſſilienſe & ad Theriacam efficacius.

SISON

SISON SIVE OFFICINARUM AMOMUM.

Eſt Siſonis, quod Amomum Officinis noſtris, C. B. Pin. ſemen perpuſillum, fuſcum, ſtriatum, guſtu acriuſculo, aromatico.

Petrapium, Apium Saxatile, Petroselinum Peregrinum, Ammi Parvum, Amomum Officinis Falso Dictum, Apium Nigrum, quibusdam Petroselinum Macedonicum, Petroselinum Peregrinum, Amomum Germanicum. Stein-Peterlin / Stein-Eppich / Persil de Roches.

Pertinet ad Sium. Eſt nempe
Sium aromaticum, Siſon officinarum. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 1. g. 8. Siſon ſive officinarum Amomum. I. B. 3. 2. 107. Siſon quod Amomum officinis noſtris, C. B. Pin. 154. Petroſelinum Macedonicum Fuchſii. Dod. Pempt. 697.

Colitur in hortis, florens æſtate.

Semen hoc, quod affertur ex Orientalibus, bibitur contra Lienis vitia & urinæ difficultatem, itemque ad commorantes menſes evocandos.

SEMEN SMYRNII CRETICI.

Eſt Smyrnii peregrini rotundo folio C. B. Pin. ſemen fuſcum, ſubrotundum, Braſſicæ par & ſimile.

Iisdem

Smyrnium Candicum, Herbariorum Smyrnium Dioscoridis, Smyrnium Verum Peregrinum, Perfoliata Altera.

Smyrnium peregrinum rotundo folio. C. B. Pin. 154. Smyrnium

nium Creticum perfoliatum. I. B. 3. 2. 125. Smyrnium Amani montis. Dod. Pempt. 196.

Provenit in Candia, colitur in hortis.

Iisdem virtutibus gaudet ac radix Smyrnii MATTHIOLI.

SEMEN TORDYLII.

Sunt Seſeli Cretici minoris C. B. Pin. ſemina peltata, pulchra, non multum hirſuta, fimbria candida vel granulata ambiente, odorata, ac nonnihil acria Myrrhidis guſtu.

Τορδύλιον, σέσελι κρητικόν, SESELI CRETICUM, SESELI CANDIÆ, TORDYLIUM CRETICUM, Cretiſcher Seßel.

Tordylium eſt plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum fere orbiculatum, ex duobus ſeminibus compoſitum, planis, margine elato, utplurimum denticulato, involucrum facile deponentibus.

Tordylium Narbonenſe minus. Tourn, I. R. H. cl. 7. ſ. 5. g. 5. Seſeli Creticum minus. C. B. Pin. 161. Caucalis minor ſemine pulchro ſive Bellonii. I. B. 3. 2. 84. Seſeli Creticum. Dod. Pempt. 314.

Frequens eſt circa Monſpelium ad vinearum margines & in Sicilia. Colitur in hortis, floret Julio.

Pimonia

Semen hoc aperit, menſes atque urinam ciet. Laudatur in nephritide calculo atque colica flatulenta.

SEMINA SALE AROMATICO BLANDO CONFORTANTE CONSTANTIA.

Limones.

Nigella

Nigella arvenſis.
Orleana.
Poma Adami.

LIMONES.

Sunt Mala Limonis vulgaris Ferrarii, alia oblongi corporis, alia nonnihil globoſi, univerſa vero leviter faſtigiati, coloris alia diluti, alia ſaturatioris, medullæ laxioris alia & alia contractioris: ſuccus ipſe non æque omnibus auſterus. A Citreis malis differunt fructu minore & quod cortice pulpoſo tenuiore minusque carnoſo, ſucco autem uberiore donentur, eoque acidiore.

Limonia haud temere apud ullum authorem probatum vel Græcum vel Latinum invenies, videtur poſterioris ſeculi eſſe inventum. MEDICI MALI GENUS LIMONIA CITRO SIMILIS, Limonen-Baum/ LIMONIER.

Limon eſt plantæ genus flore foliisque Citri, fructu vero ovato carne tenui donato, in varia loculamenta diviſo, ſucci & veſicularum plena ſeminibusque fœta calloſis. His notis addenda eſt propria quædam facies, qua ab hortulanis facile dignoſcitur ab Arantio & Citreo.

Limon vulgaris Ferrarii. Heſp. 193. Malus Limonia acida. C. B. Pin. 436. Limonia malus. I. B. 1. 96.

Plures equidem adhuc dantur ſpecies ſed hæc communior.

Gaudent Limones eodem cœlo calido, cura ac cultu, quo Citria. Ad nos deferuntur ex Hiſpania & Italia.

MALA LIMONIA, LIMONES, Limonen/ LIMONS diverſis conſtant partibus. Viribus æmulantur Citria mala, ac non minus ac illa tum in culinis; tum in pharmacopoliis

uſurpantur. Imo in defectu Citriorum Limonia mala commode ſubſtitui poſſunt. Limonia cum guſtu ſint acidiora, ideo ſucco frigidiore eſſe probabile eſt. Hæc quidam comedunt non integra, ſed cortice denudata & in laminas conciſa, aſperſo multo ſaccharo, quomodo magnam cum palato gratiam ineunt, ſitim potenter reſtinguunt, & febrilem ardorem compeſcunt. Succus Limonum admodum efficax dicitur in diſſolvendis calculis & abſtergendis partibus. Syrupus de ſucco Limonum magni fit ad calculum & obſtructionem renum: item ad ſitim & æſtum in febribus ardentibus: cordi & ventriculo robur addit, & bilis effervеſcentiam compeſcit, ideoque haud infeliciter imbecillitates, lypothymias, fluctuationes & ſingultus, febribus ardentibus ſupervenire ſolitos curat. Cortices Limonum non minus quam Aurantiorum ſaccharo condiuntur pro bellariis & ad eosdem uſus valent. Condiuntur & parva integra mala ad varios uſus. Notus eſt potus LIMONADA dictus, qui alias cum malis Citreis, rectius cum Limonibus, unde & nomen obtinet, paratur. Aqua e Limonum ut & Citriorum ſucco deſtillata cosmeticum inſigne habetur. Succo Limonum ſcribuntur literæ occultæ quæ igni admotæ manifeſtantur. Eorum acido ſucco tam elegantem purpureum colorem conſervæ roſarum aut etiam violarum aliorumque multorum conciliabis ut nihil ſupra. Hinc & tinctoribus utilis eſt ad colores multos transmutandos aut figendos, qui magnam ejus quantitatem inſumunt.

℞. Lign. querc. deraſi ℥j. aqu. fontan. ℔vj. ſucci Limonum ℥jv. Infund. omnia per 24. horas ſuper cineres calidos, poſtea coqu. ad tertiæ partis conſumtionem, coletur. Doſis ℥vj. Valde prodeſt calidæ jecoris intemperiei, ulceribus renum, ardori urinæ, ſed præcipue pituitam evacuat, dy-

dyſuriæ & ſtrânguriæ cauſam. Poteſt ex hoc decocto vinum dilui. Mihi communicatum a patre religioſo inquit Cheſneau.

Ex ſucco quoque Limonum & ſaccharo paratur potio illa Oriente toto percelebris, ac Turcarum uſurpatione nobilis, cui vulgarem SORBETTII appellationem latinum ſorbendi verbum, Scerbetti vero nomen vox Arabica, Turcica, Perſica impertivit. Enarrat parandi modum FERRARIUS IN HESPERIDIBUS. Non tamen abſque re fore putamus, ſi ejus deſcriptionem prolixam licet, à variis, FRANCISCO BOLOGNIO EQUITE BONONIENSI, PETRO PETRECHINO LEGATO APUD TURCARUM IMPERATOREM GALLICO AB EPISTOLIS, EQUITE CASSIANO a PUTEO, & a PETRO a VALLE PATRITIO ROMANO communicatam, in quibusdam tamen a ſe differentem hic inſeramus, præſertim cum & hoc potulenti genus multum etiam in regionibus Europæ præſertim calidioribus vigeat. Prædictæ ſorbitioni ſic vaſa, ſic inſtrumenta parantur. Ahenis decoquendo limonum ſucco & ſaccharo deſtinatis album plumbo de integro incoquitur. Quin etiam quotieſcunque idem recoquitur ſuccus ahenum denuo incoctile adhibetur. Uſque adeo periculum eſt, ne, transmiſſo ærei vaſis ingrato amaroque ſapore ſuccus ipſe vitietur. Lineo quoque panno eſt opus, quo humente vaſis oræ ſæpius refrigerandæ, ac ſi quid ſordis adhæſerit abſtergendum. Ad hæc virgæ prætenues aut ſcopulæ in faſciculum colligantur ovorum albumini commovendo, quo ſaccharum purificatur & claritatem coloris acquirit. Rutabulum nuceum, vel ex alia quacunque robuſta materia in mallei vel clavæ faciem figuratur, ad ſaccharum ſuccumque dum coquitur, agitandum: idemque in aqua excoquitur

tur ut ſiquid haberet amaritudinis odorisve dimittat. Ferreum batillum lati ſcalpri aſpectu extenditur ad ſaccharum, ubi jam refrixerit, ab aheno reglutinandum. Denique turcicum pondus prænoſcendum eſt, quod à Turcis Hocca nominatur, Byzantii præcipue uſitatum; drachmas pendet quadringentas, decem drachmæ unciam pondere efficiunt. Hocca igitur uncias quadragenas ſeu libras ternas & uncias quaternas æquat. Sed NICOLAI DE NICOLAIS computatione pondus habet librarum quatuor, quarum quælibet uncias pendet undenas. Nunc enimvero turcicæ ſorbitionis expoſitio apertius enarrabitur. Ad illam ſic paratur acrimonia. Numerus limonum ſumitur arbitrarius, qui multi ſucci, recentes & quam optimi ſint. Cortex iis detrahitur. Deinde manus diligenter lavantur, ne amarum corticis ſaporem odoremque peracutum contactæ medullæ reſipiant. Diſſectorum ſuccus pomorum in catinum fictile manu exprimitur. Expreſſus linteo transmittitur: Deinde in æreo vaſe, recens incoctili decoquitur. Interim ne bulliat uraturque, lignea rudicula peragitatur: idque tandiu, donec e decem partibus novem abſumantur: quæque ſupereſt, mellis craſſitiem referat, vel certe usque in quartam partem coctura ſubſidat. Abſumti enim ſucci jacturam vehementior ejusdem & efficacior acritudo compenſat. Ita excoctus ab igne removetur & agitatur eousque dum intepeſcat, ne vaſe adhuc præfervido peruratur. Ubi ſatis intepuiſſe immiſſo digito ſentitur, in vas defunditur lævoris incocti non tamen in cupreum. Ejusmodi vaſe reconditus ſuccus ſervabilis eſt in vetuſtatem addito præſertim ſacchari momento. Idemque poterit arguti ſaporis acumine cibum quemlibet condire. Acidi hujus decocti ſucci maximam vim Inſula Creta in potionis prædictæ miſturam cum locis complu-

pluribus, tum maxime Byzantio Ægyptoque ſuppeditat. Jam vero ſorbilis ejusdem compoſitionis pars altera, ſaccharum ſic præparatur. In ſacchari ſingulas hoccas ſumitur aquæ hocca dimidia & ovi unius albumen. Quantum aquæ albuminumque res exigit, in ahenum confunditur: & eo usque virgeo faſciculo permovetur, donec vertatur in ſpumam. Tum ſaccharum fruſtatim comminutum in eam aquam ſic mergitur, ut fruſta multum extent. Id autem ſaccharum non eſſe debet ex eo, quod Venetiis perpurgatum fuerit, ſed quod craſſum & coquinarium vocant, ejus tamen notæ perquam optimum. Porro ahenum tripodi imponitur. Ignis modicus e levibus lignis ſuccenditur, quæ bene ſplendideque ardeant. Ubi ſaccharum calore tabeſcens in aqua bullire incipit, ne fervore exultante ſuperfluat, exiguæ aquæ ligula ſubinde affuſæ temperatur. Hæc autem aqua partem ad ſummum ejus tertiam æquabit, quæ prius fuerit in ahenum infuſa. Poſteaquam ſaccharum aliquandiu ferbuit, ſpumoſamque ſordium ſalivam velut exuens ad vaſis labrum regeſſit ſedulo deſpumatur. Deinde lineo aur laneo colo in aliud vas eliquatur. Inde primum in ahenum bene ante emundatum, lotum, ſiccumque refunditur: & leni pruna recoquitur. Cum bullire incipit candida Cera ciceris magnitudine in ſingulas hoccas mergitur, aut certe dulcium amygdalarum olei gutta infunditur. Utraque enim res non modo bullantem fervorem ſiſtit, verum etiam ſacchari ſpurcitiem, ſi quæ reliqua eſt, evocat in ſummum ligula eximendam. Quare ſi cum primum decoquitur ſaccharum prædicta cera vel oleum demittatur, aliquid afferet puritatis, quanquam hoc permagni non intereſt. Illud autem cuſtoditur, ut oræ vaſis madido linteolo identidem perfricentur, ne quid ſacchari adhæreſcat. Verum

in eo purificando ſupra dicta percolandi ſolertia PETRO à VALLÆ PATRITIO ROMANO non probatur, quippe quæ licet limpidas ſaccharo munditias faciat, robuſti tamen ſaporis nonnihil delibat. Quare ſat ille habet ſaccharum igne purgarem, inusque defæcatum, quam viribus ac ſapore infirmum mavult adhibere. Subjicit hoc loco idem PETRUS tempeſtive ſaccharum, dum purificatur incoctis recentium florum foliis inodorari, herbisque vel aromatum ſcobe aut farina medicari. Et ſe quidem vidiſſe refrigerandi natura pollentem incoqui portulacam & ejusmodi potionem albo rubroque ſantalo temperatam perdiu adhibuiſſe. Oportete autem flores ſi amari ſunt, rite macerari, ut mitigentur. Poſtquam ſaccharum lignis modo additis, modo ſubductis, modo etiam igne aqua modica inſperſo ſic ebullivit, adhuc bullire ſinitur fere ſemihoram, donec videlicet flavum duxerit colorem: immerſoque rutabulo tam tenaciter hæreat, quam ſolet maſtiche aut gummi, atque inter digitos glutinoſa concretione lenteſcat. Denique abſolutæ cocturæ, ſummæque ſpiſſitudinis acido limonum ſucco recipiendæ tempeſtivæ, id ſigni erit. Sacchari ferventis bullæ non in ſublime nitentur, ſed agentur introrſum. At vero ſi ſupradictum PETRUM conſilio exemploque præeuntem ſequaris, coctura ſaccharum validiore denſabis. Neque enim illi ſat eſt, ut æque ſaccharum atque in compoſitionibus cæteris, lentum & viſco par adhæreat, utque e cochleari non diffluat: ſed illud exigit, ut antequam ab igne removeatur, ad ſacchari denſioris, quod candidum vocant, ſpiſſitudinem probe concreſat: utque poſtmodum usque adeo rutabulo agitetur, donec agitationem ultro concretio non permittat. Hujuſce cocturæ ſaccharum cum acido ſucco recte miſcetur, ut miſtura denſior ætatem ferat, circumferrique commodius poſſit.

poſſit. De partium pondere miſcendarum ſententiæ inter ſe geminæ diſſentiunt. At vero cum eodem PETRO alii conſentaneum acidi ſucci pondus præſcribunt, cujusque multum aut parum acidam potionem amantis arbitrium. Equidem cum illis ei, qui multitudini, cum his autem illi, qui ſibi hanc ſorbitionem præparat ſentiendum eſſe cenſuerim. Porro illos, quibus ego incredibilis ſum, ad peritiores Turcas dimitto & ablego. Ergo excoctum ſaccharum ab igne removetur & rutabulo agitatur. Interim vero acer ſuccus paulatim guttatimque inſtillatur, non ubertim ingeritur: quia ſaccharum refrigeſceret, iterumque colliqueſcens juſtam ſpiſſitudinem deperderet. Qui bibulis quoque naribus odorarias delicias ſitiunt, moſchum & ambarum exigua roſarum aquà macerant, cumque infunditur acrimonia, tempeſtive confundunt. Neque vero poſt inditam acrimoniam (ut idem Petrus affirmat) recoqui ſaccharum tuto poteſt, quippe illud ex facile vitiaretur. Idem præterea ſubjicit diligenter cuſtodiendum eſſe ne nimia coctura compoſitio prædicta in acidum denſitatis ſaccharum duretur. Id ſuo doctus periculo alios monet. Cum enim aliquando ſaccharum ſive ante ſive poſt additum limonis ſuccum liberalius excoqueret, quod in potum parabatur, lapideſcere animadvertit in cibum. Quare, dum adhuc aliquam ipſi miſturæ teneritudinem faciebat calor in varias eam formas fruſtillatim inſecuit, quæ poſtmodum in ſaccharum ab immiſto acido ſucco flava perſpicuitate translucens dulci duruit infortunio. Cæterum prima quoque ſacchari coctura mitior (ut alii teſtantur) limonis acidum ſuccum, qui tamen refrixerit, congruenter admittit. Hic autem dum infunditur & ab ipſo infuſu, brevia per intervalla ſaccharum rutabulo miſcetur, donec ad priſtinæ concretionis gradum redigatur. Deinde ab igne remota compoſitio, ne qua ejus pars vaſis fundo

fundo ûterove adhæreſcat, in omnem fortiter partem commovetur; idque donec ita deferbuerit, ut ſummi vaſis calorem manus arbitra ferre contactu queat. Denique cum obluctante denſitate rutabulum verſari præterea non poteſt perfecta eſt ſorbilis compoſitio, ſtatimque fictilibus vaſculis reconditur. Verum hæc non ante operculantur, quam illa calore penitus exhalato refrixerit. Eadem vero ad hunc modum recondita, quam diu lubet ſervatur; & quocunque transfertur. Cum illam adhibere quis vult potionis gratia; cochlearis menſura cum aqua miſcet in ſcutella & agitato cochleari facit, ut paulatim colliqueſcat. Integrum cuique eſt plus minusve compoſitionis hujus admiſcere. Sunt qui ventri ciendo purgandoque jucunda medicamina, velut roſam, ſimilemve florem aut quid aliud non inſuave adjiciunt. Quin etiam eadem compoſitio in cute curanda magno uſui eſt. Nam ſi manibus jam lotis ejus particulam, avellanæ nucis dimidium æquantem, ſaponis vice adhibeas, poſtea vero Matthiacam pilam ſive Saponem affrices lævoremque tactumque molliſſimum conciliabis. Creditur etiam in facie vitiligines emendare: immiſtaque ſpecularis lapidis farina lævigare cutim & candidare.

NIGELLA ARVENSIS,

Sunt Nigellæ arvenſis cornutæ C. B. Pin. ſemina nigricantia, exigui odoris.

Semen

Μελάνθιον ſive γίτϑ, MELANTHIUM SYLVESTRE, MELANTHIUM AGRESTE, NIGELLA SYLVESTRIS vel AGRESTIS, CUMINUM NIGRUM, CUMINUM SYLVESTRE ALTERUM, wilder ſchwartzer Kümmel/ groſſe Ledicht, Blumen/ NIELLE SAUVAGE.

Nigella

Nigella arvenſis cornuta. C. B. Pin. 145. Melanthium ſylveſtre ſive arvenſe. I. B. 3. 209. Melanthium ſylveſtre. Dod. Pempt. 303.

Per Germaniam, Italiam & Galliam paſſim inter ſegetes reperitur.

Semen hoc, docente SCHWENCKFELDTIO, catarrhos diſcutit, dentium dolores lenit, nidore ſerpentes fugat. Ad omnia efficax perinde ac ſativa habetur.

℞. Foliorum Majoranæ p. j. ſeminis Nigellæ arvenſis, infunde in aliquot ℥. vini albi, colaturam naribus attrahe ad diſcutiendos humores craſſos ſpiſſoſque. Contra colicam fit quoque decoctum florum Chamomillæ cum ſemine hujus Nigellæ. Ex hoc ſemine quoque, AUTHORE TOURNEFORTIO, exprimitur oleum, quod iiſdem virtutibus gaudet, incidit atque expectorat. Infuſio ſeminis cum vino facta virtute pollet diuretica & emmenagoga.

ORLEANA.

Sunt Mitellæ Americanæ maximæ tinctoriæ Tourn. grana, figuræ conicæ acutæ aut exigui Piſi, at in duobus lateribus quaſi digito compreſſa, coloris inſigniter miniati & ſplendeſcentis, atque tali ſucco madentia, ita ut ad tactum inficiant manus egregio miniato colore. Grana recentia mollia ſunt, inſtar granorum Pomi, quodlibet exterius punctulo argenteo notatum. Grana ſiccata evadunt obſcuro rubra, nihilominus tamen ut ante tincturam continent. Grana

Orleana vocatur Urucu, Arbor Mexiocana Fructu Castaneæ Cocciferæ, Arbor Finium Regundorum Scaligeri. Achiotl, Chacanguarica, Pumaqua. Rocou.

a TOURNEFORTIO ad Mitellam refertur, Eſt autem

Mitella plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum e rotundo acuminatum, bifariam mitræ ad inſtar dehiſcentem, ſeminibus fœtum utplurimum ſubrotundis.

Mitella Americana maxima tinctoria, Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 7. Orleana ſeu Orellana folliculis Lappaceis, H L. Bat. Urucu. Piſon. edit. 1658. 133. Achiotl, ſeu Medicina tingendo apta Hernandez. 74.

Eſt fructus arboreſcens ſylveſtris & hortenſis in America reperiundus.

POMUM,

Grana tum recentia tum ſiccata uſurpari poſſunt. Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia egregiam dant tincturam miniatam, quæ pota per ſe prodeſt contra varia venena & eſt boni ſaporis, ſubamara & quid aromatici ſapiens. Collecta in maſſam cogitur, ſphærulæque & tabellæ in multos annos durabiles inde conficiuntur. Cum urina mixta tam pertinaci colore tingit pannos lineos, ut in poſterum elui non poſſit. Braſilienſes patinas ſuas & lagenas e Cucurbitarum corticibus factas hac tinctura exterius tingunt. Radix cocta cum carne gallinacea vel alia tingit inſtar croci optimi & bonum ſaporem illi conciliat. Barbari maximi faciunt hanc arborem eamque colunt circa tuguria ſua. Viret toto anno, fructum autem fert vere: & tum materies ejus cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum inſtar ſilicis, confricando inter ſe. Cortex idoneus eſt ad funes & rudentes, quæ robuſtiores ſunt Cannabinis. Tinctura cum aliqua aqua ejusdem temperaturæ hauſta aut foris adhibita mitigat æſtus febriles, ſiſtit ſanguinolentas dejectiones, diſcutit tumores & abſceſſus, quapropter commode

mode miſcetur potionibus refrigerantibus atque étiam cibis. Miſcetur etiam delicatæ potioni e Cacaò, Chocolatæ dictæ, ad refrigerandum & bonum colorem atque ſaporem illi conciliandum, efficitque ne quavis quantitate hauſta noceat: illius quippe ope facile digeritur ſine ulla cruditate. Mitigat dolores dentium e calida cauſa natos, promovet urinam, ſedat ſitim. Tincturam e fructu faciunt hoc modo. Sumunt grana bene matura, eaque infundunt aquæ calidæ & ex ſubſidentia tabellas conficiunt. Obſervandum tamen (inquit de LAET) duplicem tincturam ad nos afferri. Unam ſimplicem & perfectiſſimam, coccineam, cujus uſus eſt ad fucum fœminarum, (Inſulani enim Americani corpora ſua ea inungunt elegantiæ cauſa & ad bellum ituri, ut terribiliores hoſtibus videantur) alteram cum reſina mixtam & in magnos globos coactam, cui & credo ſuccum radicis admixtum, tingit enim croceo colore magis quam miniato. Hæc RAJUS.

POMA ADAMI.

Proxima Aurantiis ſunt Poma Adami nuncupata, ſi fructum ſpectes, orbiculatum illum quidem, ſed multis numeris majorem & nonnunquam ad umbilicum veluti ambeſum, colore magis fulvo quam Aurantia, & odore ignaviori, carne Citris ſimili, ſed guſtu inſuavi, multo interim ſucco prægnante, ſapore Aurantiis affini. At vero folium in Limonum aut Citronum familiam cooptare jubet, ut cui nulla ſubjecta pinnula, nam pori, quibus pertunditur, omnibus communes ſunt, veluti & ſpinæ virorque pertinacis vitæ folii. Flores Citri.

Pomum Adami dictum eſſe volunt, quod in ſuperficie ceu infixorum dentium veſtigia habere videatur, quaſi ab Adamo primo homine commorſum fuiſſet. Adams-Apffel / Pomme d'Adam.

Arbor hos fructus ferens dicitur

Malus Adami. C.B. Pin. 45. Poma Adami. I.B. 1. 99. Malus Aſſyria vel Poma Adami. Park.

Ejusdem originis eſt cum reliquis congeneribus & in eisdem locis colitur, iis tamen minus obvia nec ita paſſim nota.

Viribus cum malo Citreo convenit: peculiariter autem ad ſcabiem valere creditur, ſi per medium ſectum, & tenuiſſimo ſulphuris flore aſperſum deinde cinere ferventi calefactum corpori ſcabioſo affricetur. Creditur etiam ejus liquore pomi, quod ab Adamo nomen habet, fœminarum capillos flaveſcere & facies lævigari commendarique: ſi rotunda illud in fruſta conciſum vitreo vaſe, interjecta ſingulis fruſtis ærugine recondatur ſubjectoque igne liquor eliciatur. Æque dicitur fœmineo capiti forma conciliari, ſi eodem vaſe concluſa utraque res habeatur in ſole diebus quindenis ſuccusque poſtmodum exprimatur. Usque adeo, inquit FERRARIUS, Adami pomum hominum poſteritati vel citra guſtum, dum exornat, etiamnum per fœminas inſidiatur.

SEMINA SALIBUS ACRIBUS FIXIS CONSTANTIA.

Heſperidis.

Melampyri lutei.

Myagri dicti Camelinæ.

Napus

Napi ſylveſtris.
Rapiſtri.
Rapiſtri albi.
Scorpioidis.
Thlaſpios Cretici.
Thlaſpios latioris.
Violæ Lunariæ.

SEMEN HESPERIDIS.

Sunt Heſperidis hortenſis flore purpureo & candido C. B. Pin. ſemina fuſca aut ruffeſcentia, oblonga quaſi cylindracea aut globoſa, acria, erucam guſtu tota ſapientia.

Iisdem gaudent virtutibus ac folia inprimis vi antiſcorbutica.

SEMEN MELAMPYRI LUTEI.

Sunt Melampyri lutei latifolii C. B. Pin. ſemina tria vel quatuor, milio non diſparia, ſapore acri & vehementi.

Semen

Κραταιόγονον DIOSCORIDIS, TRITICUM VACCINUM TERTIUM, MILIUM SYLVATICUM, PARIETARIA SYLVESTRIS FLORE LUTEO. Waldhirſch: Wild Tag und Nacht.

Melampyrum luteum latifolium. C. B. Pin. Melampyrum ſylvaticum ſive Satureja lutea ſylveſtris. I. B. 3. 439. Milium ſylvaticum I. Alſine ſylvatica & Milium ſylvaticum ij. Tabern. Icon. 242.

Creſcit in ſepibus & ſylvarum marginibus umbroſisque locis: Floret æſtate.

Μύα-

Semen in pollinem pultemque ductum eſſe Veneris incentivum & ſeminis genitalis quaſi fermentum quoddam & cotem exiſtimat LOBELIUS.

SEMEN MYAGRI DICTI CAMELINÆ.

Sunt ſemina Myagri ſativi C. B. Pin. oblonga, triangula, Naſturtio minora, coloris fere fœnugræci, ſaporis Naſturtii, quæ in ore retenta contrahunt mucilaginem quandam.

Μύαγρον, MYAGRION, MYAGRUM TERTIUM ſive SYLVESTRE, PSEUDOMYAGRUM. CAMELINA, SESAMUM QUORUMDAM, imprimis TRAGI. PSEUDOLINUM. Flachs-Dottern/Lein-Dottern. CAMELINE.

Eſt ſpecies Alyſſi, nempe

Alyſſum ſegetum foliis auriculatis acutis. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 3. g. 1. Myagrum ſativum. C. B. Pin. 109. Myagrum dictum Camelina. I. B. 2. 892. Myagrum Turcicum. Ejusdem. 2. 893. Camelina ſive Myagrion. Dod. Pempt. 532.

Affatim inter ſegetes Lini ubique locorum, maxime vero in Alſatia & tractu Rheni occurrit.

BUNIAS

Ruſticis noſtris (inquit RUELLIUS) Camelina aut Camamina, oleo diſtringendo quam optime cognita. Ejus ſemen in areis pavitis rura flagris decutiunt & vannis in auram vento ſilentem jactant, dum ſiliquarum recrementa vaneſcant: tum truſatilibus molis ſubjiciunt, verſandoque ſubinde oleum exprimunt, quo non ad lumina tantum Lucernarum, ſed & ciborum quoque condimentis pauperes utuntur magno hujus olei proventu. Vix quicquam aliud ab aviculis adeo invaditur, atque hoc ſemen, quod animadvertentes quidam id colligere ac alendis aviculis reſer-

vare

vare ſtuduerunt. Docente TRAGO a Græcis hoc ſemen pani compinſitum fuit ob inſignem, qua præditum eſt, dulcedinem. Emollit & calefacit mediocriter. Intro ſumi tum debet, cum alvus eſt adſtrictior & doloribus tentata, ut dolores deprimantur & dolor mitigetur. Nervorum craſſitiem illitu diſcutit. Medetur & auribus fractis, ambuſtis, inflammationibusque. Herba vel ſemen cataplasmatis modo impoſita ut ſemen Fœnu græci & Lini uſurpari poteſt. Herba vino decocta inflammationibus doloribusque oculorum prodeſt impoſita, inflammationem namque reſtinguit & dolorem ſedat certo.

SEMEN NAPI SYLVESTRIS.

Sunt Napi ſylveſtris C. B. Pin. ſemina parva, rotunda, ſubrufa, ſaporis acris, amaricantis.

BUNIAS SYLVESTRIS, NAVETTA, RAPUM SYLVESTRE, Wild-Rüben/ Feld-Rüben.

Napus ſylveſtris. C. B. Pin. 95. Bunias ſylveſtris Napus flore luteo. Lob. Icon, 200.

Autumno ſeritur ſeminis cauſa. Aprili floret ſuccreſcente ſemine copioſiſſimo.

Vocatur

Ex ſemine hoc, quod SCHWENCKFELDT ſemen rapaceum, Oel-Saamen/ nominat, alias Rebs-Saat vocatur, calefacto & truſatilibus molis preſſo, magna olei quantitas obtinetur, quo non ad obſonia modo ſed ad lumina quoque lucernarum utuntur. Aviculas caveis incluſas, Carдueles Miliarias, Fringillas & id genus ſimiles ſemine hoc Aucupes alunt.

RAPI-

SEMEN RAPISTRI.

Sunt Rapiſtri flore luteo I. B. ſemina numeroſa, lucida & nigra ferventia & acria guſtu.

Semina hæc ferventia urinam provocare dicuntur.

SEMEN RAPISTRI ALBI.

Sunt ſemina Rapiſtri flore albo ſiliqua articulata C. B. Pin. magna, ſubrotunda, in ſiliquis articulatis recondita.

Vocatur etiam Sinapi Agreste, Raphanus Sylvestris, Lampsana ſeu Brassica Sylvestris. Weiß Hederich.

TOURNEFORTIUS ad peculiare genus, nempe Rhaphaniſtrum, quæ eſt planta quaſi ad Raphanum accedens, refert.

Raphaniſtrum eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam articuloſam, columnæ cujusdam faſciatæ æmulam, ſemine fœtam ſubrotundo in ſingulis articulis recondito.

Rhaphaniſtrum ſiliqua articulata glabra majore & minore. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 265. Rapiſtrum alterum arvorum. Park. Theatr. 863. Rapiſtrum flore albo ſtriato. Sinapi agreſte album. Trago. I. B. 2. 851.

Floret paſſim in agris æſtate.

Scor-

Semen hoc, juxta SCHWENCKFELDT, calefaciendi ſiccandi, abſtergendi & digerendi vi pollet.

SEMEN SCORPIOIDIS.

Sunt Scorpioidis Bupleuri folio C. B. Pin. ſiliquæ hiſpidæ per

per maturitatem fuſcæ Erucæ villoſæ in ſe convolutæ ſpiras imitatæ tuberculis ſemen falcatæ Lunæ effigie continentibus, gibboſæ.

SCORPIOIDES, quoniam ſemen ad ſimilitudinem caudæ Scorpionis accedit. CAMPOIDES, quoniam ſiliquæ Erucam æmulantur. Scorpion Krauth / Raupen-Krauth / CHENILLE.

Scorpioides eſt plantæ genus, flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam articuloſam, Cochleæ aut Erucæ ad inſtar in ſe convolutam, in ſingulis articulis ſemine fœtam utplurimum ovato.

TOURNEFORTIUS inter Scorpioides. C. B. & Scorpioides JOH. B. diſtinguit.

Scorpioides Bupleuri folio. C. B. Pin. 287. Scorpioides prius. Dod. Pempt. 71.

Scorpioides Bupleuri folio, corniculis aſperis magis in ſe contortis & convolutis. Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. 127. Scorpioides ſiliqua campoide hiſpida, I. B. 2. 898.

Naſcitur in regionibus calidis, locis ſiccis, aridis & montoſis, in Languedocia, Italia &c. Colitur in hortis.

Excalefacit ſemen & exſiccat, fructus contritus & applicitus medetur ictui Scorpionum. Alias joci cauſa imponuntur acetariis.

SEMEN THLASPI CRETICI.

Sunt Thlaſpi umbellati Cretici C. B. Pin. ſemina ruffa, ſaporis acris, & vehementer amari.

Câle-

THLASPI CANDIÆ. DRABA DIOSCORIDIS, quorumdam ARABIS, THLASPI IBERIDIS FOLIO. Cretiſcher oder Candianiſcher Bauren-Senff.

Thlaſpi Creticum quibusdam flore rubente & albo. I. B. 2. 924.

Thlaſpi umbellatum Creticum Iberidis folio. C. B. Pin. 106. Draba ſive Arabis aut Thlaſpi Candiæ. Dod. Pempt. 713.

Sponte naſcitur in Creta ſive Candia, item in Italia in dumetis montoſis. Ornatus gratia in hortis colitur, ubi floret Julio & Auguſto.

Calefacit & ſiccat vehementer, non minus quam Thlaſpios ſemen, cum quo viribus correſpondet.

SEMEN THLASPI LATIORIS.

Sunt Thlaſpi arvenſis ſiliquis latis C. B. Pin ſemina rotunda, in ſiliquis latis rotundis, compreſſis ſeu foliaceis contenta, cum ſtriis circularibus.

θλάσπι ἢ θλασπίδιον καὶ σίνηπι ἄγριον THLASPI ALTERUM, NASTURTIUM SYLVESTRE, SCANDULACEA, CAPSELLA NASTURTIUM SYLVESTRE SCANDULACEUM, PES GALLINACEUS. Breit Teſchel-Krauth/ Teſchel-Kreß/ Bauren-Senff.

Thlaſpi arvenſe ſiliquis latis. C. B. Pin. 105. Thlaſpi cum ſiliquis latis. I. B. 2. 923. Thlaſpi latius. Dod. Pempt. 712.

Majo Junio & Julio cum ſemine in arvis reperitur.

Semen, docente SCHWENCKFELDT, acre eſt, bilem extrahit potum. Internas ſuppurationes rumpit.

SEMEN VIOLÆ LUNARIÆ.

Sunt ſemina Lunariæ majoris C. B. Pin. magna, orbiculata, compreſſa, utplurimum reniformia, ex ruffo nigricantia, & cum aliquali amaritie acerrima.

Ab-

LUNARIAM dictam putant a ſiliquis, cum maturuerint, argentei nitoris. In ea enim lævitate Lunæ faciem noctu repræſentari

ſentari ajunt. Audit quoque LUNARIA GRÆCA; VIOLA LUNARIS, BULBONAC, BULBONACH. Mond-Veyel/ Silber-Blumen/ Fittern/ LUNAIRE ou BULBONAC.

Lunaria eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, omnino planum, ſepto intermedio, cui valvæ membranaceæ & parallelæ adhæreſcunt, in duo veluti loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum reniformibus & quaſi marginatis.

Lunaria major ſiliqua rotundiore. I. B. 2. 881. Viola Lunaria major ſiliqua rotunda. C. B. Pin. 203. Viola latifolia. Dod. Pempt. 161. Viola Lunaris. 1. Tabern. Icon. 313.

Lunaria major ſiliqua longiore. I. B. 2. 882. Viola lunaria major ſiliqua oblonga. C. B. Pin. 203. Viola lunaris ij. Tabern. Icon. 314.

Sponte provenit in ſylvis Thuringiæ & editioribus nemoribus Auſtriæ, Stiriæ & Pannoniæ: Colitur in hortis, floret Majo & Junio.

ZACIN-

Abſtergit aperitque hoc ſemen calefacit & urinam ciet. Tritum cum aquis appropriatis exhibetur Epilepticis, ut ſcribit SCHWENCKFELDT.

Doſis a ℈j. ad ʒj. usque.

SEMINA SALE VOLATILI ACRI CUM OLEO CRASSO CONSTANTIA.

Bupleuri.
Cichorii verrucarii.

SEMEN BUPLEURI.

Sunt Bupleuri vulgatiſſimi C. B. Pin. ſemina oblonga, ſemini

ſemini Petroſelini ſimilia, ſtriata, gryſea, ſaporis acris.

Semina hæc gaudent virtute calefaciente, ſiccante & ſudorifera, laudantur etiam contra morſus ſerpentum interne uſurpata.

SEMEN CICHORII VERRUCARII.

Eſt ſemen Zacinthæ ſive Cichorii verrucarii Matth: copioſum, Lactucæ par, non ita compreſſum, ſubnigrum.

ZACINTHA ab inſula Zacintho, in qua abundare dicitur. CICHORIUM VERRUCARIUM, ab effectu audit. CICHORIUM VERRUCOSUM, VERRUCARIA, CHONDRILLA VERRUCARIA. Wartzen-Krauth.

Zacintha eſt planta flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante embryoni inſidentibus, & çalyce ſquamoſo comprehenſis. Calyx autem deinde abit in capitulum quoddam ſtriatum, cujus ſingulæ partes ceu capſulæ ſemine turgeſcunt pappis inſtructo.

Zacintha ſive Cichorium verrucarium. Matth. 505. Chondrilla verrucaria foliis Cichorii viridibus. C. B. Pin. 130. Cichorium verrucoſum ſive Zacintha Hieraciis annumerandum. I.B. 2.1013.

Sponte provenit in Italia & inſula Zacintho, colitur in hortis; floret Junio & Julio.

θηλυχεχνία

Semen hoc tribus diebus devoratum drachmæ pondere, dum ſe cubitum recipiunt verrucoſi, verrucas abigere dicitur.

SEMINA SALE FIXO AMARO CONSTANTIA.

Azedarach.

Corni

Corni fœminæ.
Galegæ nemorenſis vernæ.
Geniſtæ tinctoriæ.
Lycii.
Lycii Cretici Alpini.
Nigellaſtri.
Nigellæ Creticæ odoratæ.
Ocimaſtri.
Pelecini.
Phillyreæ anguſtifoliæ.
Phillyreæ latifoliæ.
Sapindi.
Stoebes Salmanticæ.

SEMEN AZEDARACH.

Sunt Azedarach Dod. baccæ luteæ, magnæ, amaræ, cum dulcedine quadam, initio virides, maturitate candicantes, fœtidæ, ingrati ſaporis.

Fructus hic pectori noxius & valde pernicioſus, ventriculo quoque adverſatur anguſtiam cauſans. Obſerventur de uſu hujus fructus & totius arboris Azedarach, quæ habet JOH. BAUHINUS, ita diſſerens. Nolimus hercle tam venenata planta interne uti, quandoquidem non deſint infinitæ propemodum aliæ. Merito ſuadet MATTHIOLUS, ut omnes caveant, qui hanc arborem ſuis in viridariis alunt. ne forte imprudenter ſe ipſos aut liberos vel domeſticos in

perniciem agant. Nam & RAUVOLFFIUS teſtatur fructus admodum nocuos eſſe eorumque eſu mori canes. Eosdem quoque ne aves quidem attingunt.

SEMEN CORNI FOEMINÆ.

Sunt Corni fœminæ C. B. Pin. baccæ hederaceis vel juniperinis pares, ſanguineis petiolis appenſæ, primum virides per maturitatem nigricantes, lacuna in umbilico parva perfoſſæ, in quibus oſſiculum, pulpa virente, acerba, inſuavi, nec ſine amarore immerſum, ſtriatum, nucleum continens album, amarum.

θηλυκρανία, ψευδοκρανία, CORNUS FOEMINA, CORNUS FALSA, CORNUS SPURIA, CORNIOLUS. VIRGA SANGUINEA dicitur propterea, quod virgæ ejus magna ex parte rubent ſanguinis inſtar, quamvis Veteribus & alia de cauſa ſic dicta videatur, quod ex verberatione parricidarum, antequam morbi traderentur, ſanguine madebant, unde forte ejus lignum apud Priſcos infeliciſſimum habitum. SANGUINARIA, SANGUINELLA, Spindel-Baum / Faul-Baum / Faulbeer-Baum / SANGUIN.

Cornus fœmina. C. B. Pin. 447. & Lob. Icon. 169. Cornus fœmina, putata Virga ſanguinea. I. B. I. 214.

Non in montibus tantummodo provenit hæc arbor, ſed & in ſepibus frutetis ſylveſtribus, & ſaxoſis locis paſſim Germaniæ fruticat.

Floret Aprili & Majo. Baccæ Schleß-Beeren / Faul-Beeren / imminente autumno magna ex parte nigreſcunt.

OROBUS

Virgæ ſanguineæ baccæ guſtu ſunt amaro, acerbo, adſtringente, unde, docente J. BAUHINO, neceſſe eſt, conſimili facultate præditum eſſe earum oleum, quod Ananienſia

ſia rura in tridentino agro conficiunt ad lucernarum uſum, expreſſis torculari, decoctis prius in aqua baccis.

SEMEN GALEGÆ NEMORENSIS VERNÆ.

Sunt Galegæ nemorenſis vernæ I. B. ſemina rotunda, exigua, interdum vero oblongiuſcula, amaricantia.

OROBUS SYLVATICUS VERNUS. OROBUS CYSSOPHYLLUS, ASTRAGALUS SYLVATICUS VERNUS. PHASIOLUS SYLVARUM: Wald-Erven / Wald-Wicken.

Refertur a TOURNEFORTIO ad Orobum.

Eſt autem Orobus plantæ genus flore papilionaceo, vexillo nempe carina & alis conſtante, ex calyce autem ſurgit piſtillum membrana obvolutum, quod deinde abit in ſiliquam teretem, ſeminibus fœtam plerumque ovatis. His notis addenda ſunt folia bina, conjugata, coſtæ innaſcentia in mucronem abeunti.

Orobus ſylvaticus purpureus. C. B. Pin. 351. Galega nemorenſis verna. I. B. 343. Orobus Pannonicus. 1. Clus. Hiſt. CCXXX.

In montibus floret Aprili & Majo.

Vocantur

Semen hoc amaricat, calidiuſculum eſt & abſterſoriæ facultatis juxta SCHWENCKFELDT.

SEMEN GENISTÆ TINCTORIÆ.

Eſt Geniſtæ Tinctoriæ Germanicæ C. B. Pin. ſemen copioſum, parvum, ſiliquis unciam longis, glabris incluſum, amarulentum.

Hoc ſemen authore TRAGO tuſum & potum torminoſis prodeſt, ac ad acidos ructus certo experimento unice conducit. Naribus inditum erumpentem ſanguinem ſiſtit.

In

In farinam redactum oleoque mixtum, ſi ex eō corpus inungas, ſudores ciet.

SEMEN LYCII.

Sunt Lycii Gallici C. B. Pin. baccæ, quæ maturæ ſub pellicula continent ſemina oblonga, polita, ſtriata, exiccatæ bicoccæ & tricoccæ apparent baccæ ſpinæ Burgundicæ ſic ſatis ſimiles, amaræ valde.

Vocantur GRANA TINCTORIA, GRANA FLAVA, GRANA AVENIONENSIA, GRAINES à TEINDRE, GRAINES D'AVIGNON, GRAINETTE, GRAINE JAUNE. Planta ipſa vocatur LYCIUM aut PYXACANTHA.

a TOURNEFORTIO ad Rhamnum refertur.

Rhamnus Catharcticus minor. C. B. Pin. 478. Lycium Gallicum ejusdem. 478. & I. B. 1. 58. Spina infectoria pumila. 1. Clus. Hiſt. 111.

Circa Avenionem multum reperitur, unde & nomen traxit, occurrit quoque in Delphinatu, Languedocia & Gallo Provincia.

LYCIUM

Utuntur his granis ad tingendum colore flavo. Batavi cum terra quadam Cretacea albicante & decocto horum granorum, in aqua, in qua aliquid aluminis diſſolutum erat, formant parvos panes, coloris flaveſcentis & aurei. Appellantur STIL DE GRAIN & pictoribus inſerviunt.

SEMEN LYCII CRETICI ALPINI.

Sunt Lycii Cretici Alpin. baccæ, oblongæ, nigreſcentes, piperis magnitudine, & rotunditate, ſapore ſtiptico, primo ſubdulci, poſtmodum amareſcente.

De

Lycium a Lycia Provincia abundantius hanc ſtirpem producente dicitur.

a TOURNEFORTIO ad Rhamnum refertur. Eſt nempe Rhamnus Creticus Buxi folio minori. Tourn. C. I. R. H.

An Lycium Creticum. P. Alp. Exot. 21.

Nigella

De uſu hujus LYCII ita diſſerit ALPINUS. Quod pertinet ad iſtius plantæ facultates atque ad uſus medicos procul dubio habebit & hæc planta easdem & vires & uſus, quos antiqui de Lycio tradiderunt, cum præſertim & hæc ſtirps notas veri Lycii habeat & folia & fructus cum adſtrictione amareſcant, primò enim guſtui ſubdulces apparent & mox levi ea dulcedine cito reſoluta amari eſſe ſentiuntur, quæ amaritudo in ipſis remanet modica. Ipſorum eſſentia mixta eſt ex ſubſtantia tenui calida, amara, qua calefacit, ſiccat, detergit, ex terrea frigida & ſicca, qua adſtringit, refrigerat, ſiccat, roborat, meatus claudit. Unde non mirum eſt, ſi ulceribus oris, labiorum, aurium, & ſimilium partium medeantur, ſi caliginem ab oculis amaritudine detergant, atque etiam cæliacis dyſentericis cruentisque rejectionibus, fœminarumque profluviis opera ferant; cum per os aſſumpti tum intus inditi. Hæc omnia ſuccus, qui & ex foliis & ex fructibus, vel ex radicibus, ut voluit DIOSCORIDES, parabitur, præſtabit.

SEMEN NIGELLASTRI.

Sunt ſemina Lychnidis majoris C. B. Pin. magna, anguloſa, ſtriata, per maturitatem nigra, ſapore amaro.

Semen, quod microſcopio inſpectum Echinum in ſe conglobatum non male exprimit, excalefacit, ſiccat, abſtergit,

Lumbricos necat, Urinam & menſes promovet, in vino potum: qua ratione etiam conducit contra vertiginem, prodeſt in difficili partu, medetur ſterilitati, & ad aurigi-nem laudatur.

SEMEN NIGELLÆ CRETICÆ ODORATÆ.

Sunt Nigellæ albæ ſimplici flore Alpini, ſemina nigra, ſuaviter olentia, amara.

Nigella Cretica latifolia odorata. Park. Theart. 1376. Nigella alba ſimplici flore. P. Alp. Exot. 261.

Floret Menſe Junio.

Lychnis

Semina ſunt calida, amara, incidentia craſſos humores & viſcidos detergentia, unde illorum ſeminum decoctum efficax eſt ad tollendas viſcerum obſtructiones, præſertimque ſi ex aceto coquantur, atque exinde mirum haud eſt, ſi uſum habuerunt ſemper ſingularem ad movendam urinam impeditam ab humoribus craſſis & lentis atque etiam ad menſes ſuppreſſos a craſſitie & lentore ſanguinis craſſi & viſcidi; ex aceto & melle uſum non ſpernendum habent ſemina trita ad cutis infectiones ad maculas & ſordities in ea delendas. Venenis adverſantur & demorſis a feris venenatis auxilio ſunt, Aſcarides interimunt & per os aſſumpta & exterius umbilico emplaſtri modo appoſita.

SEMEN OCIMASTRI.

Eſt Lychnidis ſylveſtris albæ ſimplicis C. B. Pin. ſemen

Hyo-

Hyoſcyami par, rotundum, compreſſum nonnihil, coloris cinerei, vaſculo turbinato in crenatum denticulatumve orificium dehiſcente, ſed involucro exteriore ſtriato, contentum.

LYCHNIS SYLVESTRIS CANDIDA, OCIMOIDES ALBUM, SAPONARIA HIRSUTA. Glied-Kraut/ Margen-Röſslein/ wild Margen-Röſslein/ Wieder-Stoß/ Spley-Speitel/ Lydweich/ OEILLETS SAUVAGES.

Lychnis ſylveſtris alba ſimplex. C. B. Pin. 204. Ocimoides album multis. I. B. 3. 342. Ocimaſtrum multiflorum. Tabern. Icon. 299.

Floret plurima æſtatis parte ad ſepes & in pratis herbidis quandoque.

Semen hoc ex vino potum viperarum morſibus mederi fertur.

SEMEN PELECINI.

Sunt Pelecini vulgaris Tourn. ſemina exigua, compreſſa, Lentis colore ac rotunditate, verum multis numeris minora, leviterque ſinuata, guſtu ad leguminoſum accedente ſaporem, paulum amaro.

Symbo-

Πελέκινος quoniam multum affinis eſt hæc planta Securidacæ, SECURIDACA PEREGRINA, HEDYSARUM PEREGRINUM, SCOLOPENDRIA LEGUMINOSA, SERRA LEGUMINOSA.

Pelecinus eſt planta flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam planam, bicapſularem & bivalvem, ſeminibus fœtam planis utplurimum reniformibus.

Pelecinus vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 10. ſ. 5. g. 3. Securidaca ſiliquis planis utrinque dentatis, C. B. Pin. 349. Lunaria radiata.

 Rob.

Rob. Cat. Lunaria radiata Robini. I. B. 2. 348. Securidaca peregrina. Clus. Hiſt. CCXXXVIII.

Sponte naſcitur in Sicilia & Luſitania. Colitur in hortis; floret æſtate.

Symbolizat viribus cum Securidaca: urinam ciet, obſtructiones tollit & ventriculum roborat, ſive in ſubſtantia ſive in decocto uſurpetur.

SEMEN PHILLYREÆ
ANGUSTIFOLIÆ.

Sunt Phillyreæ anguſtifoliæ 1. C. B. Pin. baccæ rotundæ, parvæ, cæruleæ vel potius violaceæ, breviſſimis pedicellis racematim ramulis adhæreſcentes, dulces cum aliquo amarore.

ILATRUM quidam appellant alii, LINTERNUM.

Characterem vide ſub Phillyrea latifolia.

Phillyrea anguſtifolia prima. C. B. Pin. 470. Phillyrea iiij. Clus. Hiſt. 52. Phillyrea anguſtifolia. I. B. 1. 538.

In Gallia Narbonenſi & Galloprovincia provenit.

Φιλλυρέα

Virtute hæ baccæ gaudent adſtringente & refrigerante. Ulceribus oris medentur & in angina proſunt. Adhibentur in gargariſmatibus & collutionibus oris.

SEMEN PHILLYREÆ LATIFOLIÆ.

Sunt Phillyreæ latifolia lævis C. B. Pin. baccæ myrti baccis æquales, per maturitatem nigricantes, racematim adhæreſcentes, guſtu cum aliquali dulcedine adſtringentes & amaricantes.

Viribus

φιλλυρέα, OLEÆ AMASIA, MACALEB SERAPIONIS.

Eſt plantæ genus flore monopetalo campaniformi, quadripartito, e cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, ſemine fœtum ejusdem formæ.

Phillyrea latifolia lævis. C. B. Pin. Phillyrea arbor Gallo provinciæ verior, Macaleb Serapionis. Lob. Icon. 132. Phillyrea arbor Lobelio. I. B. 1. 540.

Reperitur in Gallo provincia.

Viribus concordat cum Phillyrea anguſtifolia.

SEMEN SAPINDI.

Sunt Sapindi Tourn. fructus gallæ magnitudine orbiculati, nigro corticoſo atque rugoſo quodam putamine contecti, ſub quo albus cortex teſtaceus ac pene oſſeus, verum non craſſus, colore fuſco ſplendente. Intus fructus latet exquiſite ſphæricus, oſſeo & craſſiuſculo cortice contextus, nigro lævi & Ebeni politi in modum ſplendicante. Nucleus pallet & oleagineus eſt.

De

SAPINDUS quaſi Sapo Indus, propter fructus corticem, qui Saponis uſum præbet. NUCULÆ SAPONARIÆ, SPHÆRULÆ SAPONARIÆ. ARBRE QUI PORTE DES SAVONETTES.

Sapindus eſt plantæ genus flore roſaceo, ex quatuor plerumque petalis conſtante: ex cujus calyce quadrifolio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſphæricum nucula fœtum ſphærica pariter nucleum condente ejusdem formæ.

Sapindus foliis coſtæ alatæ innaſcentibus. Tourn. I. R. H. app. p. 659. Nuculæ ſaponariæ non edules. C. B. Pin. 511. Saponariæ ſphærulæ arboris filicifoliæ. I. B. 1. 312. Prunifera racemoſa folio alato, coſta media membranulis utrimque extantibus donata

nata fructu ſaponario. Sloane. Cat. Jam. 184. Prunifera ſeu Nuciprunifera fructu ſaponario, orbiculato, monococco, nigro, Americana. Pluck. Tab. CCXVII, fig. 7. Arbre qui porte des Savonettes, du Tertre. 165.

Cistus

De uſu ita diſſerit JOH. BAUHINUS. Oſſiculis perforatis fiunt precatoriæ corollæ, non inelegantiores, quam ſi ex Ebeno confectæ eſſent, imo iis præſtant, cum quod læviores ſint, tum non adeo fragiles. Fructu integro cum aqua calida panni eluuntur perinde atque ſapone. At ſi quis frequentius eo utatur, pannos urit & corrumpit. Semel duntaxat neceſſitatis cauſa eluiſſe ſufficiat. Pulpa oſſiculum ambiens ea eſt quæ ſaponis vicem præbet. Eſt vero is fructus, teſte MONARDE, adeo amarus, ut nullum quadrupes aut avis eum deguſtet. Iis veſtes elutæ multo nitidiores redduntur quam ſi ſaponis librali pondere elotæ forent, plurimam enim ſpumam excitant, eosdemque effectus præbent quos ſapo, paulatim liqueſcentes, donec ſolæ ſphærulæ ſuperſint, quæ in precarias coronas perforatæ concinnantur.

SEMEN STOEBES SALMANTICÆ.

Sunt Stoebes majoris foliis, cichoraceis mollibus, lanuginoſis C. B. Pin. ſemina, Cnici ſeminibus minora, pappis inſtructa, ſaporis amari.

Symbolizant virtute cum foliis de quibus infra.

SEMINA CONSTANTIA SALE BLANDO DIURETICO.

Ciſti folio Salicis.

Coridis

Coridis.
Corrudæ.
Ericæ bacciferæ.
Ericæ bacciferæ Luſitanicæ.
Graminis Crucis.
Graminis pratenſis ſpica arundinacea.
Lithoſpermi nigri.
Ornithopodii.
Spinachiæ fragiferæ.
Tribuli terreſtris.

SEMEN CISTI FOLIO SALICIS.

Sunt Ciſti folio Salicis C. B. Pin. ſemina minus ruffa, papaverinis minora, inæqualia, matura Auguſto.

CISTUS ANNUUS FOLIO ROTUNDIORE. CISTUS HUMILIS ANNUUS, CISTUS ANNUUS FOLIO SALICIS.

Ad Helianthemum a TOURNEFORTIO refertur.

Helianthemum Salicis folio. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 16. Ciſtus folio Salicis. C. B. Pin. 465. Ciſtus annuus 1. Cluſio folio rotundiore, I. B. 2. 13. Ciſtus annuus folio Salicis. Lob. Icon. 118.

Sponte provenit in Hiſpania, regno Granatenſi & apud Salmanticenſes, ad vinetorum margines; floret Julio in hortis.

CORIS

Ciſti annui ſemen, annotante CLUSIO, maxime commendatur ad nephriticos dolores.

SEMEN

SEMEN CORIDIS.

Eſt Coridis maritimæ flore rubro C. B. Pin. ſemen parvum, nigrum, odoris & ſaporis nullius manifeſti.

CORIS MONSPELIACA, Erdkieffer von Montpelier.

Coris eſt plantæ genus, flore monopetalo perſonato, poſterius tubulato, anterius veluti flabelliformi, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, in multas partes dehiſcentem, ſeminibus fœtum ſubrotundis & in ipſo calyce reconditum.

Coris maritima flore rubro. C. B. Pin. 280. Coris Monſpeſſulana purpurea. I. B. 3. 334. Coris quorumdam flore purpureo. Clus. Hiſt. CLXXIIII.

Coris cærulea maritima. C. B. Pin. 280. Coris Monſpeſſulana cærulea. I. B. 3. 334. deſcr. Coris quorumdam flore ex purpura cæruleo. Clus. Hiſt. CLXXIIII.

Floret Majo menſe, nonnunquam etiam Martio, ſiccis quibusdam circa Salmanticam & Mompellium, ut loquitur CLUSIUS, locis, maritimis item, Valentiæ & Galliæ Narbonenſis, ubi tota major, craſſior & ſucculentior naſcitur, ut fere ſolent omnes maritimæ ſtirpes, ſi cum eis, quæ macro & arido ſolo proveniunt, comparentur.

ERICA

Coridis ſemen, Authore prædicto CLUSIO, menſes & urinas trahit, contra Phalangiorum morſum, Iſchiadicis & opiſthotonicis auxilio eſt; horroribus ex pipere, opiſthotonicis ex oleo utiliſſime illinitur.

SEMEN CORRUDÆ.

Sunt Aſparagi foliis acutis C. B. Pin. ſemina alba, duriuſcula.

Dicitur iisdem gaudere virtutibus ac radix.

SEMEN

SEMEN ERICÆ BACCIFERÆ.

Sunt Ericæ bacciferæ Matthioli baccæ purpureæ, in purpura nigricantes, juniperinis haud minores, ſed molliore pulpa lenta, & colore ſubvireſcente.

ERICA CORIS FOLIO PRIMA, EMPETRUM.

Eſt autem Empetrum plantæ genus flore apetalo; plurimis nempe ſtaminibus conſtante ſed ſterili; fructus enim in aliis ejusdem plantæ locis oriuntur baccis ſimiles, duobus aut tribus ſeminibus fœti, oſſeis vel cartilagineis.

Empetrum montanum fructu nigro. Tour. I. R. H. cl. 18. ſ. 2. g. 2. Erica baccifera procumbens nigra. C. B. Pin. 486. Erica baccifera Matthioli. I. B. 1. 526. Erica Coris folio. XI. Clus. Hiſt. 45.

Locis montoſis & ſaxoſis provenit.

Sunt, qui has baccas contra convulſiones commendant, ſed MATTHIOLUS fatetur, ſe de ſuæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

SEMEN ERICÆ BACCIFERÆ LUSITANICÆ.

Sunt Ericæ erectæ baccis candidis C. B. Pin. baccæ, uniones obſcuriores tum forma tum colore referentes, ſucculentæ, ſaporis acidi.

Fructum

ERICA BACCIFERA TENUIFOLIA, ἀκακαλὶς, ACACALIS, LUSITANIS CHAMARINHARA, fructus autem ab iisdem vocatur CAMARINHAS.

Refertur a TOURNEFORTIO ad Empetrum. Eſt videlicet.

Empetrum Luſitanicum fructu albo. Tourn. I. R. H. cl. 18. ſ. 2. g. 2.

g. 2. Erica erecta baccis candidis. C. B. Pin. 486. Erica baccifera Luſitanica, I. B. 1. 528. Erica Coris folio, X. Cluſ. Hiſt. 45.

In Luſitania ſolo admodum arenoſo provenit. Autumno fructum fert.

Fructûm hunc febrientibus exhibent, ad ſitim, qua premuntur, reſtinguendam: avide etiam idem fructus a pueris & mulierculis expetitur. AMATUS certe teſtatur fructum eſui eſſe gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter uti. Maceratur quoque in aqua, quæ deinde inſtar collyrii ad viſum acuendum uſurpatur.

SEMEN GRAMINIS CRUCIS.

Sunt Graminis Crucis I. B. ſemina in ſpicis cruciformibus, minutiſſima, ſeminibus graminis communis ſimilia.

Semina hæc, juxta ALPINUM, maximum uſum apud omnes Ægyptios habent ad eos ſcilicet, qui tum renum tum veſicæ calculis laborant, adque ad frangendos lapides in veſica concretos, quod morbi genus in Ægypto eſt familiariſſimum, & quaſi endemium. Sunt aliqui, qui pro ſecreto auxilio habent decoctum ex ſeminibus modice contuſis paratum, ad adjuvanda exanthemata in febribus peſtilentibus, quas peticulas noſtri appellant.

SEMEN GRAMINIS PRATENSIS SPICA ARUNDINACEA.

Eſt Graminis pratenſis vulgaris ſpica fere arundinacea I. B. ſemen.

GRAMEN PRATENSE VULGATIUS, GRAMEN VULGO COGNITUM TRAGI.

Gramen panicula fere arundinacea, locuſtis breviſſimis. Tourn. I. R. H cl. 15. ſ. 3 g. 8. Gramen pratenſe vulgare, ſpica fere arundinacea. I. B. 2. 461.

Hujus ſemine, ut docet, JOH. BAUHINUS in horreis e ſpicis excuſſo & collecto utuntur complures Medici, ad obſtructiones viſcerum, calculum, potu: admotuque ad diſcuſſionem pertinacium tumorum & flatuum, tametſi officinis uſu incognito. Aſt hoc non ſine periculo, quia non facile ſeparari poteſt ab aliarum herbarum ſeminibus.

SEMEN LITHOSPERMI NIGRI.

Sunt Lithoſpermi arvenſis radice rubra C. B. Pin. terna vel quaterna ſemina, nigra, Echii aut Bugloſſi vulgaris ſeminibus ſimilia.

LITHOSPERMUM SYLVESTRE, MILIUM SOLIS SECUNDUM, λιθόσπερμον ἄγριον, ANCHUSA ARVENSIS ALBA, ANCHUSA vocatur propter radicem Anchuſæ modo rubentem. LITHOSPERMUM ARVENSE RADICE RUBRA. ANCHUSA DEGENER FACIE MILII SOLIS. Schwartzer Stein-Hirſch / wilder Meer-Hirſch.

Eſt ſpecies Bugloſſæ nempe Bugloſſum arvenſe annuum, Lithoſpermi folio. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 4. g. 2. Lithoſpermum arvenſe radice rubra C B. Pin. 258. Lithoſpermum nigrum quibusdam flore albo ſemine Echici. I. B. 3. 592. Echioides alba. Column. part. 1. 185.

Inter ſegetes Majo floret. Incultis etiam & ruderatis pluribus occurrit.

ORNI-

Semina hæc calculoſis ex vino propinantur.

SEMEN

SEMEN ORNITHOPODII.

Sunt Ornithopodii majoris C. B. Pin. ſemina minuta, rotunda, Napi aut Rapi ſimilia, ſiliquis pedem aviculæ digitatum exprimentibus contenta.

ORNITHOPODIUM a vocibus græcis Ὄρνις & πὲς pes, quaſi dicitur PES AVIS. POLYGALA GESN.

Ornithopodium eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam falcatam articuloſam, plerumque undulatam in ſingulis articulis ſemine fœtam ſubrotundo. His notis addendum eſt, ſiliquas Ornithopodii plures ſimul naſci, aviumque pedes quodammodo æmulari.

Ornithopodium majus. C. B. Pin. 250. Ornithopodium flore flaveſcente. I. B. 2. 350. Ornithopodium. Dod. Pempt. 544.

Floret Junio in aridioribus, geniſtetis præcipue.

Semen ut & planta gaudet virtute aperitiva; laudatur ad attenuandum & expellendum calculum renum & veſicæ. Exterius quoque commendatur ad hernias.

SEMEN SPINACHIÆ FRAGIFERÆ.

Sunt Bliti polyſpermi a ſeminis copia C. B. Pin. orbiculi, fructus Mori rudimenta quodammodo referentes, qui per maturitatem rubellum colorem contrahentes exigua fraga mentiuntur, atque magnam toti plantæ addunt venuſtatem & gratiam; ſucco quodam vini rubri æmulo prægnantes.

Non

ATRIPLEX BACCIFERA, ATRIPLEX SYLVESTRIS MORI FRUCTU, ATRIPLEX SYLVESTRIS BACCIFERA, Erdbeeren-Spinat.

a TOUR-

a TOURNEFORTIO ad Chenopodium refertur. Eſt nimirum.

Chenopodium Betæ folio. Tourn. I. R H. cl. 15. ſ. 2. g. 4. Blitum polyſpermon a ſeminis copia. C. B. Pin. 118. Blitum erectius ſive 3. Tragi. I. B. 967. Blitum ſylveſtre. Camer. Epit. 237.

Chenopodium ſeu Atriplex Morifructu minor ſeu fragifera minor. Moris. Atriplex ſylveſtris Mori fructu. C. B. Pin.

Chenopodium Morifructu major, ſeu Atriplex fragifera major. Moris. Hiſt. 2. Spinachia fragifera. Hort. Farnes. Ald.

Colitur in hortis, floret æſtate.

Aouai

Non tantum fructus ad veſcendum invitant, ſed & folia inter olera reponuntur.

SEMEN TRIBULI TERRESTRIS.

Sunt Tribuli terreſtris I. B ſemina, oblonga, nidulantia in loculis fructus quodammodo cruciformis vel turbinati, ex pluribus muricatis partibus compoſiti.

Fructus tribuli terreſtris, notante JOH. BAUHINO, viridis potus calculoſis prodeſt. Drachmæ pondere potus & impoſitus commorſis a Vipera particulatim opitulatur. Commodus etiam eſt ad lethalia medicamenta cum vino potus. Decoctum reſperſum pulices necat. Semen adalligatum varicum dolores ſedare dicitur.

SEMINA SALE PURGANTE ACERRIMO CONSTANTIA.

Ahouai.
Chamelææ tricoccæ.

 Lau-

Lauri Tini.
Peponis ſylveſtris.
Sanamundæ glabræ.
ThymelææMonſpeliacæ.

AHOUAI.

Eſt fructus Ahouai Theveti triquetræ figuræ deltoides, mediocris caſtaneæ magnitudine, duobus cornibus compreſſioribus, cæteroqui turgidulus, coloris ravi, ſuperficie aliquantum inæquali, ac inter duo inferiora cornua rimam agit, ad intima penetrantem : a ſummo apice, in quo foraminulum pervium, quatuor ducuntur ſulci in totidem quadrantes fructum dividentes, qui concuſſu nucleum ineſſe teſtatur.

AOUAI, HAOUUAY.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, infundibuliformi, multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum carnoſum, quodammodo pyriformem, oſſiculo fœtum fere trigono nucleum condente.

Ahouai. Thev. Franc. Antarct. 66. Arbor America foliis pomi fructu triangulo, C. B. Pin. 434. Ahouai fructus venenatus. I. B, 1. 337.

Reperitur in America præſertim Braſilia.

Χαμέλαια

Fructus venenatus eſt, & pernecabilis vereque deleterius, potiſſimum nucleus, quo exempto ſylveſtres putaminibus tintinabulorum loco utuntur, quæ cruribus circumdata nihilo remiſſius ſonant, quam campanulæ noſtrates. Tantum vero abeſt, ut ii peregrinis fructus iſtos recentes donent, ut ſuis etiam liberis tactu interdicant, priusquam exemtus fuerit nucleus, ut refert THEVETUS.

Rami

Rami arboris amputati odorem ſpirant fœtidum humanum ſtercus juxta RAJUM referentem, ut indigenæ eo ligno nullo modo utantur, ne quidem ad ignem fovendum.

SEMEN CHAMELÆÆ TRICOCCÆ.

Sunt ſemina Chamelææ Dod. tricocca, primum viridia, maturitate vero ruborem induentia, in frutice ſuo perennia, dura, dentibus fractu contumacia, medullam albam continentia, amaricantia.

Χαμέλαια, χαμαίλεα quaſi humilis olea χαμαίλεα τρικόκκος a fructu, OLIVELLA, frembder oder welſcher Seidelbaſt/CAMELEE, GAROUPE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, tripartito, ita ut quandoque ex tribus petalis conſtare videatur, hujus autem piſtillum abit deinde in fructum tricoccum, ſeu ex tribus oſſiculis compoſitum, tenui cute obvolutis ſubrotundis, ſemine fœtis oblongo.

Chamelæa tricoccos. C. B. Pin. 462. & I. B. 1. 584. Chamelæa. Dod. Pempt. 363.

Squalidi, fervidi, ſaxoſi & maritimi ſoli amaſia eſt. Inter Monſpelium & Frontignanam in collibus ſaxoſis multum obſervatur. Non tantum in Gallia Narbonenſi ſed & in Hiſpania invenitur.

Δάφνη

Qualitatibus magna ex parte cum Laureola convenit, eodemque modo corrigitur & exhibetur.

SEMEN LAURI TINI.

Sunt lauri ſylveſtris C. B. Pin. fructus, Myrti baccis paulo longiores, planiores, anguloſi, cœrulei coloris elegantiſſimi, ſaporis admodum acris ac fervidi.

Baccæ

Δάφνη ἄγρια Tinus & Laurus Sylvestris, Laurus Regia Italorum, Portugaleſiſcher wilder Lorbeer-Baum/ Laurier Tin.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, rotato, multifido, cujus meditullium perfoditur a cacumine calycis: Is autem deinde abit in fructum olivæformem, umbilicatum, ſemine fœtum plerumque Pyriformi.

Tinus prior. Clus. Hiſt. 49. Laurus ſylveſtris Corni fœminæ foliis ſubhirſutis. C. B. Pin. 461. Laurus Tinus ſeu ſylveſtris prior. J. B. 1. 418.

Tinus alter. Clus. Hiſt. 49. Laurus ſylveſtris foliis venoſis. C. B. Pin. 461.

Tinus tertius. Clus. Hiſt. 49. Laurus ſylveſtris folio minore. C. B. Pin. 461.

Sponte oritur in ſaxoſis ac præruptis Luſitaniæ. Item in Italia & in Gallia Narbonenſi. Colitur in hortis, ubi floret Aprili, in hybernaculo Januario & Februario jam flores producit.

Cucurbita

Baccæ hujus Lauri, præſertim ultimæ ſpeciei, deguſtatæ non ſecus ac Mezereonis aut Laureolæ os & fauces inflammant, eo ardore & vehementia, ut nonniſi diuturno tempore lacte in ore detento leniri & mitigari poſſit, intro aſſumptæ purgant deorſum non levi totius corporis perturbatione. Adeoque caute ſunt uſurpandæ. Juxta LOBELIUM iisdem valde quam lubenter veſcuntur ſturni, turmatimque ad illas convolant.

SEMEN PEPONIS SYLVESTRIS.

Eſt Peponis rotundi Melonis effigie C. B. Pin. fructus agreſtis & tota natura ſylveſtris craſſus, oblongus, ſtriatus, durioris corticis, colore virente, pulpa & interiori medulla una cum ſeminibus admodum amaris.

Uti-

CUCURBITA ASPERA AMARA.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt

Colocynthis fructu rotundo ſtriato. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 7. g. 11. Cucurbita folio aſpero amaro. I. B. 2. 228. Pepo rotundus Melonis effigie. C. B. Pin. 311. Pepo ſylveſtris. Dod. Pempt. 668.

Alicubi locis incultis ſponte pepones ſylveſtres gigni concedit DODONÆUS. Verum in Germania ac Belgio nonniſi ſatos provenire dicit.

Uti tota ſua natura ſylveſtres pepones valde amari ſunt, ita quoque calefaciunt & ſiccant intenſe : expurgandi quoque non minorem vim , quam ſylveſtres Cucumeres obtinent, inquit DODONÆUS. Vinum præterea, quod calyci, exempta cum ſemine medulla, infuſum , tantiſper in eo hæſerit, donec amaritudinem plene contraxerit, per alvum purgat ac pituitoſos bilioſoſque educit humores. In ſumma hujus ſuccus , idem quod Cucumeris agreſtis, præſtat : reſiccatus vero Elaterii loco ſuccedere poteſt.

SEMEN SANAMUNDÆ GLABRÆ.

Sunt grana Thymelææ foliis Polygalæ glabris C. B. Pin. rotunda, ſingularia, odoris gravis, & ſaporis inſuavis.

Thymelææ foliis Polygalæ glabris. C. B. Pin. 463. Sanamunda viridis vel glabra. C. B Prod. 160. Sanamunda glabra. I. B. 1. 593.

In maritimo tractu Narbonenſi reperitur.

BEEN

MYCONO authore vis purgatoria toti plantæ, (cui folia ſunt Myrteis ſimilia unciali plus minus longitudine , vix ſemunciam lata in acumen deſinentia , glabra) vehemens &

quam in Chamelæa valentior, nam drachmæ dimidiæ pondere potentiſſime alvum movet, ac aquas evacuat, non ſine torminibus & magno cruciatu.

SEMEN THYMELÆÆ MONSPELIACÆ.

Sunt Thymelææ foliis Lini C. B. Pin. fructus, baccarum Myrti interdum magnitudine, paulo longiores, initio virides, poſtea Corallii modo rubri, carne ſucci plena Ceraſorum inſtar, ſub qua latet unicum ſemen nigra fragilique pellicula albam & fervidi ſaporis medullam obvolvens.

Hunc fructum Coccum ſeu Granum Gnidium antiquorum Botanici quidam exiſtimant. Officinis Mezerei Germanici baccæ pro cocco Gnidio habentur. Coccognidiæ vis ardens & fauces adurens, unde miramur (inquit RAJUS) Perdices & aviculas baccis avidiſſime veſci. Aſt grana non ſunt baccæ integræ rubræ quæ forte eſculentæ ſunt, ſed ſemina quæ baccis celantur. Ruſtici Hiſpaniarum ſingulis annis prope infinitas aviculas hoc ſemine curvatis virgis & quibusdam lineis diſpoſitis venantur, teſtibus AMATO & CLUSIO.

SEMINA PURGANTIA CONSTANTIA SALE ACRI PURGANTE TAM VOLATILI QUAM FIXO.

Anagyridis fœtidæ.
Been albi officinarum.
Colocynthidis turbinatæ.
Crotolariæ.

Pepli.

Pepli.
Spartii.
Spergulæ.

SEMEN ANAGYRIDIS FOETIDÆ.

Sunt Anagyridis fœtidæ C. B. Pin. ſiliquæ digitali longitudine, pollicari vero latitudine, cartilagineæ, in quibus terna aut quaterna ſemina, nonnunquam plura, ſatis magna, exiguis phaſeolis ſimilia renis forma, quæ initio albent, deinde colorem purpuraſcentem contrahunt, tandem per maturitatem ex coeruleo nigricant.

Semen hoc commanducatum vomitiones movet. Quidam commendant ad dyſuriam ad grana triginta & ſeptem usque, ſed merito rejicit tantam quantitatem JOH. BAUHINUS.

SEMEN BEEN ALBI OFFICINARUM.

Sunt Lychnidis ſylveſtris, quæ Behen album vulgo C. B. Pin. ſemina, aliis Lychnidis ſeminibus ſimilia.

Semen

BEEN ALBUM ſive POLEMONIUM dictum, LYCHNIS SYLVESTRIS CANDIDA SECUNDA, HERBA ARTICULARIS, μήκων ἀφρώδης, PAPAVER SPUMEUM, Wandel-Krauth.

Lychnis ſylveſtris quæ Behen album vulgo. C. B. Pin. 205. Been album officinarum. I. B. 3. 356. Been album ſive Polemonium. Dod. Pempt. 172.

In herboſis ac lætis multa, item in ſylvis, arvis & parietinis. Floret vere & æſtate.

Semen hoc, juxta SCHWENCKFELDTUM, pituitam purgat, & comitialibus datur.

SEMEN COLOCYNTHIDIS TURBINATÆ.

Eſt Colocynthidis pyriformis ſeu Peponis amari C. B. P. fructus pugillaris, forma pyri turbinata, viridans, lirisque albicantibus virgatus, conſimilibus quoque notis temere maculoſus, carne candida, odoris gravis dum viret, ſaporis amari intolerabilis.

COLOCYNTHIS FOEMINA, COLOCYNTHIS TURBINATA PSEUDOCOLOCYNTHIS PYRI FIGURA.

Colocynthis turbinata. Cord, Hiſt. 115. Cucurbita aſpero folio, amara, turbinata, flava, candicantibus lineis inſcripta, parva. I. B. 2. 229. tum & Cucurbita ſive Colocynthis amara, pyriformis variegata, I. B. 2. 230. Colocynthis Pyriformis ſeu Pepo amarus. C. B. Pin. 313.

CROTO-

Eſt inſigniter amarus hic fructus, quam ob rem & obſtructos meatus expurgat & aperit, purgandi quoque vim per inferiorem ventrem æque, ac ſylveſtres pepones, obtinet, ſi DODONÆO credimus. Vinum etiam, quod in excavatam hanc Cucurbitulam infuſum nocte tota permanſerit, valenter quoque purgat, & bilioſos ac pituitoſos humores educit.

SEMEN CROTOLARIÆ.

Sunt Crotolariæ Aſiaticæ H. L. Bat. ſemina parva, compreſſa, flava, renalia, facie & ſapore geniſtæ æmula.

Semina

CROTOLARIÆ ſpecies inter crepundia & puerilia ludicra reponuntur apud Indos dictæ vulgo Kiligilippe , quod crepitaculum ſeu κρόταλον audit. Harum enim tremulæ ſiliquæ e ramis ſummis in tenuiſſimis petiolis pendentes , colliſu tum ad ſe invicem, tum ſeminum ad illarum valvas ſtridorem emittunt , ludentibus pueris non injucundum.

Crotolaria eſt plantæ genus a Geniſta diverſum, ſiliquarum forma, quæ turgent Anonidis more. Ab Anonide vero differt foliis ſingularibus.

Crotolaria Aſiatica fruteſcens trifolia floribus luteis amplis. H. L. Bat. Laburnum Zeylanicum floribus ex luteo & rubro variegatis, ſiliquis bullatis. Breyn. Prodr. 40.

Crotolaria Aſiatica folio ſingulari verrucoſo, floribus cæruleis. H. L. Bat.

Crotolaria Aſiatica folio ſingulari cordiformi floribus luteis. H. L. Bat.

Crotolaria hirſuta minor americana herbacea caule ad ſummum ſagittato. H. L. Bat.

Semina ſuſpicionem præbent Salis purgantis, quod ſtatim , ut ex infuſo aquæ calidæ aſſumpta ſunt , minentur vomitum.

SEMEN PEPLI.

Eſt Pepli ſive Eſulæ rotundæ C. B. Pin. ſemen parvum, rotundum, minus quam papaveris albi.

Peplus

ἡ Πέπλος quibusdam , συκῆ aliis ἀφρώδης μήκων. ESULA ROTUNDA, EVIGILIUM MATUTINUM VINEALE, Teuffels-Milch / runde Wolffs-Milch / REVEILLE MATIN DE VIGNE.

Tithymalus rotundis foliis non crenatis. H. L. Bat. Peplus ſive Eſula rotunda. C. B. Pin. 292. Peplos ſive Eſula rotunda. I. B. 2. 669. Peplus. Dod. Pempt. 375.

Ger-

Germanis & Gallis paſſim Peplus ſponte provenit, ſecus ſepes, foſſimenta margines hortorum & in vinetis.

Peplus colligitur in meſſe ſiccaturque in umbra, & aſſidue verſatur. Reponitur ſemen contuſum & depurgatum. Ducit pituitam & bilem acetabuli menſura cum aquæ mulſa hemina; ſed & obſoniis admixtum alvum turbat, conditur etiam muria. GALENO Peplos frutex parvus, ſuccum habet ſimilem Tithymalis, qui purgat veluti illi.

SEMEN SPARTII.

Sunt ſemina Spartii Hiſpanici Clus. dura, nigra, exiguo reni ſimilia, quæ in lobis agitatis aut concuſſis crepitant & ſonum edunt.

Virtute gaudent purgante per ſuperiora & inferiora.

SEMEN SPERGULÆ.

Eſt Spergulæ I. B. ſemen puſillum, rotundum atque nigrum.

Alsine Spergula Dicta, Sagina Spergula, weiſſer Knödrich.

Eſt ſpecies Alſines, nempe

Alſine Spergula dicta major. C. B. Pin. 251. Spergula. I. B. 3. 722. & Dod. Pempt. 537.

In agris tam cultis quam incultis provenit, floret æſtate.

Genista

Juxta J. BAUHINUM pabuli cauſa ſeritur, nec alium uſum, quod conſtet, habet, ſemen quidem vomitione pituitoſos humores educere plerique referunt: eſtur tamen a Gallinis & Columbis, quæ non ſolum citra noxam id ſublegunt,

gunt, verum etiam hoc paſtæ & ova plura & citius excludere creduntur. SCWENCKFELDT interim aſſerit, quod planta trita plantis pedum ſuppoſita, nimium menſium fluorem inhibeat.

SEMINA SALE PURGANTE TAM FIXO QUAM VOLATILI OLEO CRASSO INCLUSO CONSTANTIA.

Geniſtæ Hiſpanicæ.
Nil Arabum.
Sambuci aquaticæ.

SEMEN GENISTÆ HISPANICÆ.

Sunt ſemina Geniſtæ Junceæ I. B. in ſiliquis longis, compreſſis, aliquantulum incurvis, colore fere Caſtaneæ, contenta, compreſſa, rubentia, lucida, Lente minora, non ita circinata, ſaporis leguminoſi.

Viribus

GENISTA JUNCEA vocatur etiam SPARTIUM DIOSCORIDEUM HISPANICUM & NARBONENSE, SPARTIUM VIMINEUM MAJUS, SPARTUS vel SPARTIUM, GENISTA VIMINEA, GENISTA TRANS ALPINA, ſive HISPANICA ARBORESCENS, GENISTA PEREGRINA ſive AFRICANA, GRANDIS ITALICA GENISTA. Spanniſche Pfrimmen / GENET D'ESPAGNE.

Geniſta eſt plantæ genus flore papilionaceo, cujus piſtillum, quod ſurgit e calyce, abit deinde in ſiliquam planam, in duas partes dehiſcentem, ſeminibusque fœtam quaſi reniformibus. His notis addenda ſunt folia alterno aut verticillato ordine naſcentia.

Geniſta

Geniſta Juncea. I. B. 1. 395. Spartium arboreſcens ſeminibus Lenti ſimilibus. C. B. Pin. 396. Spartium Dioſcoridæum Narbonenſe & Hiſpanicum. Lob. Icon. 91.

In Hiſpania, Italia, Sicilia, Gallia Narbonenſi vulgatiſſima eſt. Colitur in hortis, floret æſtate.

Viribus cum Geniſta vulgari convenit, qua tamen efficacior eſt. Pituitam & ſeroſos humores vomitu & dejectione valenter expurgat, unde hydropicis, iſchiadicis, arthriticis opitulatur, urinam movet & calculum in renibus frangit.

Doſis ad ʒj. ʒij. & ultra.

Nonnulli uſurpant etiam ramos in aqua maceratos, deinde contuſos & expreſſos. Succus hic expreſſus cyathi unius menſura potus, jejunis auxilium affert, in coxendicum affectione & anginis.

SEMEN NIL ARABI.

Sunt grana Convolvuli, hederaceo anguloſo folio C. B. Pin. minora granis ſtaphiſagriæ, lævia, tribus partibus diviſa, coloris nigricantis.

Granorum

Dicitur HABEL, GRANUM NIL, CARTAMUM INDUM, HABIX, GRANUM INDICUM CONVOLVULUS CÆRULEUS, VOLUBILIS CÆRULEUS, PLEUTONARIA, CAMPANULA CÆRULEA HEDERACEO FOLIO, quibusdam POTHOS CÆRULEUS THEOPHRASTI, aliis VOLUBILIS LANUGINOSA MESUBI.

Eſt ſpecies Convolvuli, & quidem

Convolvulus cæruleus hederaceo anguloſo folio. C. B. Pin. 295. Nil Arabum quibusdam ſive Convolvulus cæruleus. I. B. 2. 164. Aureus ſive cæruleus Convolvulus hederaceus vel ſmilaceus exoticus. Lob. Icon. 623.

Colitur in hortis, floret æſtate.

Vocatur

Granorum Habel Nil in Medicina, ut author eſt SERAPIO, proprietas eſt laxare phlegma, & mundificare ipſum corpus. Bene teritur, & miſcetur cum oleo Amygdalarum dulcium. Doſis ad ʒß. Vix autem datur per ſe ſed admiſcetur ei Scammonea.

SEMEN SAMBUCI AQUATICÆ.

Sunt Sambuci aquaticæ C. B. Pin. Acini rubri ſeu ſanguinei magnitudine baccarum ſpini albi, continentes ſemen planum, latum, rubrum, cordis effigie, ingrati, authore TRAGO, ſaporis, ita ut deguſtanti nauſeam & faſtidia continua pariant.

Baccæ egregie rubent, aviculis in cibum cedunt, integra hyeme durant, frigoris vim absque corruptione ferentes. Devoratæ vomitum homini cient. Succo vis eſt abſterſoria, qui cum melle ad ſyrupi coquitur conſiſtentiam adverſus tuſſim vulgi experimento. Juxta CORDUM baccarum ſuccus autumno amarus, modiceque dulcis & acetoſus eſt, inſequenti autem vere, cum hyeme paſſus factus fuerit, magis adſtringit.

SEMINA BLANDA VISCOSITATE CONSTANTIA.

Graminis Mannæ.
Hyacynthi Orientalis.
Phalangii.

SEMEN GRAMINIS MANNÆ.

Sunt Graminis dactyli eſculenti C. B. Pin. ſemina Oryzæ candore & ſapore.

Vocatur etiam Gramen Cereale, Manna Coeleſtis, Oryza Bohemica, Oryza Minor Ros Coeli. Manngras / Schwadengraß / weißer Schwaden / Bömiſcher Schwaden / Himmeldau.

Vel ſunt

Graminis Mannæ 2. Dodon. Semina oblonga fuſca.

Gramen Mannæ 2. Oryza Sileſiaca, Endten Graß / Hatſchen-Graß / Schleſiſcher grauer Schwaden.

Prior ſpecies a quibusdam ita inſignitur. Gramen Dactylon eſculentum. C. B. Pin 8. Gramen Mannæ eſculentum. Lob. Icon. 24. Gramen aculeatum Plinii 1. Tabern.

Altera ſpecies dicitur Gramen Mannæ 2. Dod. Pempt. Gramen Mannæ gryſeum SCHWENCLFEDT.

Gramen primum uliginoſis provenit & paluſtribus Sileſiæ maxime Bojemiæ, ubi & ſeritur. Alterum uberrime luxuriat humidis & paluſtribus piſcinis pratisque humentibus. Colligitur ſemen Julio & Auguſto.

Sunt qui cum JOH. BAUHINO hoc gramen idem eſſe volunt cum Gramine dactylo folio latiore.

Vis utrique, ut diſſerit SCHWENCKFELDT, ineſt urinas movendi reſerandique obſtructiones internas maxime radici & ſemini, quod & mediocriter adſtringit & Orýzæ fere qualitates habet. Facilioris eſt digeſtionis quam Milium aut Panicum ſive Oryza. Non enim inflat ventrem, minusque adſtringit quam Oryza. Semen ex lacte ſeu pingui jure decoquitur edulium gratum ac ſuave Sileſiis, boni ſucci ac facilis digeſtionis. Ex pingui jure decoctum & illitum mammarum durities reſolvit.

SEMEN HYACYNTHI ORIENTALIS.

Sunt Hyacynthorum Orientalium ſemina rotunda, nigricantia.

Semi-

Semina hæc in hypercatharſi, ut loquitur LAUREMBERGIUS, aliisque profluviis alvi nimiis præſens remedium præbent, ſi Theriacæ addantur, quoties ea utendum: Commendantur quoque in ictero, urinæ difficultate & ad morſus venenatorum animalium.

SEMEN PHALANGII.

Sunt Phalangii ramoſi & non ramoſi ſemina angulosa nigra, veluti Melanthii, non perinde tamen angulosa, ſed potius rotunda.

Laudantur adverſus multos morbos & affectus, ac contra omne venenum, non ſolum ſcorpionum & aranearum venenatarum.

FRUCTUS ET SEMINA SUBDULCIBUS PARTICULIS ET OLEOSIS TEMPERATIS CONSTANTIA.

Acajou.
Guayava.
Oleaſtri.
Pandi Bavel.
Pyri Cervinæ.
Vitis Idææ magnæ.

FRUCTUS ACAJOU.

Sunt Acajou Thevetti fructus, tum figura tum magnitudine, Pyris noſtratibus haud abſimiles, glabri, ſplendentes

tes primum ruſi, dein virides, tandemque flaveſcentes, carne intus viridi flaveſcente, fungoſa & aquoſa referti, ac tenui pellicula cincti: odor ſuavis, ſapor vinoſus, acris tamen & auſterus, ſi nondum probe maturi. Hujus vero fructus alteri extremitati Nux quædam figura & magnitudine Leporinum renem referens, videlicet altera parte gibboſa, oppoſita lacunam impreſſam habens adnaſcitur, quæ cinereo tegitur cortice, præter quem alius nucleum complectitur pallidum, ea forma qua & totus eſt fructus, ſucculentum Amygdalæ dulcis ſapore, ſubſtantia molliore. At vero inter duos hoſce cortices, qui culmi fere latitudine invicem abſunt, tophaceis cavernulis coercetur mellago, craſſiuſcula & lenta ſæpe ceraſorum colore & conſiſtentia, ſapore primum adſtringente, mox inſigni acrimonia linguam & fauces vellicante, ſervata tamen adſtrictione.

E fructi-

Acajou, Acajaiba Pisonis & Marcgravii Anacardii alia ſpecies, Anacardium Occidentale Cajou dictum. Cajous.

Acajous eſt plantæ genus, Authore Plumerio, flore monopetalo, veluti infundibuliformi & multifido, e cujus calyce ſurgit piſtillum capillamentis ſtipatum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum: calyx autem deinde abit in fructum turbinatum mollem cui adnaſcitur capſula reniformis, ſemine foeta ejusdem formæ.

Acajou Thev. Franc. Antarct. Anacardii alia ſpecies. C. B. Pin. 512. Cajous. J.B. 1. 336. Arbor Acajou vulgo Cajou. Piſon. Mantis. Arom. 193.

Braſiliæ indigena cenſetur, provenit etiam in Malabar. Singulis annis Auguſto & Septembri menſibus, maturos fert fructus, manetque frugifera 36. circiter annos. In Braſilia auctore MARCGRAVIO florere incipit circa finem Auguſti, maxime autem floret Septembri, Decembri & Januario maxima eſt copia fructuum maturorum. Reperitur etiam in Jamaica.

Guayava

E fructibus hiſce potus exprimitur, qui debito modo fermentatus vinoſus fit & inebrians. Fructus toſtus caſtaneis longe antecellit, ſaporemque non minus gratum habet quam Amygdalæ. Crudum nemo ſecure ore aperiet, quod continuo cutim abradat magno dolore eorum, qui ignari temere eum reſecant, ideo cultro aperitur: Guttur peculiari natura fructus hi crudi, cum deglutiuntur, ſtringunt, guſtu acri & auſtero: ideoque in orbes ſcinduntur, adjuncta aqua vel vino, ſaleque injecto, quibus modis acrimonia illa mitigatur, palato ita gratiſſimi, ventriculum roborant, fermentationem juvant, nec non vomitum & nauſeam tollunt, leviter toſtis veſcuntur Indi ad Venerem ſtimulandam, ſuccus vero e fructibus hiſce expreſſus diarrhœam ſiſtit & diabetem ſanat. Nuces flammæ admotæ flagrant.

Ex mellagine, quam gemini cortices continent, copioſum indigenæ eliciunt oleum, quod pictoribus ad linteamina quævis indelebili nigricante colore pingenda in uſu eſt; eodemque oleo, ſi lignum ungatur, contra putredinem præſervatur. Inſuper acri illo oleo nihil præſtantius eſſe ferunt ad lichenes, impetigines, ſcabiem, vermiculos necandos &c. exterius ilito.

Arbor hæc vulnerata fundit gummi pellucidum, conſiſtentia & colore plane ſimili optimo gummi arabico, virtute humectante refrigerante & condenſante gaudens. MARCGRAVIUS dicit: an ex hoc fit confectio Cattee, ſeu Caſſu, vel Catechu.

FRUCTUS GUAYAVA.

Sunt fructus Guayavæ Cluſii noſtris pyris haud abſimiles, in vertice umbilico præditi lacunoſo, ac tenui & e viridi albicante cortice cincti. Pulpa pallide ſanguinei eſt coloris

loris (aliis albicantis) dulcisque ac grati ſaporis & odoris etiam per maturitatem, intra quam numeroſa ſubrotunda ac prædura obſervantur grana.

GUAYAVA GUAIAVA, POMIFERA INDICA MALIFORMIS. GUYABA POMIFERA INDICA.

Et plantæ genus, authore Plumerio, flore roſaceo ex plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus calyx infundibuliformis abit in fructum fere ovatum, coronatum, mollem, in cujus carne multa ſemina exigua nidulantur.

Guayava. Clus. Hiſt. App. 1. Guyabo. Pomifera Indica. C. B. Pin. 437.

In multis Americæ provinciis, nec non in India Orientali oritur, montibus & ſylvis non innaſcitur, ſed planitiem & campos amat.

Κάτινος,

Fructus pro diverſitate temporis de triplici ſapore participat. Matureſcens enim antequam molleſcat ac flaveſcat, auſterus ac adſtringens eſt, tuncque coctus ventriculo prodeſt. Mox paulo maturior mediæ naturæ & optimus evadit: melius tamen ſanitati conſulit, qui eum ſive coctum ſive ſaccharo conditum, quam qui crudum menſis infert: accedit, quod ſaporis ſit gratioris & palato magis abblandientis. Ubi vero flavedine & mollitie integram maturitatem acquiſiverit odore & ſapore eſt inſtar fructus Rubi Idæi, alvum movens, nec ita ſalubris paulo largius aſſumptus, quia facile corrumpitur & vermes producit.

FRUCTUS OLEASTRI.

Sunt Oleaſtri ſive Oleæ ſylveſtris I. B. fructus Olivæ ſimiles, ſed minores, ſtrigoſiores ſucco purpureo mordaci præditi.

Quod

Κότινος, Ἀγριέλαιος, Ἀγριελάια, quibusdam Ἐλαία Αἰθιοπική. OLEA AGRESTIS vel SYLVESTRIS καλλιστέφανος. OLEASTER, wilder Oehlbaum/ OLIVIER SAUVAGE.

Olea ſylveſtris folio duro, ſubtus incano. C. B. Pin. 472. Oleaſter ſive Olea ſylveſtris. I. B. 1. 21. Sylveſtris Olea, Clus. Hiſt. 26.

Reperitur in regionibus calidioribus, floret Junio. Naſcitur ex ſativæ nucleo & optime ſativam recipit inſitione, manſueſcere eam tractatu, atque in oleam abire deciſis circa taleis, aut omnino translatione ferunt.

Merito

Quod ex fructu Oleaſtri exprimitur oleum potentius adſtringit, juxta DIOSCORIDEM, quam vel Omphacinum & ad uſum ſanorum ſecundum ſibi locum vindicat. Caput dolentibus roſacei vice convenit. Sudores ſiſtit, & defluos capillos inhibet. Quin etiam furfures & capitis ulcera manantia, ſcabiem & lepras extergit; moraturque canos, ſi quotidie illinatur. Idem & ad gingivas uligine putri laborantes colluitur, dentesque labantes confirmat. Ejusdem calefacti & excolati fotus gingivis fluxione tentatis eſt accomodatus. Lanam ſpecillo circumdatam in oleum demergere oportet, ac gingivis tantiſper adhibere, dum albæ conſpiciantur.

FRUCTUS PANDI BAVEL.

Sunt Balſaminæ Cucumerinæ Indicæ fructu majore flaveſcente Com. H. Amſtel. fructus oblongi, ventricoſi, mucronati Cucumeris forma: Cortex eſt verrucoſus & tuberculis exaſperatus, primo herbido pallore albeſcens, tandemque colorem croceum induens, hujus pars extrema per maturitatem dehiſcit, in cujus hiatu pulpa fungoſa, ut & ſemina coloris citrini, involucro ſanguineo dulci amicta, in conſpectum producuntur.

Oleum

Merito ad Momordicam a TOURNEFORTIO refertur.

Momordica zeylanica, pampinea fronde fructu longiori. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 7. g. 4. Paudi Pavel. H. Malab. 8. 17. Balſamina Cucumerina, Indica, fructu majore flaveſcente. H. Amſtel. 103.

Oleum olivarum, in quo fructus macerati ſunt, vulneribus recenter inflictis ſanandis conducit, prodeſtque cutis ſcabiei.

FRUCTUS PYRI CERVINÆ DIOSPYRI.

Sunt Dioſpyri JOH. BAUHINI baccæ, violacei vel nigri coloris, umbilicatæ, quinque laciniis coronatæ, ſapore dulci ſuavi, in quibus ſemina plura oblonga, nigricantia, pirorum ſeminibus ſimilia.

DIOSPYROS dicitur quoque PYRUS CERVINA, AMELANCHIER, PYRASTER IDÆA vel PETRÆA, MYRTOMELIS, PETROMELIS. Flüberlin/ Fliegen-Beer / AMELANCHIER.

a TOURNEFORTIO ad Meſpilum refertur.

Meſpilus folio rotundiori fructu nigro ſubdulci. Tourn. I. R. H. cl. 21. ſ. 9. g. 2. Alni effigie lanato folio minor. C. B. Pin. 452. Dioſpyros. I. B. 1. p. p. 75. Viris Idæa iij. Clus. Hiſt. 62.

Locis montanis, præruptis, & ſaxoſis potiſſimum gaudet, floret Aprili & Majo. Fructum maturat Junio & Julio.

MYRTILLUS

Suavis eſt ejus fructus, & ita aptus ſtomacho, ut qui copioſe eum ingeſſerit non gravetur, ut teſtatur GESNERUS, ſapore eſt dulci & propemodum melleo. Virgis in ſcopas vinctis utuntur ad areas verrendas authore LOBELIO.

FRUCTUS

FRUCTUS VITIS IDÆÆ MAGNÆ.

Sunt Vitis Idææ foliis ſubrotundis exalbidis C. B. Pin. baccæ Juniperinis vel Myrti Tarentinæ pares, umbilicum habent latiorem ex cujus medio apex prodit quo fit, ut quam Vitis idææ anguloſæ minus rotundæ ſint, hærent autem pediculis longiuſculis ſapore præditæ grato, ſubacido & vinoſo, quibus continentur grana aliquot minima ſublutea.

Myrtillus Grandior, Vaccinium Alpinum, Vitis Idæa Nigra Major, Vitis Idæa Major. Fructus a Venatoribus vocantur Jägerbeer / libenter enim ejus baccis victitant; groß Heldelbeer / Koßbeeren / Drumpelbeeren / Bruchbeeren.

Vitis Idæa magna quibusdam ſive Myrtillus grandis. I. B. 1. 518. Vitis Idæa foliis ſubrotundis exalbidis. C. B. Pin. 470.

Naſcitur in montibus & ſolitudinibus ſylvoſis.

Quas

Baccis inebriandi vim ineſſe referunt venatores & aratores, teſtanturque DU CHOUL, CAMERARIUS aliique, præſertim copioſius devoratis. Nec mirum, inquit JOH. BAUHINUS, ſunt enim ſapore vinoſo & grato.

FRUCTUS PARTICULIS DULCIBUS VISCOSIS CONSTANTES.

Ficus Hottentotorum.
Flori paſſionis.
Opuntiæ.
Oxycocci.
Paliuri.

(Cont. II.) Z FRUCTUS

FRUCTUS FICUS HOTTENTOTORUM.

Ficoidis Africanæ majoris procumbentis fructu maximo, fructus ad modum ficus Indicæ vulgo Opuntia dictæ, adæquans nonnunquam ficum vulgarem, viridis, pulpoſus, edulis, granis minutiſſimis refertus, ſaporis dulcis, aquoſi haud ingrati, ſummo umbilico quinque ſtellatim decuſſatis radiis inſcripto, pulpa vel cito putreſcente, vel intenſioris Solis æſtu in fungoſam ſubſtantiam tranſeunte, includentes ſemina exigua, anguloſa; fuſca:

Quas plantas AMMANUS KALIA AFRICANA, BREYNIUS CHRYSANTHEMA AIZOIDEA aut CHRYSANTHEMIS SIMILES, vulgus vero ASTERES AIZOIDEOS & SEDA TRIANGULARIA appellant, HERMANNUS producit ſub titulo FICOIDIS ſeu FICUS AIZOIDIS AFRICANÆ, ad cujus ſpecies verius videntur accedere quam ad Kali, Chryſanthemum Aſterem aut Sedum. Etenim harum omnium floribus ſubjicitur fructus ad modum ficus Indicæ, vulgo Opuntia dictæ, qui, cujuscunque etiam ſit magnitudinis & figuræ, includit pulpam ſuccoſam, dulcem, ficui Indicæ ſimilem, quanquam ſiccitate in fungoſam membranaceam ſubſtantiam degenerantem & vario ſeminum loculos deſcribentem. Diſpeſcuntur autem in quinquecapſulares, & multicapſulares.

Ficoides ſeu Ficus Aizoides Africana major procumbens, triangulari folio fructu maximo eduli. Ficus Hottentotorum vulgo. H. L. Bat. Ficoides Africanum Meſembrianthemum ſeu ficus Aizoides fruteſcens, maxima, procumbens, fructu turbinato eduli, flore luteo Plukenet. Alm. Bot.

GRA-

Luxuriat, ut HERMANNUS loquitur, cum aliis hujus ſortis ſpeciebus locis maritimis, aridis, ſabuloſis, ad promontorium bonæ ſpei, ubi fructus tam a Belgis ibidem

hoſpi-

hoſpitantibus, quam ab Indigenis Hottentottis eſitantur.

FRUCTUS FLORIS PASSIONIS.

Eſt Granadillæ Hiſpanis, floris paſſionis Italis Columna. fructus extuberans mali Appii magnitudine, rotundus, colore cinereo, tribus diſtinctus cellulis, quæ etiam in integro fructu obſervantur, ob levem quandam extuberantiam & trianguli effigiem, in ſummo circa apicem. Acinos intus continet, oblique diſpoſitos, centrum petentes, ſimiles quodammodo illis mali Punici vulgo granato dicti, duplo majores, baſi cava, qua petiolo hærent, in acutum deſinentes, minime anguloſo & lato capite, ut in Punico ſunt, candicantes, diaphani & molliores, ſemine intus mali forma & nigro, quod intra carnem acinorum diaphanam ſuccoſam & mollem apparet, effigie quadam cordis æmula, & exemptum ab illa, cavis punctis impreſſis aſperum cernitur, medullam habens candidam & fere inſipidam. Exſiccato fructu ſemina intus, ut in Cucurbita, ſi agitetur, crepitant: Inveniuntur etiam diſſecto fructu ſemina adhuc nigra carne illa obducta, exucta, viſcoſa, nigricante dulcique ſapore velut Caſſiæ fiſtulæ, & alia detecta & ſoluta, ex flavo candicantia, aſperiora, oſſeo veluti cortice, Perſici mali oſſibus data proportione ſimilia. Fructus hujus cortex eſt veluti coriaceus intus cartilagineus, candicans, odore ſuaviſſimo & gratiſſimo, ſed remiſſo. Acinorum recentium ſapor in maturo fructu ex dulci ad acidulum vergit, admodum gratus, & jucundo odore palatum feriente inter fragum & Melopeponem.

GRANADILLA dicta fuit hæc planta ab Hiſpanis, a ſimilitudine quadam cum fructu mali Pumici cum interna tum externa, niſi quod, minor ſit & careat ſumma illa corona. MURUCUYA MARACOT, quoque vocatur. Flos paſſionis cur dicta ſit, te docebit JOH. BAPTISTA FERRARIUS, nimirum inquit, quod divini amoris manu vitalibus inſcriptus doloribus ſit, qui de ſimilitudine partium floris cum corona ſpinea, clavis, flagello, reliquis, quibus cæſus, tortus vulneratus & cruci affixus eſt Dominus Chriſtus, fuſe rethoricatur. Paſſions-Blum/FLEUR DE PASSION.

Granadilla eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis: ex cujus calyce multifido ſurgit piſtillum, corolla fimbriata ad baſin, in apice vero tenero fructu ſeu embryone inſtructum, cui inſident clavæ tres, & ſubſunt ſtamina. Embryo autem deinde abit in fructum ovatum fere aut globoſum, carnoſum, unicapſularem, ſeminibusque fœtum coſtis tanquam placentæ affixis, calyptra quadam obvolutis.

Granadilla Hiſpanis, flos paſſionis Italis. Col. in Rech. 889. Clematis trifolia flore roſeo clavato. C. B. Pin. 301. Maracot Indicum. Aldin. Hort. Farnes. 50. 52. 58.

Reperitur in nova Hiſpania aliisque Americæ locis, Colitur in hortis, ubi floret Auguſto præprimis & Septembri.

FICUS

Incolæ fructum aperiunt ut ovum, & ſuccum hauriunt. Ajunt multum comeſum alvum lenire & ſubducere potius quam gravare.

FRUCTUS OPUNTIÆ.

Sunt fructus Opuntiæ vulgo herbariorum I B ficum adæquantes plus minuſve ſuperne umbilicati, pulpa ſanguineo colore manus tingente infecta, guſtu ſubdulci, ſed quam ficuum inſuaviore, ferinum quiddam præ ſe ferente, granulis

granulis farcta lentis fere magnitudine, ſed ſinuatis & inæquali ambitu donatis, iisdemque concoloribus, in ſinu, ſapore quodam peculiari ſed non ingrato.

Fructus

FICUS INDICA ob quandam fructus ſimilitudinem dicitur. OPUNTIA ab urbe Opunte circa quam naſcebatur. TUNA, TUNE, TUNEFICIFERA INDORUM, ANAPALLUS. Indianiſcher Feigenbaum. FIGUIER D'INDE, RAQUETTE OU CARDASSE.

Opuntia eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus calyx deinde abit in fructum carnoſum, umbilicatum, unicapſularem & ſeminibus fœtum ſæpe annu'ati.

Plures dantur ſpecies hortis etiam familiares.

Opuntia vulgo herbariorum. I. B. I. 154. Ficus Indica folio ſpinoſo fructu majore. C B. Pin. 458.

Opuntia folio oblongo media. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 2. g. 4. Ficus Indica folio oblongo medio. H. R. Par.

Opuntia major validiſſimis ſpinis munita. Tourn. l. c. Ficus Indica ſeu Opuntia major, folio ſpinis longiſſimis & validiſſimis armato. Breyn. Prodr. 2. 35.

Opuntia folio minori, rotundiori & compreſſiori. Tourn. l. c. Ficus Indica ſeu Opuntia folio minori, rotundiori & compreſſiori. H. L. Bat.

Opuntia maxima folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo. Tourn. l. c. Ficus Indica ſeu Opuntia maxima folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo. H. L. Bat.

Opuntia folio ſpinoſo, longiſſimo & anguſto. H. L. Bat.

Opuntia minima folio ſubrotundo Tourn. l. c. Ficus Indica minima folio ſubrotundo H. R. Par.

In omnibus fere Americæ provinciis & inſulis, exceptis maxime Borealibus provenit. Colitur in hortis ſed in hypocauſta & conclavia reponenda eſt hæc planta tempore hyemis, & à frigore magna cura præſervanda; frigoris enim eſt impatientiſſima, interim loca nimis occluſa odit. Humore nimio corrumpitur & putreſcit

treſcit ideoque ab autumnalibus imbribus, & qui verno tempore cadunt perſæpe læditur. Tam vivax eſt hæc planta ut cum ſeminulo ſato, tum folio humi mediotenus defoſſo creſcat facillime. Floret & fructum fert æſtate.

Fructus refrigerant & humectant, ſuccus expreſſus febres ardentes maxime extinguit, & ſitim explet; grana ſicca & adſtringentia ſunt. Hinc poma cum granulis loco cibi ſumpta alvum ſiſtere dicuntur, gratum præbent alimentum refrigerantque, etſi flatuoſum, æſtuantibus jucundiſſimum. Aliquot ficus comeſtæ Urinam rubro ſanguineo colore tingunt. Quæ urina ſanguinea, ignorantibus cauſam, inſignem terrorem affert, non ſine conſociorum & Medicorum riſu.

FRUCTUS OXYCOCCI.

Sunt Vitis Idææ paluſtris C. B. Pin. baccæ, figuræ rotundæ & cordis modo inferius juxta annexum turbinatæ, colore foris primum candicantes, mox puniceæ, & purpureis contiguisque maculis & punctis conſperſæ, intus vero in candido modice rubentes, & quatuor exiguis cavitatibus parva & veluti abortiva ſemina claudentes. Eæ una cum cauliculis humi procumbunt, nonnunquam etiam in muſco tanquam abſconditæ latent, ſaporem obtinent egregie & ſimpliciter acetoſum.

Fructus

Ὀξύκοκκος, OXICOCCUS, GRANUM ACIDUM, ACINARIA, ACINARIA PALUSTRIS, VITIS PALUSTRIS, a vinoſo acinorum ſapore: Moßbeeren / Gichtkrauth / Affenbeer / Winterbeeren / Rauſchgrün. COUSSINETS DES MARAIS.

Oxyc.

Oxycoccus eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, cujus calyx deinde abit in fructum ſeu baccam fere globoſam, in quatuor loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam ſubrotundis.

Oxycoccus ſive Vaccinia paluſtris, I. B. 1. 227. Vitis Idæa paluſtris. C. B. Pin. 471. Vaccinia paluſtria. Dod. Pempt. 770.

Floret Majo & Junio in uliginoſis & muſcoſis ſylvis. Baccæ autumno matureſcunt, tota hyeme ſub nive latitantes incorruptæ, quas verno tempore pueri & paſtores colligunt ac pulpa molli turgentes ſine detrimento comedunt.

Cu-

Fructus hic acidum ſapit & egregie adſtringit cum levicula abſtergendi facultate. Frigida, inquit DODONÆUS, & ſicca hujusmodi vaccinia, una cum quadam partium ac ſubſtantiæ tenuitate, quæ tamen quandam adſtrictionem conjunctam habeat, ardentium febrium calorem atque in his ſitim mulcent bilisque ardorem reprimunt: vomitum ſiſtunt: ciborum appetentiam per bilioſos corruptosque humores dejectam reſtauranr, peſtilentibus morbis adverſantur. Coquitur & horum ſuccus donec craſſior factus addito ſaccharo conſervari queat, qui ad omnia, ad quæ baccæ, etiam utilior eſt.

FRVCTVS PALIVRI.

Sunt Paliuri Dod. fructus lati per margines membranei, compreſſi, prominente utrimque umbone lignoſo, cujus medio pediculus inſeritur, qui diffracti in geminis vel ternis loculis totidem oſtendunt ſemina, lubrico lævore & colore ſeminum Lini, ſed rotundiora, toroſiora, pulpa dulci, coloris fere porracei.

Fructus hi tantam incidendi vim obtinere dicuntur, ut

&

& calculos veſicæ comminuant & pectoris pulmonisque excretionibus auxilientur. Semina contuſa ad tuſſim commendantur; iis etiam ad arenulas & calculum utuntur.

SEMINA PARTICVLIS AQVOSIS ET CRASSIS CVM OLEO PAVCO CONSTANTIA.

Cucumeris Ægyptiis Chate.
Cucurbitæ clypeiformis.
Cucurbitæ lagenariæ.
Cucurbitæ Pyriformis.
Lactucæ ſylveſtris.
Lactucæ ſylveſtris odore viroſo.
Malorum Æthiopicorum.
Melochiæ.
Papayæ.
Sambuci racemoſæ rubræ.

SEMEN CVCVMERIS ÆGYPTIIS CHATE.

Sunt Cucumeris Ægyptii rotundifolii C B. Pin. fructus noſtris cucumeribus longiores, viridiores, cortice plano, molli æquali, guſtui dulciores ac concoctu faciliores.

ALPINUS

CUCUMIS ÆGYPTIUS rotundifolius, C. B. Pin. 314. Cucumis Ægyptius Chate. I. B. 2. 248.

In Ægypto provenire ex nomine patet

CUCUR-

ALPINUS ita de ejus uſu diſſerit. Horum Cucumerum uſum in cibo ipſis tum crudis tum coctis veſcentibus ſalubrem eſſe apud omnes Ægyptios creditur. Medici aliqui nonnullis febricitantibus etiam crudos concedunt, præſertimque peſti affectis, quibus cucumeres hos crudos eſitatos ſumme conducere omnibus perſuaſum eſt. Coctos in ardentibus febribus utiles eſſe ratione confirmatur, quando refrigerent atque humectent. In renum & veſicæ calidis morbis cum lacte coctos cucumeres multis diebus non ſine multa utilitate in cibo ſequuntur; lac etiam ipſorum ſeminum pro iisdem malis ſæpe per os ſumere ſolent: ad oculorum vero aliarumque partium calidas inflammationes pulpa contuſa cucumerorum lacti mixta utuntur. Et ad ſedandos podgricos dolores cauſa calida concitatos, ſuccum lacte oleoque roſaceo miſtum, partes liniendo, ſequuntur. Stillatitiam aquam ad jecoris caliditatem corrigendam & ad ſanandos renes tum inflammatos, tum a calculis vexatos multis diebus ægrotos bibere conſulunt, quibus ipſam ſatis iis conferre experientia compertum eſt. Sunt aliqui, qui ad hæc eadem mala aqua ſtillatitia lacti eorundem Cucumerorum ſeminum miſta uti ſolent.

SEMEN CUCURBITÆ CLYPEIFORMIS.

Eſt Melopeponis clypeiformis C. B. Pin. fructus fungum repræſentans, tenero eſt exteriore cortice, carne luteola, firma, ſaporis aliarum cucurbitarum.

Sicyo-

CUCURBITA SICILIANA, MELOPEPO LATUS, CUCUMIS PEPOVE LATIOR CLYPEIFORMIS, MELOPEPO CLYPEATUS. Muſchel-Kürbß/ Schild-Kürbs.

Melopepo clypeiformis. C. B. Pin. 312. Cucurbita clypeiformis ſive Siciliana, Melopepo latus a nonnullis vocata. I. B. 2. 224 Mel pepo clypeatus. Tabern.

Colitur in hortis.

Sicyopepones latiores clypeiformes in taleolas ſciſſos, frictosque in ſartagine, & farina aſperſos ſuaves admodum mandunt in Belgio, Gallia & alibi, ut refert LOBELIUS.

SEMEN CUCURBITÆ LAGENARIÆ.

Eſt Cucurbitæ lagenariæ flore albo folio molli C. B. Pin. fructus, collo anguſto, ventreque craſſo, lagenas & phialas repræſentans.

Cucurbita Lagenaria, Flaſchen-Kürbiß / Cucurbita Cameraria.

Cucurbita lagenaria. I. B. 2. 216. Cucurbita lagenaria flore albo folio molli. C. B. Pin. 313. Cucurbita prior. Dod. Pempt. 668.

Cucurbita lagenaria folio aſpero major. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 7. g. 10. Cucurbita alba aſpera fructu longo collo. I. B. 2. 224.

Cucurbita lagenaria, fructu aſpero minor. Tourn. I. R. H. cl. ſ. 7 g. 10. Cucurbita lagenam exprimens, parva aſpera. I. B. 2. 224.

Colitur in hortis.

Pyro-

Lagenaria peregre proficiſcentes tanquam lagena utuntur, præſertim in Galliis, Hiſpania & Italia: commodius namque geſtatur vinum quam vitreo aut figulino vaſe, quæ oneri ſunt & facilius franguntur.

SEMEN

SEMEN CUCURBITÆ PYRIFORMIS.

Eſt Cucurbitæ aſperæ pyriformis parvæ albæ I. B. fructus pulcher copioſus, albus, politus, longus uncias quinque vel ſex, ſuperius anguſto collo, infra ventricoſus, qui manu complecti poteſt: cortex ubi maturus, durus: caro pulpoſa, pura, ſaporis cæterarum cucurbitarum.

PYROMELO, Byren-Melonen/ Bieren-Kürbſen. a TOURNEFORTIO ad Peponem refertur: Eſt nempe Pepo fructu parvo pyriformi. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 7. g. 7. Cucurbita aſpera pyriformis parva alba. I. B. 2. 223.

MALA

Comeduntur teneri fructus cum oleo, aceto pipere & ſale, Cucumerum modo.

SEMEN LACTUCÆ SYLVESTRIS.

Eſt Lactucæ ſylveſtris. Dod. ſemen.

Idem quod Lactucæ ſativæ ſemen poteſt, & Veneri refragatur.

SEMEN LACTUCÆ SYLVESTRIS ODORE VIROSO.

Eſt Lactucæ ſylveſtris odoris viroſi C. B. Pin. ſemen, ex papposo tomento pendulum, nigrum.

Semen hujus Lactucæ non aliter quàm ſativæ libidinum imaginationes in ſomno amolitur, ac venerem arcet.

MALA ÆTHIOPICA.

Sunt Solani pomiferi fructu rotundo, ſtriato, duro C. B. Pin. poma rotunda, torulis canaliculata, ſive ſtriata, dura.

MALA ÆTHIOPICA vocantur, quod ex Æthiopia in Hiſpaniam primum invecta exiſtimentur; SOLANUM POMIFERUM HERBARIORUM LOBELII; CAPSICUM ROTUNDUM DALECHAMPII, fructu rotundo rimis profundioribus fiſſo, puſillis granis farcto, ſubflavis, guſtu acri.

Lycoperſici eſt ſpecies nempe

Lycoperſicum fructu ſtriato duro. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 7. g. 1. Solanum pomiferum fructu rotundo ſtriato duro, C. B. Pin. 167. I. B. 3. 620. Mala Æthiopica. Dod. Pempt. 459.

Floret Julio in hortis.

Fructus

Feruntur hæc mala in pinguium carnium jure cum ſale ac pipere cocta inferri ac edi, & minus mali ſucci eſſe quam inſana aut aurea, propterea videlicet, quod duriora diutiusque aſſervari queant, nec ita facile ut illa corrumpantur. Sunt tamen nec hæc Æthiopica boni ſucci, & alimenti non multum corpori adferunt, ut recte docet JOH. BAUHINUS.

SEMEN MELOCHIÆ.

Eſt ſemen Corchori ſive Melochiæ I. B. cinereum anguloſum, parvum, guſtu viſcidum

Semina Melochiæ in maximo apud Ægyptios ſunt uſu ad omnes affectus, quibus ſemina Althææ conducere compertum

tum eſt. Pondere ℥ij. copioſiſſime purgant omnes humores.

SEMEN PAPAYÆ.

Eſt fructus Mamoeræ Luſitanorum Cluſii rotundus, & orbicularis exigui Peponis aut Melonis magnitudine & forma, carne præditus, dum maturus eſt, flaveſcente, denſa & ſolida.

Fructus ita caudici adnati referunt mammas unde & nomen meruerunt apud Luſitanos.

Papaya eſt plantæ genus, auctore Plumerio, flore gemino, alio ſcilicet tubulato & ſtelliformi, ſed ſterili, alio vero roſaceo, ex plurimis petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum veluti Meloniformem, carnoſum, ſeminibus fœtum plerumque ſtriatis calyptra obvolutis.

Papaya fructu Melopeponis effigie. Plumer. Arbor Platani folio fructu Peponis magnitudine eduli. C. B. Pin. 431. Mamœra Luſitanorum. Clus. Cur. poſt. in fol. 41.

Cluſius dividit hanc arborem in marem & fœminam. Ejusdem, inquiens, quidem ſunt generis, ſexu tamen inter ſe differunt, nam altera, mas videlicet ſterilis eſt, & florem duntaxat gerit, nullum fructum, fœmina autem fructum ſolummodo, nullum florem: adeo tamen inter ſe amicas ejusque naturæ eſſe ajunt, ut, ſi longo intervallo ſint ſejunctæ, nec fœmina marem vicinum habeat, etiam ſterilis fiat, nec fructum ferat.

Naſcitur hæc arbor in ea Americæ parte, in qua celebris ille Sinus, a Luſitanis Baya de todos los Sanctos appellatus, ſitus eſt.

Ἀκτὴ

Pulpa hujus fructus eadem eſt quæ Melonum, tum colore, tum ſapore ſed inferior. Fructus crudus edi poteſt, ſed utplurimum ſolus aut cum carnibus coquitur, ſed non magni

niſit ob abundantiam, Alvum laxandi gratia quoque hunc fructum manducare ſolent.

SEMEN SAMBUCI RACEMOSÆ RUBRÆ.

Sunt baccæ Sambuci racemoſæ rubræ C. B. Pin. racematim creſcentes ex rubentibus pediculis, ipſæ quoque per maturitatem coccineæ injucundi plane ſaporis.

Ἀκτὴ Ὀρεινὴ, Ἀκτὴ ἐρυθρoσάφυλος vel Φοινικοσάφυλος, SAMBUCUS MONTANA, RACEMOSA, SAMBUCUS CERVINA. Schalaſter / Berckholder / Waldholder / Bergholunder / Hirſchholder.

Sambucus racemoſa rubra. C. B. Pin. 456. Sambucus racemoſa acinis rubris. I. B. 1. 551. Sambucus montana racemoſa, Lob. Icon. 163.

Humidiorum montium & ſaltuum amaſia: floret Majo. Auguſto & Seprembri baccæ rubent, elegantes aſpectu.

BAMIA

Baccarum eſus nimius admodum noxius eſſe creditur, ſoporoſos reddit edentes. Similem cum vulgari Solano naturam habent. Experimento didicit TRAGUS, Cervum Sambucum ſylveſtrem ſicut & ſolanum (ſylvaticum) magno deſiderio inquirere. Solent binæ hæ ſtirpes plerumque eosdem ſitus occupare, folia utriusque non baccas decerpit. Cervum ſolum foliis harum plantarum veſci, non autem cervam, niſi ea prægnans fuerit & cervum in utero geſtaverit. Non autem apparet quomodo TRAGUS hæc potuerit obſervare.

SCHWENCKFELDT ſcribit a nonnullis ſuccum baccarum cum melle ad intinctus coqui. Nos, inquit JOH. BAU-

BAUHINUS, ſic non parum mellis calore caſtigari cenſemus, tutius tamen abſtinere.

SEMINA ET FRUCTUS PARTICULIS CRASSIS AQUOSIS ABSQUE OLEO SE TAM SUBITO MANIFESTANTE CONSTANTIA.

Bamiæ.
Bromii.
Craccæ majoris.
Craccæ minoris.
Fabæ ſylveſtris.
Lablab.
Lini arvenſis.
Lolii.
Luffæ Arabum.
Lupini lutei.
Phalaridis.
Phaſeoli Italici humilis.
Piſi cordati.

SEMEN BAMIÆ.

Sunt ſiliquæ Alceæ Indicæ parvo flore C. B. Pin. ſecundum caulem recta ſurrectæ, trium fere unciarum longitudine in turbinem faſtigiatæ, hirtis pilis obſitæ, pentagonæ, quæ in totidem ſegmenta diſſiliunt, e quorum unicujusque

que medio ſecundum longitudinem intergerinus paries enaſcitur, unum utrimque verſum annexum habens ſeminum Orobo minorum rotundorum, cortice craſſiuſculo nigro, criſpo, pulpa alba dulci.

BAMIA, dicitur etiam BAMIA ALEXANDRINA, TRIONUM THEOPHRASTI, SABDARIFFA ALIA. BAMIA, EBEN quibusdam.

Eſt juxta TOURNEFORTIUM ſpecies Ketmiæ, nempe Ketmia Ægyptiaca vitis folio, parvo flore. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 6. g. 6. Alcea Indica parvo flore. C. B. Pin. 317. Bamia. I. B. 2. 959. Alcea Ægyptia. Clus. Hiſt. xxvij.

Sponte naſcitur in Ægypto, prope Alexandriam. Colitur in hortis, floret Auguſto & Septembri.

Αἰγίλωψ,

Semina, ut verbis utar JOH. BAUHINI, Ægyptiis in uſu ſunt in cibo: ex his enim non ſecus quam noſtri ex Phaſiolis, piſis aliisque leguminibus fercula parant, quibus frequentiſſime veſcuntur plerumque in jure carnium paratis. Folia fructusque frigidæ & humidæ naturæ ajunt habere vim reſolventem & emollientem, ac proinde pectori ac pulmonibus convenire ventremve emollire. Fomenti vel emplaſtri modo folia appoſita inflammationes reſolvunt, dolores mitigant, tumores emolliunt, concoquunt ac ad ſuppurationem admoventur. Mulieres ad uteri duritiem tum fomentis tum emplaſtris, tum inſeſſionibus ex foliis ac fructibus procuratis multa cum utilitate utuntur. In renum vero inflammatione & calculis ex iisdem paratum decoctum cum ſaccharo candido ſumptum aliquibus diebus, pro ſelectiſſimo auxilio habent ad Ophthalmias etiam finita fluxione decocto Collyrii modo frequenter utuntur, atque cum eo fomentare latus dolens in pleuriticis ſolent.

SEMEN

SEMEN BROMI.

Sunt Bromi herbæ Dod. grana ſecales paria, forma alia, rubra, canaliculata, dura, gluma bifori, hirſuta, in brevem ariſtam deſinente, concluſa.

Αἰγίλωψ, ÆGILOPS, AVENA STERILIS, AVENA HERBA, AVENA FATUA, βρῶμος πόα, BROMUS HERBA. BROMOS STERILIS, FESTUCA, FESTUCAGO, LUCULA vel MURIUM AVENA, Gauch-Habern / Mäuß-Habern / Haber-Krauth / Haber-Graß / Taub-Habern / AVERON, AVENERON, AVORON, LAURON.

Eſt graminis ſpecies, ſcilicet
Gramen Avenaceum panicula ſparſa, locuſtis majoribus & ariſtatis. Tourn. I. R H. cl. 15. ſ. 3. g. 8. Feſtuca avenacea ſterilis elatior. C. B. Pin 9. Ægilops Matthiolo forte. I. B. 2. 439. Bromos herba Dod. Pempt. 540. Gramen feſtucæ ſterile elatius. Hiſt. Plant. Pariſiens.

Herba natura ſua in totum ſylveſtris, Majo menſe, æſtate, ſecus vias in pratis agrorum marginibus & ſegetibus reperitur.

Habetur a quibusdam pro vitio ſecalis ſed minus recte.

Vicia

In cibum venit cum Secali abſque nocumento minus tamen nutrit.

SEMEN CRACCÆ MAJORIS.

Sunt Viciæ maximæ dumetorum C. B. Pin. ſemina, Piſi ſapore, medulla lutea, forma varia, modo longiora, interdum ſusque deque aut altrinſecus compreſſa, non exacte rotunda, plus quam dimidio ſui ſiliquæ adhæreſcentia, intercedente apophyſi longiſſima, minora quam viciarum ſativarum, coloris albi, punctulis diſcurſantibus.

VICIA MAJOR SYLVESTRIS, Ἀφάκη, APHACE, CRACCA MAJOR. Wild-Wicken / St. Chriſtoffels Krauth. VESSE SAUVAGE.

Vicia maxima dumetorum. C. B. Pin 345. Vicia ſepium perennis. I. B. 313. Cracca major. Tabern. Icon. 506.

In ſepibus & pratis copioſe provenit, floret vere & æſtate.

Semen hoc concordat quandantenus ratione virium cum vicia ſativa.

SEMEN CRACCÆ MINORIS.

Sunt Viciæ ſegetum cum plurimis ſiliquis hirſutis C. B P. ſemina, Viciæ ſepium minora, rotundiora, magis maculata.

VICIA OMNIUM MINIMA, CRACCA MINOR APHACE, ARACUS. Klein wilde Wicken.

Vicia ſegetum cum plurimis ſiliquis hirſutis. C. B. Pin. 345. Vicia parva ſive Cracca minor cum multis ſiliquis hirſutis, I. B. 2. 315. Craccæ alterum genus. Dod. Pempt. 542.

In hortis oleraceis & inter ſegetes luxuriat, frugum peſtis & vitium.

Κύαμος

Concordat cum Vicia ſativa. Interne hoc ſemen adſtringit, externe reſolvit in cataplasmatibus.

SEMEN FABÆ SYLVESTRIS.

Sunt Fabæ ſylveſtris fructu rotundo atro C. B. Pin. ſemina, Piſi fere magnitudine, graviſſimi & ingratiſſimi ſaporis, per maturitatem nigra.

Juxta

Κύαμος ἄγριος, Faba Nigra, Phasiolus Sylvestris, Faselus Sylvestris, Faselus Niger, Bona Sylveſtris, Pisum Nigrum, Pisum ἀτρόκαρπον, wilde Boonen/ ſchwartze Bonen / wilde Erbeis / Mohren Erbeis. Feve Sauvage, Feve Noire.

Eſt ſpecies Viciæ, nempe
Vicia ſupina latiſſimo folio non ſerrato. Tourn. I. R. H. cl. 10. ſ. 2. g. 8. Faba ſylveſtris fructu rotundo atro. C. B. Pin. 338. Aracus fabaceus & faba Kairina, cui ſemina minora. I. B. 2. 286. Sylveſtris græcorum faba. Lob. Icon. 58.

Provenit ſponte in Apulia, campeſtribus locis, in Gallia Narbonenſi, ac Aquitania.

Juxta MATTHIOLUM atque SCHWENCKFELDT eaſdem cum faba domeſtica vires habere creditur. JOH. BAUHINUS autem eaſdem virtutes non concedit ob ingratum ſaporem. Hunc inquit, ſi guſtaſſet SCHWENCKFELDT, aliter quam pares cum faba majore facultates habere ſenſiſſet.

SEMEN LABLAB.

Sunt Phaſeoli Ægyptiaci nigro ſemine aut etiam rufo C. B. Pin. ſemina, Phaſeolis noſtris ſimilia, alia nigra, ſubrubra alia, hiliſque candentibus inſignita.

Ægyptii

Lablab a laab, quod apud Arabes luſum innuit, derivat VESLINGIUS. Obſervavi, inquit hic author, frequenter a plebe in luſu uſurpata & projectis ad proximum parietem aſſulis e ſcrobibus alternatim fuiſſe promota, quemadmodum in alveo ad teſſeræ jactum orbiculi tranſponuntur.

Phaſeolus Ægyptiacus nigro ſemine. C. B. Pin. 341. Phaſeolus niger Lablab. P. Alp. Ægypt. 74.

Phaſeolus Ægyptiacus ſemine rufo. C B. Pin. 341. Lablab alterum rufum Alpini. Clus. Hiſt. ccxxvii.

Ægyptii Phaſeolos hos, ut docet ALPINUS, in cibo frequentant, noſtris non minus guſtui ſuaves exiſtunt. Mulieres utuntur decocto cum croco ad excitandos menſes; præterea utile eſt ad tuſſim & dyſponeam & ad urinam ſuppreſſam movendam.

SEMEN LINI ARVENSIS.

Linum arvenſe C. B. Pin. ſativum plane refert forma, niſi quod caules habet & folliculos craſſiores & majores & in ſummo ſurculis multis bracchiatos. Et maxima inter hæc duo Lini genera in eo conſiſtit differentia, quod folliculi ſylveſtris Lini calore ſolis non aperiantur perinde ut alterius, nam quamprimum exſiccati Sole fuerint excutere ſemen ut aliarum frugum oportet.

LINUM SYLVESTRE, LINUM ſive ALTERUM FOLLICULIS CRASSIORIBUS.

Linum arvenſe. C. B. Pin 2'4. Linum ſylveſtre ſativum plane referens. I. B. 3. 452. Sylveſtre Linum. Trag. 354.

Apud Mediomatrices hoc ſylveſtri Lino adventante æſtate integri agri conſeruntur, & invenitur etiam quandoque inter ſegetes Avenæ.

LOLIUM

Easdem poſſidet virtutes ac Linum ſativum.

SEMEN LOLII.

Sunt graminis loliacei ſpica longiore ariſtas habentis C. B. Pin. grana triticeis minora, glumis ſeu cortice fuſco incluſa, quæ in acutam & tenuem ariſtam, qua tamen aliquando deſtituuntur, deſinunt, ſaporis avenacei.

Granum

LOLIUM Ἆιρα græcis, quaſi δόλιον hoc eſt adulterinum, fieri enim creditur e corruptis Tritici, Hordei & Avenæ ſeminibus D. autem in L. abit ut ab Æolico Ὀδύσσευς Ulyſſes, a δάκρυα lachryma, vel dicitur ἀπὸ τῦ λᾶιον ὀλεῖν id eſt ſegetem perdere, ſive quaſi λᾶιον ὄλοον id eſt ſeges noxia, Ἆιραν Æram vocarunt græci teſte LOBELIO, ut conjectura fert παρὰ τῦ αἰρέσθαι, quod eſt efferri & attolli, vel ſurſum rapi: rapitur quippe in cerebrum Lolii vapida nocua aura, atque dementiæ affinem tenebricoſam vertiginem temulentiamque efficit, ζιζάνιον, ZIZANIUM, quo nomine tamen alias quævis herba inutilis germanice Unkrauth indigitatur. LOLIUM VERUM, LOLIUM & TRITICUM TEMULENTUM, FRUMENTUM FATUUM, IMBRIACA, HERBA INEBRIANS, GRAMEN LOLIACEUM, GRAMEN FRUMENTACEUM, AVENA VERTIGINOSA, θύαρος, Dollkrauth/Dollkorn/ Taub-Korn / Trümmel/ Schwindel-Habern / Lübich/ YVRAYE, YVROYE, LUILLE.

Lolium a quibusdam eſſe vitium Tritici atque Hordei, id eſt Triticum atque hordeum in Lolium corruptione transmutari aſſeritur. Alii vero Avenam tantummodo mutari in Lolium contendunt. Plures peculiare eſſe vegetabile docent.

a TOURNEFORTIO ad Gramen refertur.

Gramen Loliaceum ſpica longiore ariſtas habens. C. B. Pin. 9. Lolium gramineum ſpicatum caput tentans. I. B. 2. 437.

Inter ſegetes triticeas, hordeaceas & imprimis avenaceas reperitur, præſertim ſi tempeſtas fuerit multum pluvioſa.

Hic

Granum hoc eſt inſipidum, manifeſta qualitate acri ſimilive haud præditum, adeo ut ab avena inter comedendum non diſtingui ſoleat, nec adverſo ſapore nauſeam creet. Interim Lolium non ſolum pani mixtum ſed multo magis Cereviſæ additum & fervefactum tepore & temulento veterno cerebrum opprimit & opacat, reliquaque membra torpida reddit. Capiti dolorem, oculis caliginem infert. Ineſt

 enim

enim lolio aliquid narcotici, & aura quædam noxia, ad cerebrum delata temulentiam & vertigines inducens. Non ſolum autem homini infeſtum eſt Lolium ſed & animantibus brutis. Curioſum eſt quod WAGNERUS in EPHEMERIDIBUS de Lolii pernicioſis effectibus diſſerens narrat. Verba ita ſe habent. In mentem hoc mihi nunc revocat, quod prope Tigurum a. 1342. contigiſſe apud F. Joannem Vitoduranum Minoritam σύγχρονον legi, cujus αὐτόγραφον MSC. in Bibliotheca Tigurinorum civica aſſervatum, quam rem hunc in modum in ſua hiſtoria recenſet. In villa quadam apud Thuregum equus quidam tantum de Lolio comedit, quod a Domino ſuo putatus mortuus extra villam vectus fuit & excoriatus, qui tandem poſt ſomnii conſummationem domum rediit, & domino & aliis hominibus eum cernentibus ſtuporem incuſſit. Infelicis hujus Lolii præſentaneum remedium eſt acetum. Conducunt quoque vomitoria & alexipharmaca. Nyctalopiam ex uſu Lolii contractam curari dicunt ſolo hepatis bubuli eſu. Lolium autem ſuis quoque virtutibus gaudet præſertim externe uſurpatum. Lolium molitum vim habet emarginandi ac circumſcribendi nomas & putredines & gangrænas ſi cum raphanis & ſale imponatur. Impetigines feras & lepras cum ſulphure vivo & aceto curat, cum ſtercore vero columbino & Lini ſemine coctum in vino ſtrumas diſſolvit, &, quæ ægre maturantur, rumpit. Cum aqua mulſa coctum & impoſitum coxendicum morbo laborantibus prodeſt, addita polenta aut myrrha, aut croco aut thure. Idem ſuffitum conceptus adjuvat.

SEMEN LUFFÆ ARABUM.

Eſt fructus Cucumeris Ægyptii reticulati Veſlingii ſemipedalis,

pedalis, ab anguſto collo paulatim laxius tumente ventre gravidatus, ſuperficie modo lævior, modo tuberculis paſſim verrucoſior. Cortice velatur tenui ex obſcuro virore pro maturitatis gradu plus minusve flaveſcente. Eum vel nulli vel tenues ſaltem excavant ſulci; in longitudinem atris lineis eleganter inſcriptis, a colli principio ad umbilicum veluti centrum ſuum commeantibus. Cum fructus bene maturus, cortice remoto, innumera in conſpectum veniunt albicantia filamenta, ſuccoſiore medulla ſtipata: mira adeo ordine contexta omnia, ut plane fateri neceſſum ſit non eſſe hoc rude & tumultuarium opus, ſed quod egregius artifex cogitaverit prius quam fecit. Idque evidentiſſimum evadit, cum quis tabefacta jam pulpa ſimplicem plexum inſpicit. Sinum plexus hic triplicem efformat in longitudinem, in quo ſemina copioſa candida, cortice nonnihil inæqualia, lacteſcente vero medulla Melonum æmula junctim aſſervantur.

Hic Cucumis vocatur etiam LUFFA ARABUM, quo nomine Arabs quidam, in cujus horto prope Cairum urbem creſcebat, hanc plantam VESLINGIO indicavit.

a Modo dicto Authore refertur ad Cucumerem, a RAJO ad peponem.

Cucumis Ægyptius reticulatus ſeu Luffa Arabum Vesl. in P. Alp. 48. Cucumis rectius Pepo Ægyptius reticulatus ſeu Luffa Arabum Veslingii Raj Hiſt 640.

Pepo Indicus reticulatus ſeminibus albis major Herm. Hort. Acad Lugd. Bat.

Ægypti incola. Colitur etiam in noſtris hortis, floret æſtate.

LUPINUS

De uſu ejus ita VESLINGIUS. Uſus hujus fructus barbaro poſſeſſorj ſatis exploratus non erat. In balneis tamen publicis dempto cum ſemine cortice, plexum filamentorum

ſucco

ſucco ſuo madidum tergendis corporibus adhiberi confirmabat, quorum cutem Morphæa fœdæque vitiligines inſederunt, malum Ægyptio vulgo familiare. VESLINGIUS putat forſan ex hoc plexu decenter arefacto malleo ſtupario contuſo corticatoque ſpeciem lini parari poſſe.

SEMEN LUPINI LUTEI.

Eſt Lupini ſylveſtris flore luteo C. B. Pin. ſemen, quod compreſſa forma & magnitudine albo fere par, colore varium eſt, albo fuſcoque maculoſum, areola alba ſeu zonula circa germinis regionem cinctum, ſiliquis lanuginoſis clauſum.

LUPINUS LUTEUS a floribus dicitur, LUPINUS LUTEUS FLORE ODORATISSIMO. VIOLA HISPANICA QUIBUSDAM, Geelſeigbohnen/ Spaniſch Veiel/ geele Lupinen.

Lupinus ſylveſtris flore luteo. C. B. Pin. 348. Lupinus luteo flore, ſemine compreſſo vario. I. B. 2. 290. Lupinus luteus. Tabern. Icon. 495.

Colitur in hortis floret Junio. Odoris & coronarum gratia teritur.

Semen hoc adverſus Viperæ morſum valet juxta SCHWENCKFELDT.

SEMEN PHALARIDIS.

Eſt ſemen Phalaridis majoris C. B. Pin. lubrico nitore Milii, forma Lini, ſed magnitudine ſuppar.

Herbæ

PHALARIS nomen accepit ἀπὸ τῦ φαληρικῦ quod ſemen ſplendidum candidumque reddat. MILIUM ALTERUM, MILIUM SYLVESTRE, MELICA ALTERA THEOPHRASTI, SEMEN CANA-

Canariense, Canarien-Vögel-Saamen. Graine de Canari.

a TOURNEFORTIO ad Graminis refertur ſpecies.

Gramen ſpicatum ſemine miliaceo albo. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 3. g. 8. Phalaris major ſemine albo. C. B. Pin. 28. Phalaris, I. B. 442. Phalaris, Dod. Pempt. 510.

Sponte naſcitur in Italia & Hiſpania inter ſegetes, item in Inſulis Canarienſibus. Seritur apud nos pro alendis præſertim paſſeribus Canarienſibus.

Herbæ tuſæ ſuccus, DIOSCORIDE auctore, ex aqua aut vino expreſſus, ad veſicæ cruciatus utiliſſime bibitur. Semen quoque cochlearis menſura ex aqua potum ad eadem eſt efficax. PLINIO authore calculos frangit ſemen potum ex vino vel aceto, vel cum melle & aceto. Idem & veſicæ vitia ſanat. Alimento eſſe, & nonnullos panes pinſendos curare, eſitareque ad calculum, farctusque veſicæ perhibet LOBELIUS.

SEMEN PHASEOLI ITALICI HVMILIS.

ſeu MINORIS ALBI.

Sunt Smilacis ſiliqua ſurſum rigente, vel Phaſeoli parvi Italici, fructu minori albido, cum orbita rubente aut nigricante C. B. Pin. ſemina, facie renibus ſimilia, alba præter umbilicum, qui tantum in iis nigricat.

Inflat

Phaseolus Albus, Phaselus, qui vulgo Fasolus, cui ſemen candidum, macula nigra, aut rubens.

Phaſeolus minor ſiliqua ſurſum rigente fructu minori albido cum orbita rubente aut nigricante, Tourn. I. R. H. cl. 10. ſ. 4. g. 8.

Smilax ſiliqua ſurſum rigente vel Phaſiolus parvus Italicus, fructu minori albido, cum orbita rubente aut nigricante. C. B. Pin. 339. Phaſiolus vulgaris Italicus, humilis, ſeu minor albus cum orbita rubente vel nigricante. I. B. 2. 258.

Seruntur in agris & in hortis.

Inflat hic Phaſeolus & flatus movet & ægre concoquitur. Coctus autem viridis ſi edatur, alvum mollit, ad vomitionem autem idoneus eſt. Parant exinde fucum muliebrem hoc modo. Sumunt Phaſeolorum, micæ panis triticei albiſſimi ana lib. j. Cucurbitam longam, teneram, virentemque unam, diſſecta prius cucurbita, macerant ſimul omnia ex lacte caprino nocte una, deinde addunt ſeminum Melopeponum ℥v. nucleorum perſicorum mundatorum ℥iij. nucleorum pineorum delibratorum lib. ſ. Conterunt perſe omnia in lapideo mortario & deinde addunt pullum columbinum domeſticum una cum plumis in particulas diſſectum, abjectis tantum inteſtinis, & omnibus ſimul miſtis ex vitreo organo ad hoc parato, in vaſe ferventis aquæ collocato, aquam deſtillant, & ſubinde diligenter cuſtodiunt. Siquidem hujuſce aquæ lotione nitorem faciei conciliant & cuti molliſſimum addunt lævorem. Hæc JOH. BAUHINUS.

SEMEN PISI CORDATI.

Sunt Piſi veſicarii fructu nigro alba macula notato C. B. Pin. grana, veſicæ turgidæ incluſa, piſo parvo ſimilia, nigricantia partim, partim albida, in quibus cordis effigies pulchre delineata.

Cre-

PISUM CORDATUM vocatur etiam COR INDUM, GRANA CORDIS a ſeminis nota cordiformi; PISUM VESICARIUM quoque audit, HALICACABUM PEREGRINUM, VESICARIA

CARIA NIGRA ſeu PEREGRINA, CALVARIA MONACHI Hertz-Saamen / Hertz-Körner / Münchs-Köpfflein / Schwartz oder Welſch Schlutten. POIS DE MERVEILLE.

Eſt plantæ genus flore polypetalo anomalo, quatuor ſcilicet petalis cruciformiter oppoſitis, totidemque minoribus plerumque aduncis, & meditullium occupantibus, conſtante. Ex calyce autem tetraphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum veſicæ æmulum, in terna loculamenta diſtinctum, ſeminibusque fœtum fere globoſis, nota cordiformi donatis.

Cor Indum ampliore folio fructu majore. Tourn, I. R. H. cl. II. ſ. 2. g. 8. Piſum veſicarium fructu nigro alba macula notato. C. B. Pin. 343. Halicacabum peregrinum multis ſive Cor Indum. I. B. 2. 173. Halicacabus peregrinus. Dod. Pempt. 455. Cor Indum ampliore folio, fructu maximo. Tourn, l. c. Ulinia H. Mal. part. 8.

Cor Indum folio & fructu minori. Tourn. l. c.

Cor Indum fructu minimo.

Colitur in hortis floret Julio Auguſto &c.

Secale.

Creditur, ut habet JOHANNES BAUHINUS hoc ſemen valere ad omnes cordis affectus, ob notam qua inſignitur. Ad opera topiaria poteſt adhiberi.

SEMINA MUCAGINE VOLATILI PRÆDITA.

Clavi ſiliginis.

Hypecoi.

Meliloti cujusdam Creticæ.

Papaveris ſpinoſi.

Solani ſpinoſi arboreſcentis, promontorii bonæ ſpei.

Trifolii bituminoſi.

CLAVI SILIGINIS.

Sunt Secalis luxùriantis C. B. Pin. grana, granis Secalis ordinarii majora & craſſiora, haud raro extra involucrum excreſcentia, a colore recedentia, exterius ex fuſco nigricantia, interius albicante ſubſtantia conſtantia dura, nunc longiora nunc breviora, nunc tenuiora nunc denſiora, nunc recta, nunc incurvata, acuminata & inſtar cornu reflexa, odore & ſapore ad ſecale quadantenus accedentia, ſub finem tamen pauliſper acria.

Secale hos clavos ferens vocatur etiam SECALE TEMULENTUM, SECALIS MATER, SEGLE CORRUMPU. CLAVI autem SILIGINIS vocantur, Korn-Zapffen / Rocken-Mutter / Wolff-Zähn / BLE CORNU, ERGOT.

Secale luxurians. C. B. Pin. 23. Secalis mater. Thal. tit. de gramine.

ὑπήκοον,

Subſtantia interior horum clavorum ut docet CAROLUS NICOLAUS LANG, MEDICUS LUCERNENSIS HELVETUS, qui peculiarem de his tractatum edidit, non adeo albicat, ut ſecale, nec adeo farinacea, ſed potius caſeoſa eſt. Leviora etiam videntur hæc grana, & parumper aquæ innatant, & tum demum ad fundum præcipitantur, quando aquam hauſerunt. Si per unam aut duas horas in aqua remanſerint, nigreſcunt plane & ita emolliuntur, ut omnibus modis flecti queant, ſufficienti indicio ſpongioſæ & tenacioris ſubſtantiæ. Quando clavi per 24. horas in aqua calida macerantur, ſubſtantia ſecedit pinguis, quæ ſenſim ſuperiora petit, & in ſuperficie aquæ cuticulam efformat ſpiſſiuſculam variorum colorum, quæ poſt decantationem aquæ exſiccata, in pulverem ſubtilem gryſeum nullius odoris

ris aut ſaporis fatiſcit. Dum accenduntur, facile flagrant inſtar fere amygdalæ & in cinerem nigricantem empyreumaticum convertuntur, id quod alias in Secali non obſervatur; indicio copiam ſulphuris groſſioris ineſſe.

Clavi hi majori in abundantia creſcunt tempeſtate humida admodum & pluvioſa, & in ſolo humido atque frigido, & imprimis Secale vernum vel minus uberiores producit clavos. Volatilibus hæc grana non arrident. Illud quoque notandum quod ſati hi clavi non progerminent.

Quod ortum horum clavorum attinet, probabile eſt, inquit ſupra allegatus LANGIUS, cauſam eorum primariam in nimia aëris humiditate quærendam eſſe, ſive jam multum aut continuo pluat, ſive multæ & continuæ nebulæ humidæ aërem occupent, ſive etiam multum roris tenacioris atque acrioris decidat. Cumque nullas prætereat annus in quo non obſerventur vel pluviæ largiores & diuturniores, vel nebulæ & rores frequentiores, ideoque ſingulis quoque annis clavi hi majori minorive in copia proveniunt, prouti Ver vel æſtas plus minusve extiterit humida. Hæc jam aëris humiditas, quæ admodum ſubtilis & penetrans, inſuper partibus aëreo nitroſis atque ſulphureis volatilibus referta eſt, non ſolum ſpicam ſecalinam ambit, ſed & adhæreſcens ſeſe inſinuat in glumam, in qua tanquam in matrice granum ſecalinum reconditur, quod exinde emollitur atque expanditur, ita ut liberior humiditatibus aëris aditus in grani pateat ſubſtantiam, cum qua fermenteſcendo illam ulterius expandit atque adauget. Obſervatum autem eſt rorem imprimis, tum ordinarium tum robiginem, propter partes Nitroſas acres & corrodentes maxime penetrare. Quod autem excreſcat ejusmodi granum, in cauſa quoque abundantior in ſolo contentus ſuccus, quem in emollitum granum accedens fortior Solis æſtus propellit copioſius. Qui Sol

 deinde

deinde fervens prædictos ſuo continuante ardore inſpiſſat, atque exſiccat. Quod autem ſecale imprimis vernum præ aliis cerealibus huic malo obnoxium ſit, a peculiari ſpicæ, glumæ atque grani conſtitutione derivandum eſſe videtur.

Hi clavi jam adeo venenati evadunt quandoque, ut non tantummodo ſtuporem membris inducant ſed poſtmodum partim dolores intolerabiles præſertim in locis calidis, partim frigus intenſiſſimum procreent & tandem gangrænam atque ſphacelum poſt ſe trahant, ne dicam de aliis concurrentibus ſymptomatibus. Obſervatum autem fuit triplici potiſſimum modo venenum horum clavorum agere, nempe coagulando ſanguinem, a qua re poſtmodum gangræna in partibus externis oritur: ſecundo corrodendo & diſſolvendo ligamenta articulationum, vaſorumque atque tendinum unitatem, unde partes ſphacelatæ ſponte deciderunt, & tertio, ſi non nimis malignum exiſtit venenum, poſt ſe trahit capitis ſtuporem ſeu magnam quaſi temulentiam. Indicium itaque eſt hoc venenum conſiſtere in ſubſtantia quadam ſalino ſulphurea plus minus tenaci figente, corrodente & arſenicali, ex aëre ſe in grana ſecalina ſe inſinuante, ad quam imprimis rubigo principaliter contribuit. Nec obſtat quod hoc venenum dum grana in farinam & hinc in panem convertuntur deberet mitigari & ſubigi, quin potius dicere poſſumus, eodem motu inteſtino tam noxias partes eo magis ſubtiliſari & extolli, ut deinde eo facilius per maſſam humoralem diſtribui queant.

Ut autem his malis obviam quis ire poſſit, ſupra citatus author ſequentia commendat remedia. Primo præmiſſis, ſi fieri adhuc poteſt, digeſtivis exhibeatur emeticum & quidem paulo fortius, uti eſt tartarus emeticus, quo materia venenata in primis viis adhuc hærens quam ocyſſime eliminetur, quem in finem etiam purgantia per inferius guttur

cæteris

cæteris paribus locum invenire poſſunt. Poſtmodum in uſum trahantur alexipharmaca atque diuretica, inter quæ recenſet Radicem Angelicæ, Scorzoneræ, Leviſtici, Contrayervæ &c. Herbam Carduibenedicti, Fumariæ, Scordii (quod omnium optimum cenſet) Meliſſæ, Salviæ aliasque herbas aromaticas, modo æſtus per totum corpus non urgeat. His addit Unicornu, aquam theriacalem, Diaſcordium, Theriacam, Mithridatium, Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, Sal volatile oleoſum, Liquorem C. C. ſuccinatum, lapidem Prunellæ, Sal Carduibenedicti, Rob Sambuci & imprimis camphoram tum interne tum externe uſurpatam, Spiritum Vini camphoratum, Spiritum Theriacalem camphoratum, Spiritum baccarum Sambuci, Spiritum C. C. Elixyr proprietatis cum Spiritu Vini camphorato paratum, flores atque Spiritus Salis Armoniaci &c. Nec omittantur cordialia. Aquæ florum cordialium, aliæ aquæ cordiales, conſerva roſarum, violarum, anthos, Confectio Alkermes, Confectio de Hyacyntho, radix Scorzoneræ condita, conditum Corticis Citri aut Aurantiorum, Saccharum perlatum &c. commendantur. Externe ea adhibeantur quæ alias in gangræna ſolent in uſum trahi. Obſervatum quoque eſt Venæſectionem in ipſo inſultu non adeo proficuam fuiſſe, ſed aliquid tantummodo ſub finem præſtitiſſe.

Hos clavos venenatos nihilominus etiam aliquem præſtare uſum LONICERUS annotavit. Dicit enim a mulieribus pro ſingulari & probato remedio antihyſterico haberi, ſi tria grana ſubinde deglutiantur. Fertur quoque illos clavos lac imminuere. Tutius eſt, ut recte judicat Langius, abſtinere ab ejusmodi remediis periculoſis, cum tutiora proſtent.

SEMEN HYPECOI.

Sunt Hypecoi C. B. Pin. fructus ſiliquoſi articuloſi, plani, ſemine fœti utplurimum reniformi, longiuſculo, nigricante, aſperiuſculo.

ὑπήκοον, ὑπόφεον, HYPECOON, CYMINUM CORNICULATUM, Romiſcher Fellriß/ Korn-Kümmel/ Wetter-Rößlein.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante plerumque trifidis: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam articuloſam planam, ſemine fœtam utplurimum reniformi, in ſingulis articulis recondito.

Hypecoon latiore folio. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 5. g. 2. Hypecoum ſiliquoſum. I. B. 2. 899. Hypecoum. C. B. Pin. 172. Hypecoon. Dod. Pempt. 449.

Hypecoon tenuiore folio. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 5. g. 2. Hypecoi altera ſpecies. C. B. Pin. Alterum Dioſcoridis Cuminum ſylveſtre, ſiliquoſum Lobel. Icon. 473.

Proveniunt in regionibus calidioribus: prope Monſpelium v. gr. item prope lacum non longe a balneo, quod Baleruch cognominatur, item in Gallia Narbonenſi, Hiſpaniæ regnis &c.

Lobus

Virtute ſemina æque ac ſiliquæ ut & tota planta ſymbolizare cum Papavere dicitur. Succum imprimis hujus plantæ inſtar opii inducere ſomnum quidam obſervarunt.

SEMEN MELILOTI CUJUSDAM CRETICÆ.

Snnt Meliloti cujusdam Creticæ P. Alp. ſemina parva minuta, rotunda, flava, guſtu ſubdulcia & moderate adſtringentia.

De

Lotus ὀλιγοκέρατος Cretica lutea ſiliquis longis erectis. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2, 175. Melilotus quædam Cretica. P. Alp. Exot. 272.

Patria ex nomine patet.

De uſu ita ALPINUS diſſerit: Ni hæc planta erit legitima Melilotus antiquorum, poterunt tamen ſecurius ad uſum Medicinæ Medici iſtiuſce plantæ ſeminibus uti. Calida certe eſt, ſed moderate quidem cum adſtrictione, ſeminum facultas exindeque digerens & reſolvens. Unde digerendo emollit decoctum ex ſeminibus paratum. Maxime commendatur ad oculorum inflammationem, ad dolorem ventris, ſtomachi & aliarum partium decoctum ſpongia exceptum mirifice juvat. Emplaſtrum ex ſeminum farina ex aqua paratum partes induratas emollit, idcircoque duros digerit & emollit tumores.

SEMEN PAPAVERIS SPINOSI.

Sunt ſemina Papaveris ſpinoſi C. B. Pin. nigricantia, ſextuplo aliorum papaverum ſemine majora, rotunda, in apicem deſinentia, & elegantiſſime ſtriata, quæ continentur in capitulo oblongo, hexagono & tetragono, multis ſtaminibus flavis id ambientibus, quod tenellum ſumma parte rubeſcit, maturum vero nigricat, ſpinis frequentibus & firmis horridum.

Se-

Spinosum dicitur a ſpinis frequentibus, vocatur etiam Argemone, quod ἄργεμα oculorum & nubeculas expurget. Ficus quoque Infernalis audit.

A reliquo papavere ſeparat hoc TOURNEFORTIUS & ſub peculiari genere Argemones ponit. Eſt autem

Argemone eſt planta flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam plerumque ovatam, unicapſularem veluti feneſtratam, coſtis a baſi ad apicem protentis quarum intervalla occupant valvæ in ſummo plerumque dehiſcentes; ſingulis autem coſtis placenta adhæreſcit, ſeminibus onuſta fere globoſis.

Argemone Mexicana, Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 2. Papaver ſpinoſum. C. B. Pin. 171. & Prod. 92. & I. B. 3. 397.

In inſulis Americanis Caribeis ſecus vias publicas frequens reperitur. Colitur in hortis floret æſtate.

Τρίφυλ-

Semina cũm capitulo cui includuntur virtute gaudent pectorali, anodina atque ſomnifera.

SEMEN SOLANI SPINOSI ARBORESCENTIS PROMONTORII BONÆ SPEI.

Sunt Solani ſpinoſi arboreſcentis Capitis bonæ ſpei Breyn: baccæ pomi amoris amplitudine & forma, primum virides, dein flavi, & ex maturitate in nigrum degenerantes colorem, foventes ſemina compreſſa, orbiculata, fuſca, in pulpa flaveſcente viſcida, acri, amara, nauſeoſa & viroſa.

De his baccis ita HERMANNUS loquitur. Pulpam baccarum virulentam reperi, inducentem capitis gravedines, torpores, dolores, furorem dentium, ipſamque necem.

SEMEN TRIFOLII BITVMINOSI.

Sunt trifolii bitumen redolentis C. B. Pin. ſemina nigra, aſpera, hirſuta, in cuſpidem deſinentia foliaceum, odoris bituminoſi, ſaporis medicati.

Se-

Τρίφυλλον Ἀσφάλτιον, Ὀξύφυλλον μηνυανθὲς & ἀσφάλτιον. TRIFOLIUM ASPHALTEUM, TRIFOLIUM ASPHALTITES, quoniam univerſa planta odorem bituminis Judaici ſpirat. Hartz-Klee.

Trifolium bitumen redolens. C. B. Pin. 327. Trifolium Aſphaltites ſive bituminoſum odoratum. I. B. 2. 366. Trifolium bituminoſum. Dod. Pempt. 566.

Sponte naſcitur in Saxoſis in Italia, Sicilia & Gallia Narbonenſi, colitur in hortis, floret Junio.

J. BAUHINUS aſſerit, quod ſemen Italicum in Germania terræ mandatum proferat plantam odore bituminoſo: at ſemen plantæ in Germania educatæ rurſus ſatum ſapore & odore deficientem producit, & ſi iteretur ſatio, veriſimile eſt ſobolem degeneraturam tandem in plantam omni odore & ſapore deſtitutam.

Ἀφάκη

Semen & folia, authore DIOSCORIDE, in aqua pota pleuritidi, urinæ difficultati, morbo comitiali in principio hydropis & his, quæ utero ſtrangulantur, auxiliantur. Ducunt etiam menſes. Semina tria in febre tertiana, in quartana quatuor exhibent. Grana viginti pota ex vino aut poſca contra ſerpentum & ſcorpionum morſus valent. Immiſcetur etiam hoc ſemen antidotis. Doſis ſeminis in decoctis ad ℥iij. usque.

SEMINA TERREIS CONSTANTIA.

Aphacæ.
Aſtragali Monſpeſſulani.
Ceraſi racemoſæ.
Cotoneaſtri.

Graminis generis, dens caninus dicti.
Junci.
Junci floridi.
Limonii.
Meliloti Ægyptiacæ, Alchimelech.
Meſpili Aroniæ.
Pilulæ foliorum quercus.
Platani.
Quinquefolii fragiferi.
Sophiæ Chirurgorum.
Sorbi Alpinæ.
Vitis idææ fructu rubro.
Uvæ marinæ.
Uvæ urſi.

SEMEN APHACÆ.

Sunt Viciæ luteæ foliis convolvuli minoris C. B. Pin. ſemina, Lentibus minora, non ita compreſſa, ſed paulo rotundiora, quæ modo nigricant, modo rubeſcunt, modo variegata videntur.

Se-

Ἀφάκη APHACE, Πιτίνη. PITINA, OROBANCHE LEGUMEN aut LEGUMINIS VITIUM. Feld-Wicken / wilde Wicken.
TOURNEFORTIUS peculiare genus conſtituit.
Aphaca eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam ſeminibus fœtam ſubrotun-

rotundis. His notis addendum eſt, folia bina tantum ad caulium nodos naſci, ex quorum alis prodeunt claviculæ.

Aphaca, Lob. Icon. 70. Vicia lutea foliis Convolvuli minoris. C. B. Pin. 345. Vicia quæ Pitine Anguillaræ, lata ſiliqua, flore luteo. I. B 2. 316.

In campis inter legumina, triticum item ſecale & alias fruges enaſcitur.

Semen hoc adſtringendi vi pollet, torrefactum ſtomachi aliasque fluxiones ſiſtit.

SEMEN ASTRAGALI MONSPESSULANI.

Sunt Aſtragali Monſpeſſulani I. B. ſemina reniformia, ſiliquis longis rubentibus incurvis & teretibus incluſa.

Adſtringunt & commendantur in diarrhœis. Externe exſiccant atque detergent vulnera & ulcera.

SEMEN CERASI RACEMOSÆ.

Sunt fructus Ceraſi racemoſæ ſylveſtris fructu non eduli. C. B. Pin. nigri dulces, non tamen admodum grati, oſſiculo duro, oblongo ſcabro, nucleum continente.

Se-

CERASUS RACEMOSA dicitur a floribus & fructibus in racemis provenientibus, Πάδος PADUS, Olant-Baum/L[illegible] Kirſchen/ Ohl Baum/ BOIS DE St. LUCIE.

Ceraſus racemoſa ſylveſtris fructu non eduli. C. B. Pin. 451. Ceraſus racemoſa quibusdam, aliis Padus. I. B. 1. 228. Ceraſia racemoſa nigra. Tabern. Icon. 988.

In glareoſis & arenoſis locis prodit, circa ſepes & dumeta. in montibus Lotharingicis quoque reperitur. Verno tempore floret.

Semina Germani commendant ad epilepſias puerorum appenſa collo & vocant Gicht & Holtzbeeren. In Sileſia teſte SCHWENCKFELDT, pueris nota eſt arbor, qui verno tempore ramos cum floribus decerpentes in conclavia transportant odoris gratia. Fructus cibus aviculis gratus, quo & pueri delectantur. Dulces ſunt bacculæ ſed ingratæ & facile nauſeam movent. Vehementer adſtringunt & alvum cohibent.

SEMEN COTONEASTRI.

Sunt Cotoneaſtri I. B. fructus in extremis ramulis bini, terni vel plures, parvi, compreſſi, ex rotundo oblongi, in umbilico quinque partitis ſectiunculis inſigniti, cortice, ubi matureſcunt, primo rubeſcente, cui tamen obducta eſt lanugo cineracea. Sapor iis acerbus, oſſicula intus continentur terna aut quaterna, oblonga hinc anguloſa, illinc plana, duriuſcula, quæ tamen dentibus facile conteruntur, medullam claudentes albam, ſapore Oxyacanthæ, colore rubro.

De

COTONEASTER alias EPIMELIS Ἐπίμελις ita dicitur, quod ſit foliis ſubtus incanis mali cotoneæ, fructu rubente lanugine obducto, audit quoque CHAMÆMESPILUS, MESPILUS TERRESTRIS, MESPILUS NANA. Wild-Kütten/ Zwerg-Meſplen. MELANCIER.

a TOURNEFORTIO ad Meſpilum refertur.

Meſpilus folio ſubrotundo fructu rubro. Tourn. I. R. H. cl. 21. ſ. 9. g. 2. Cotonaſter folio rotundo non ſerrato. C. B. Pin. 452. Cotoneaſter. I. B. 1. 73.

Frequens eſt hic frutex, qui cultu arboreſcit, in omnibus Alpibus, ut & aliis montibus altis.

Ἴσχαιμος,

De hujus fruticis viribus nihil, ut loquitur JOH. BAUHINUS, proditum, verum ſicco ſapore nonnihil calido acri & adſtringente, quo præditus eſt, fructus fortius fibras laxatas conſtringet quam ipſa cydonia.

SEMEN GRAMINIS GENERIS DENS CANINUS DICTI.

Eſt Graminis Dactyli folio latiore C. B. Pin. ſemen Panici granis longius, ſubdulce.

Ἴσχαιμος, GRAMEN ISCHÆMUM, ISCHÆMON, SANGUINELLA, SANGUINARIA, CANARIA PLINII, GALLICRUS APULEII, PES CORNICIS CAPRIOLA. Blutgraß / Fingergraß / Kräenfuß.

Gramen dactylon folio latiore. C. B. Pin. 8. Graminis genus Dens canis tertius ſive Gramen 1. vel Galli crus. I. B. 2. 444. Iſchæmum, gramen ſanguinarium. 1, Tabern. Icon. 222.

Arida & ſterilia ſequitur.

JUNCUS

Semen hoc ſiccantis & adſtringentis eſt naturæ, ſanguinem ſiſtit & omnibus alvi profluviis utile.

Spicæ hujus graminis aſperiuſculæ convolutæ extractæque ſanguinem eliciunt.

SEMEN JUNCI.

Eſt Junci lævis panicula ſparſa majoris C. B. Pin. ſemen tenue, & fulvum, oblongis in tria foliola dehiſcentibus clauſum conceptaculis, ſitis in panicula jubata caulium ſive ſtylorum ex uno ceſpite crebrorum cubitalium aut altiorum, teretium, firmorum, propter terram rubentium dein obſcure virentium, ſtriatorum, palmaribus foliolorum rudi-

dimentis circa imum obvolutorum, medulla rariſſima & propemodum membranacea, mucrone mitiore, ſed plerumque longo & tenui.

JUNCUS ut ajunt a jungendo, utuntur enim ipſo ad faſciculos jungendos. σχοῖνος λεῖα, JUNCUS VULGARIS ALTER, JUNCUS LÆVIS ſeu LENIS, JUNCUS LÆVIS VULGATUS, glatte Bintzen / Sembden / Sympſen / JONC.

Juncus eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu capſulam plerumque trigonam, trifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtam utplurimum ſubrotundis.

Juncus lævis panicula ſparſa major. C. B. Pin. 12. Juncus panicula arundinacea. I. B. 2. 250. Juncus lævis. Dod. Pempt. 605. ab hoc non multum differt.

Juncus lævis panicula non ſparſa. C. B. Pin. 12. Juncus Matthioli. I. B. 2. 520. Juncus lævis glomerato flore. Lob. Icon. 84.

Pratis udis deterioribus nihil vividius familiariusve junco hoc, ut & in paſcuis & ſylvis humidioribus in aquis aut juxta aquas copioſe oritur.

Melilotus,

Semen præſertim uſtum ex vino ſtiptico potum alvum ſiſtit & rubra fœminarum profluvia, urinam ciet, ſed capitis dolorem facit annotante SCHWENCKFELDT.

Junci recentes in cubiculum ſparſi aërem temperant & ſenſim frigidos vapores ad caput ſubmittunt, quibus ſomnolentos efficiunt,

Medulla ad Ellychnia & turundas expetitur.

SEMEN JUNCI FLORIDI.

Sunt Junci floridi majoris C. B. Bin. ſemina parva, oblonga. Iisdem gaudet viribus ac radix.

SEMEN

SEMEN LIMONII.

Sunt ſemina Limonii maritimi majoris C. B. Pin. nuda, oblonga, rufeſcentia.

Semina hæc iisdem ac ipſa herba, de qua infra, viribus gaudent.

SEMEN MELILOTI ÆGYPTIACÆ, ALCHIMELECH.

Et Meliloti corniculis reflexis minoris vel repentis C. B, P. ſemen minutum, rotundum, ſubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omnino expers, ſapore ſtiptico cum aliquo amarore.

Melilotus corniculis reflexis minor vel repens. C. B. Pin. 331. Alchimelech id eſt Melilotus. P. Alp. Ægypt. 49. Melilotus Ægyptia Alchimelech vocata. I. B. 2. 357.

Patriam nomen indicat.

'Αρωνίας

Semina tantum apud Ægyptios in uſu exiſtunt. Quæ putant ii quoad calorem & frigiditatem eſſe temperata, ſed ſiccare, reſolvere ac ſtipticitate roborare, ex quo ad hepatis tumores ipſorum uſus apud illos eſt frequentiſſimus; quoniam ſine aliqua relaxatione digerit & reſolvit. Ad omnes quoque dolores quaſcunque corporis partes occupantes, fomentis ex ipſorum decocto utuntur, maxime ad pleuritim, peripneumoniam, & ad hepatis, coli & ventriculi dolorem, quibus doloribuss vexati ipſorum decoctum ad libram bis in die calidum bibunt. Mulieres quoque uteri ſtrangulationibus flatibus ac doloribus eo ſubveniunt, præſertim, que ex eo etiam inſeſſionibus paratis, quæ etiam fœnugræci-

linique ſeminibus paratæ & Chamomeli floribus, efficacius ad illius & aliarum partium duros tumores adminiſtrantur atque ad evocandos menſes retentos. Ad roborandum ventriculum & aperiendas obſtructiones venarum decocto ſumme proficuo utuntur.

SEMEN MESPILI ARONIÆ.

Eſt fructus Meſpili Aroniæ veterum J. BAUHINI, rotundus, ruber, umbilicatus, Meſpilo vulgari minor, in quo nuclei terni, Ceraſi nucleis paulo majores, triquetri, duriuſculi, oblongi.

Ἀρωνία, ARONIA, MESPILUS TRICOCCOS AZAROLUS, Welſch Neſplen / AZAROLIER OU AZEROLIER.

Meſpilus Apii folio laciniato. C. B. Pin. 453. Meſpilus Aroniæ veterum. I B. 1. 67. Meſpilus Aronia. Dod. Pempt. 808.

In Italia copioſe colitur in hortis viridariis ac vineis.

Σφάιρια

Fructus maturi ab Italis pro deliciis crudi appetuntur in cibis: nec tantum crudi, ſed etiam ſaccharo conditi & aſſervati eduntur. Nobis certe, inquit RAJUS, crudi grata aciditate placent hi fructus & Meſpilis delicatiores viſi ſunt. Moderate admodum adſtringunt, iisque, qui alvo ſunt laxiore, cibus ſunt utiliſſimus. Gratiſſimus quoque ſunt cibus utero gerentibus earumque malaciæ ſubveniunt.

PILULÆ FOLIORUM QUERCUS.

Pilulæ magna ex parte averſis foliis, hoc eſt parti terram ſpectanti, adnaſcuntur, plures interdum unico hærentes folio

lio proxime & immediate, læves, fungoſæ, pallidæ, ſapore ſubacido & adſtringente, molliores & fungoſiores gallis, magna ex parte exquiſite rotundæ, & exiguam gallam raro æquantes, vetuſtateque corrugatæ.

Σφαίρια τῆς δρυὸς. Pilulæ Onocididæ Galeni juxta Tragum, Gallis Similes Pilulæ, Galla In Folio Nascens. Eichäpffel.

Ad Gallarum facultatem accedunt, ſed tamen ipſis inferiores ac minus efficaces. PLINIUS ſcribit roboris pilulas ex adipe urſino, Alopecias capillo replere. Juxta SCHWENCKFELDT ad tincturæ uſum a tinctoribus colliguntur.

SEMEN PLATANI.

Sunt Platani C. B. Pin. globuli ſecus folia producti, longis & gracilibus dependentes pediculis, undique aſperi & veluti lanugineis floſculis pleni, paulatim in majuſculas pilulas excreſcentes, parvo caſtaneæ echino æquales. Sunt autem hirſutæ hæ pilulæ & lanuginoſæ atque totæ ceu aculeis conſtantes ſed mollibus. Cum autumno ad maturitatem perveniunt pilulæ, totæ fatiſcunt & diſſolvuntur in totidem ſemina, quot aculeis exaſperatæ fuerint. Singula enim ſemina in ſuperficie pilulæ in acumen deſinunt. Porro ea ſemina parva ſunt & oblonga, undiquaque flava, aſpera & papposa lanugine involuta, quo fit, ut confractæ pilulæ nihil quam papposa lanugo eſſe appareant, amianto contrito ſimilis: ea ſi caſu in aſperam arteriam recepta fuerit, ſtrangulat, ideoque inter venena a quibusdam veterum recenſetur.

Pilulæ virides in vino potæ ſerpentum morſibus auxilian-

tur, exceptæ autem adipe igne ambuſta ſanant. Tuſæ cum aceto aëri magisque ſcyllite ſanguinem omnem ſiſtunt, & lentiginem & carcinomata, melanias quoque (melandriasque) veteres addito melle emendant. Cinis pilularum ſanat ambuſta igne & frigore.

Pilularum foliorumque lanugo in aure & oculos illapſa, auditum viſumque labefactat, ſpiritu quoque attracta inſpiratave arteriam aſperam offendit.

SEMEN QUINQUEFOLII FRAGIFERI.

Sunt Quinquefolii fragiferi C. B Pin. ſemina oblonga, fere ruffa, in capitulo fragum referente contenta.

Siccant & adſtringunt.

SEMEM SOPHIÆ CHIRURGORUM.

Sunt Naſturtii ſylveſtris tenuiſſime diviſi C. B. Pin. minuta, dura, ruffa ſemina.

Semen

SOPHIA CHIRURGORUM dicitur, quoniam olim Chirurgi hac planta utebantur ad compeſcendas hæmorrhagias. Vocatur etiam SERIPHIUM GERMANORUM. NASTURTIUM μυριόφυλλον, ABSINTHIUM SERIPHIUM. ACCIPITRINA, THALICTRUM Dod. ERUCA GERATINA ITALORUM. Sophien Krauth / Wurm-Krauth / Welſamen / Habichs-Krauth / Schärerwitz.

Pertinet ad Siſymbrium.

Siſymbrium annuum Abſinthii minoris folio. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 4 g. 7. Naſturtium ſylveſtre tenuiſſime diviſum. C B Pin. 105. Seriphium Germanicum ſive Sophia quibusdam. I. B. 2. 886. Sophia Chirurgorum. Lob. Icon. 738.

In

In veteribus maceriis, locis ruderatis lapidoſis ac non raro arenoſis ac aliis incultis exit, ubi ſemel nata ſingulis annis facile recurrit. A Junio in Autumnum uſque & quidem particulatim floret. Semen interea perficiens.

Semen hoc ob virtutem adſtringentem laudatur ad ventris fluores, dyſenterias fluorem album, gonorrhœas & quævis ſanguinis profluvia. Non ſine ſucceſſu quoque, teſtante RAJO, exhibetur in affectibus nephriticis & calculoſis. Ad vulnera & ulcera ſordida valere dicitur in emplaſtris. Doſis ad ℈j. ʒj. &c.

SEMEN SORBI ALPINÆ.

Sunt Sorbi Alpinæ I. B. poma parva, avellana minora, rubra, pauca quadam lanugine obducta, umbilicata, pulpa luteola, ſapore acerbo primum, quæ tamen mollia reddita, gratiore ſapore ſe commendant.

SORBUS ALPINA vel PILOSA vocatur ARIA, Eltz Birle/ Thels-Birle/ unſer Frauen-Birle/ Mäl-Baum/Meller-Baum/ wilder Sperb-Baum.

Eſt ſpecies Cratægi, cujus characterem vide ſub Sorbo Torminali.

Cratægus folio ſubrotundo ſerrato, ſubtus incano. Tourn. I. R. H. cl. 21. ſ. 8. g. 3. Alni effigie lanato folio major. C. B. Pin 452. Sorbus Alpina. I. B. 1. 65. Aria. Lugd. 202.

In montibus præaltis ſylvoſis & frigidis occurrit, floret Majo & fructum perficit Autumno.

Χαμαί-

Sapor mollium fructuum non ingratus nec perinde adſtringens uti torminalibus immaturis. Legitur maturus & conditur. Neque enim fugax nimis eſt, ſed in hyemem usque durat ſi bene aſſervetur. Suavi dulcedine gratus tuſſes

non aliter quam Ziziphi bacca lenit, ſputum adjuvat, crudos humores pulmoni infarctos coquit. E ligno firmi & ſolidi fiunt baculi, ut & optimi carbones, qui diu retinent ignem, quod ſine dubio ligni duritiei eſt adſcribendum.

SEMEN VITIS IDÆÆ FRUCTU RUBRO.

Sunt Vitis Idææ foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris C. B. Pin. baccæ racematim creſcentes piſi minoris magnitudine ex albo luteove rubentes, ſapore acido, valde jucundo, carne ſimili Vacciniis paluſtribus, cui immerſa grana parvula lutea.

Χαμαίβυξος, VITIS IDÆA RUBRA, VACCINIUM RUBRUM, ERICA BACCIFERA LATIFOLIA QUIBUSDAM UVA URSI. Rothe Heydelbeer / rothe Preuſelbeer / Prauſelbeer.

Vitis Idæa foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris. C. B. P. 470. Vitis Idæa ſempervirens fructu rubro. I. B. 1. 522. Vaccinia rubra. Lob. Icon. 109.

Gaudet locis ſylvoſis ſaxoſis & opacis, floret Majo & Junio, Septembri fructus maturatur.

Τράγος,

Cum baccæ ſint acidæ magisque adſtringentes cæteris, nec perinde ſucculentæ ut Myrtilli, ad eos uſus, ubi adſtringendum opus accomodari poſſunt; Hinc eorum uſus in dyſenteria non contemnendus, item in diarrhœa ſimilibusque affectibus. Probantur ſiccæ etiam in calculo. Ex ſucco rob conficitur addito ſaccharo ventriculo æſtuanti & a cholera male affecto gratiſſimum. Ad intinctus etiam additis aromatibus commode uſurpatur, teſte SCHWENCKFELDT.

SEMEN

SEMEN UVÆ MARINÆ.

Sunt Polygoni bacciferi, ſive Uvæ marinæ C. B. Pin. fructus Moris ſimilis ex acinis rubris compactilis, ſapore dulci aut etiam acidiuſculo nec ita tamen grato ut Mororum.

Race-

Τράγος, Τράγανος, σκόρπιος, TRAGUS & SCORPIUS, MORUS MARINA, UVA MARINA, POLYGONUM BACCIFERUM, EPHEDRA ἔφεδρα a vocibus Græcis ἐπὶ ſupra & mutando π, in φ, & ἕδρα ſedes, quaſi planta rebus vicinis inſidens; unde & ἀνάβασις dicitur quaſi aſcendens ſeu ſcandens ἀπὸ τῦ ἀναβαίνειν, aſcendere: UVA MARINA MONSPELIACA, Meer-Trauben von Monpelier/ RAISIN DE MER.

Ephedra eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ſed plerumque ſterili. Embryones enim aliis plantæ partibus, vel iis plantis ejuſdem generis, quæ flore carent, innaſci ſolent, abeuntque in fructum mollem ſeu baccam, cupula quadam munitam, ſeminibusque fœtam utplurimum oblongis.

Ephedra ſive Anabaſis Bellon. Polygonum maritimum ſcandens. C. B. Pin. 15. Ephedra maritima major. Tourn. I. R. H. App. 663. Polygonum bacciferum maritimum majus ſive Uva maritima major. C. B. Pin. 15. Tragus ſive Uva marina major. I. B. 1. 406.

Ephedra maritima minor. Tourn. l. c. Polygonum bacciferum maritimum minus. C. B. Pin. 15. Tragus ſive Uva marina. I. B. 1. 406. Polygonum marinum ij. Tabern. Icon. 836.

Copioſe proveniunt in locis maritimis præſertim in regionibus calidis. De prima ſpecie dicunt quod aſſurgat in magnam ſæpe altitudinem, quandoque brevior ac humilior conſiſtat rariſſime ſolitaria, pone arborem vel fruticem fere ſemper naſcatur, quarum etiam altitudinem aſſequitur. Si juxta arbuſculam primum adoleſcentem naſcatur procul illa creſcit, etiam attollitur comesque in creſcendo illi fiet, etiamſi in immenſam altitudinem arbor attollatur. Vidit BELLONIUS Platanos non minus celſas

Abie-

Abietibus in Hæmo monte naſcentibus, quæ Ephedram ad ſummum usque faſtigium deduxerunt, ſine clavicularum (quas nullas habet) ope aut adminiculo ramis incumbentem. Si vero juxta fruticem aut arborem aut ſub ea naſcatur humilis manet nec ſupra eam attollitur.

Uva

Racemorum acini, ut habet DIOSCORIDES, decem ex vino poti coeliacis, fœminisque fluore laborantibus auxiliantur. Sunt & qui tuſos digerunt in paſtillos, quo felicius aſſerventur iisque ita utuntur. Virtutem talem adſtringentem majorem putat J. BAUHINUS habere ſurculos atque ſummitates equiſetum quodammodo æmulantes, unde iis utuntur ad hernias, alvi fluxus & hæmorrhagias.

SEMEN UVÆ URSI.

Sunt Uvæ Urſi Clus. baccæ ſubrotundæ, molles, rubræ, ſaporis adſtringentis.

UVA URSI, quoniam baccis racematim naſcentibus delectatur Urſus, Ἀρκτοςάφιλος RADIX IDÆA, RHODODAPHNE PARVA QUIBUSDAM BALSAMUM ITALICUM VULGARE, THERIONARCHA, VACCINIA URSI.

Uva Urſi eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi, globoſo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem ſeu baccam ſphæricam, oſſiculis fœtam hinc gibbis, inde vero planis. Uva Urſi Clus. 63. Vitis Idæa foliis carnoſis & veluti punctatis ſive Idæa radix Dioſcoridi, C. B. Pin. 470. Radix Idæa putata & Uva Urſi. I. B. I. 523.

In regionibus calidioribus provenit.

Baccæ virtute gaudent adſtringente, qualem etiam radici atque foliis tribuunt.

CAPUT

CAPUT SEXTUM
DE
HERBIS FOLIIS ET GERMINIBUS.
PLANTÆ CONSTANTES SALE VOLATILI OLEOSO SEU AROMATICO.

Camphorata.
Camphoratæ congener.
Calamintha arvenſis.
Clinopodium Origani facie.
Geranium Africanum Ibiſci folio rotundo carlinæ odore.
Geranium Malvæ folio odorato.
Lavandula multifida.
Maru Creticum.
Marum Cortuſi.
Satureja montana.
Tragoriganum Creticum.

CAMPHORATA.

Sunt Camphoratæ hirſutæ C. B. Pin. folia, trientem unciæ non excedentia, tenuia, piloſa, mediocriter rigida, odore aromatico, ſapore aliquantulum acri.

CAMPHORATA dicitur, quod herba digitis confricata odorem camphoræ nonnihil referat, id quod tamen negat TOVRNEFORTIVS.

Juxta PETRVM MAGNOL ita deſcribitur.

Camphorata Monſpelienſium JOH. B. Calix juxta caulis articulos in quatuor partes dividitur, cum quatuor ſtaminibus albis & apicibus roſei coloris in quibusdam, in aliis vero luteis cum ſemine nigro, oblongo, flores glomeratim naſcuntur ad caulis articulos.

Camphorata hirſuta. C. B. Pin. Camphorata Monſpelienſium. I. B. 3. 2. 379. Camphorata Monſpelienſium an Chamæpeuce Plinii. Lob.

Circa Monſpelium, Nemauſum, Avenionem & alibi in Gallia ſponte occurrit.

Aperit hæc planta, cephalica eſt atque Hyſterica, roboratque viſcera. LOBELIO docente gaudet virtute vulneraria; juxta MAGNOL conducit in Hydrope. BURLET Archiater Hiſpanicus ea cum ſucceſſu uſus eſt in multis morbis chronicis.

De hac quidem planta jam in tomo ſecundo actum, ſed hic fuſius exponitur.

CAMPHORATÆ CONGENER.

Sunt Camphoratæ congeneris C. B. Pin. folia Camphoratæ ſimilia.

Vir-

ANTHYLLIS ALTERA ITALORUM, ANTHYLLIS SECUNDA, ANTHILLIS LENTIFOLIA. CAMPHORATA MINOR, eſt enim exilior Camphorata.

a TOVRNEFORTIO ad Chenopodium refertur. Eſt nempe

Chenopodium annuum humiſuſum folio breviori & capillaceo. Tourn.

Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 2. g. 4. Camphoratæ congener. C. B. Pin. 486. Anthyllis altera Italorum. Lob. Icon. 404.

RAJUS dicit ſe plantam hanc in Germania, Italia & Gallia in arvis & vervactis frequentem obſervaſſe.

Virtutibus ſymbolizat cum camphorata, imprimis effectu vulnerario ſe commendat.

CALAMINTHA ARVENSIS.

Sunt Calamintha arvenſis verticillatæ C. B. Pin. folia adverſa Clinopodii Matthioli, per ambitum leniter ſerrata, lanuginoſa, odore grato Calaminthæ, ſapore acriuſculo non inſuavi.

γλύχων ἄγριον PULEGIUM SYLVESTRE & NEPETA AGRESTIS, CALAMINTHA AQUATICA, Kornmüntz / Feldmüntz / Waſſermüntz / Froſchmüntz / kleine Bach oder Ackermüntz / Ackernept / Waſſernept / Waſſerpoley / Wildepoley / wild Mutterkrauth.

Eſt ſpecies Menthæ, nempe

Mentha arvenſis verticillata hirſuta. I. B. 3. 2. 217. Calamintha arvenſis verticillata, C. B. Pin. 229. Calamintha arvenſis. 1. Tabern. Icon. 352

Provenit paſſim in agris in locis udis: floret æſtate.

CLINO-

Conſpirat virtute cum Mentha præſertim ſpicata folio longiore nigricante. Hujus Calaminthæ decoctum valet plurimum in hydrope, mictui quoque in lecto confert. Extractum ejus dicitur ſpecificum in amiſſione odoratus.

CLINOPODIUM ORIGANI FACIE.

Sunt folia Clinopodii Origano ſimilis elatioris majore folio

lio C. B. Pin. Origani vulgaris, minus odora; ſapore quodammodo ſalviæ remiſſiore.

Clinopodium Majus, Origanum Minus, Origanum Verticillatum, Acinos, Klein-Doſten/ Haupt-Doſten/ Wirbel-Doſt/ Wild-Doſt.

Characterem vide ſub Clinopodio.

Clinopodium Origano ſimile elatius majore folio. C. B. Pin. 225. Clinopodium quorumdam Origani facie. I. B. 3. 2. 250. Acinos, Lob. Icon 504.

Montoſis paſſim, in dumetis & frutetoſis provenit hæc planta, florem habens Julio vel album vel purpuraſcentem.

Gera-

Odoratum, juxta SCHWENCKFELDT, eſt, nonnihil guſtanti ſiccius tantillo caloris ſubadſtringens ut Betonica. Calefacit, ſiccat, digerendo modice repellit. Caput viſceraque roborat. Additur inſeſſibus, menſes ſiſtit & partes imbecilles confortat. Cæterum ſymbolizat cum Clinopodio vulgari.

GERANIUM AFRICANUM IBISCI
FOLIO ROTUNDO CARLINÆ ODORE.

Sunt Geranii Africani Ibiſci folio rotundo Carlinæ odore H. L. Bat. folia, in ambitu rotunda, leviter crenata, modo plana modo ſinuata, craſſiuſcula, mollia, hirſuta, Ibiſci inſtar, dilute virentia, odoris fragrantis, Carlinam æmulantis.

Ad radices montis tabulati Promontorii bonæ ſpei fruteſcit hoc Geranium.

De virtute ita diſſerit HERMANNUS Tota planta imprimis folia ſubacrem & aromaticum præbent ſaporem cum levi viſciditate. Hinc reponi meretur inter carminantia & emol-

emollientia. Folia leviter exiccata non infelici effectu, inquit prædictus author, clyſteribus contra ventris tormina, paſſionem colicam, iliacam, Nephriticam, præſertim calculum cæteraque Urinæ difficultates.

GERANIUM MALUÆ FOLIO ODORATO.

Sunt Geranii Africani Malvæ folio odorato, folio Malvæ paria, ſubrotunda, anguloſa, crenata, undulata, nonnunquam laciniata, odoris grati & aromatici.

Geranium Africanum fruteſcens Malvæ folio laciniato odorato. H L. B. Geranium Malvæ folio odoratum flore purpuraſcente capitis bonæ Spei. Breyn. Prodr. 36.

Tota planta piloſa hirſutaque facie eſt & eadem virtute ac Geranium Ibiſci folio odore Carlinæ gaudet teſte HERMANNO.

LAVANDULA MULTIFIDA.

Sunt Lavandulæ folio diſſecto C. B Pin. folia lanuginoſa, cinereique coloris, acris guſtus & jucundi odoris.

Folia

Ita dicitur a diſſectione foliorum,

Lavendula folio diſſecto. C. B. Pin. 216. Lavendula multifido folio. I. B. 1. 281. & Clus. Hiſt. 345.

Lavendula folio longiori tenuius & elegantius diſſecto. Tourn. I. R. H. cl. 4 ſ. 3. g. 1.

Provenit ſponte in Hiſpania, colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Folia & flores cærulæi odorati correſpondent virtutibus cum Lavandula anguſtifolia.

MARU CRETICUM.

Sunt Maru Cretici Alpin. folia parva, minuta candicantia, ſapore acuto, maximeque odorata, cum floſculis purpureis admodum odoratis.

MARUM CRETICUM dicitur etiam a quibusdam MARUM SYRIACUM.

a TOVRNEFORTIO refertur ad Majoranam.

Majorana Cretica, Origani folio, villoſa, Saturejæ odore flore purpuraſcente. Tourn. Cor. I. R. H. Maru Creticum. Profp. Alpin. Exot. 288. An Marum Syriacum gracilioribus ſarmentis minoribus capitulis & foliis. Adverſ. 213.

In Inſula Creta tantum ſponte provenire affirmat ALPINVS.

Modo dictus author hanc plantam marum eſſe legitimum contendit. Marum hoc ob odorem validiorem & ſaporem acrem ac fervidum valde calefacit & ſiccat: Decoctum foliorum ut & florum urinam efficaciter movet, ut & menſes in mulieribus. Ad venena per os aſſumptum efficax eſt, unde in antidotis uſum habuit.

MARUM CORTUSI.

Sunt Mari Cortuſi I. B. folia Serpilli foliis paria, Thymi foliolis majora, ſubtus incana, ſuperius virentia, ſapore amaro & acri, odore grato.

Vir-

Vocatur etiam TRAGORIGANUM & pertinet ad Chamædrym.

Chamæ-

Chamædrys maritima incana fruteſcens foliis lanceolatis. Tourn. I.R.H. cl. 4. ſ. 4. g. 1. Marum Cortuſi. I. B. 3. 242.

Colitur in hortis floret Julio.

Virtutes easdem habet ac Marum. Feles quoque & hac planta mire delectantur, ac ea comeſta circumcirca ſemen genitale effundunt.

SATUREJA MONTANA.

Sunt Satureiæ montanæ C. B. Pin. folia Satureiæ ſativæ foliis minora, aliquando latiora, multoque duriora, guſtu piperis.

SATUREIA ſive THYMBRA ALTERA, PIPERELLA quibusdam audit a ſapore, SATUREJA ROMANA, SATUREJA DURIOR, Römiſch Saturey.

a TOURNEFORTIO ad Calaminthам refertur. Eſt nempe

Calamintha fruteſcens, Saturejæ folio, facie & odore. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 3. g. 4. Satureja montana. C. B. Pin. 218. Satureja durior I. B. 3. 272. Thymbra. Dod. Pempt. 288.

Fertur in montoſis & ſaxoſis Narbonenſibus & Pedemontanis aſperis quibusdam & incultis ubertim provenire. Colitur etiam in hortis.

TRAGO-

Attenuat, incidit, meatus expurgat & omnia, quæ Thymus poteſt, præſtat. Ex opinione CAMERARII apud MATTHIOLUM, urinam cit, calculos in renibus frangit & ejicit, viſumque, ſi edatur, acuit.

TRAGORIGANUM CRETICUM.

Sunt folia Tragorigani Cretici C. B. Pin. folia oblonga

ſatu-

Saturejæ foliis quodammodo ſimilia , latiora magisque rotunda, ſtigmatis punctata, nigricantia, tactu dura, guſtu acri & aromatico, odore ſuavi.

TRAGORIGANUM latine HIRCINUM ORIGANUM, ſonat, ſic dictum non quod hircum oleat, ſed quod gratum ſit hircis pabulum.

Juxta RAJUM ad Thymum referendum.

Thymus Cretenſis folio duro flore purpureo Raj. Tragoriganum Creticum. C. B. Pin. 223. Tragoriganum Cretenſe. Ger. Tragoriganum quibusdam nigrius, folio duro flore purpureo. I. B. 3. 261.

In Valentino agro ſponte naſcitur authore Cluſio.

BUPH-

Herba eſt calida & acris & ad eadem utilis ad quæ Thymus, Satureja, Hiſſopus; nimirum ad pulmonis affectus, tuſſim &c. ad menſes & urinas remorantes , ad cruditatem ventriculi & ructus acidos.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI CUM QUIBUSDAM FIXIS CONSTANTES.

Buphthalmum.
Calamintha incana.
Calamintha montana præſtantior.
Calamintha Pulegii odore.
Conyza cærulea acris.
Hyſſopus Græcorum.
Lotus odorata.

Matricaria

Matricaria flore pleno.
Matricaria odorata.
Mentha odore ocymi.
Mentha ſpicata folio longiore nigriori.
Mentha ſpicata variegata.
Pulegium Cervinum.
Roſmarinus ſylveſtris.
Roſmarinus ſylveſtris minor.

BUPHTHALMUM.

Sunt Buphthalmi Tanaceti minoris foliis C. B. Pin. folia lanuginoſa, millefolii denticulata, pinnataque multo minora, quippe quæ non temere unciam longitudine ſuperent, odore Chamæmeli.

BUPHTHALMUM βȣφθαλμος a vocibus græcis βȣς Bos, & ὀφθαλμὸς oculus; quaſi diceres oculum bovillum, flores enim (ut ait DIOSCORIDES) habet melinos oculorum ſimilitudine, unde & herba nomen traxit. CHAMÆMELUM CHRYSANTHEMUM, OCULUS BOVIS, καχλα, CACHLA, γόνος ἑρμȣ̃, GENITURA vel SEMEN MERCURII, BELLIS AUREA, SOLIDAGO BUPHTHALMICA, Rinds-Auge/ Rindsaug-Krauth/ Ochſen-Aug/ Strich oder Streich-Blumen/ Sterck-Blumen/ Stein-Blumen/ Gold Blumen/ Rinder-Blumen/ Laugen-Blumen/ gelbe Chamillen/ Kuhdillen. OEIL DE BOEUF.

Eſt planta flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis flosculis folio imbricato inter ſe diſtinctis, corona vero ex ſemiflosculis componitur, embryonibus inſidentibus & calyce ſquamoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque tenuia & anguloſa. His notis addenda eſt totius plantæ

 facies.

facies. Buphthalmum differt a Matricaria floribus, qui plerumque ſingulares ſunt, a bellide & Chamæmelo foliis, quæ Tanaceti modo quaſi per conjugationes ſecantur.

Floret Junio in pleriſque Germaniæ & Italiæ ſegetibus.

Uſus eſt hac herba TRAGUS in vino decocta adverſus inveteratam fellis ſuffuſionem potu illam decoctionem calidam hoc morbo laborantibus tanquam concoquens & diſcutiens remedium exhibuit, certoque deprehendit eam extenuandi diſcutiendique & educendi citra dolorem & periculum vi præditam. Buphthalmum quoque tritum utiliter vulneribus imponi quidam aſſerunt.

CALAMINTHA INCANA.

Sunt Calaminthæ incanæ Ocimi foliis C. B. Pin. folia Majoranæ, quædam multo minora, potiſſimum ſuperiora vix crenata aut rarius: valde hirſuta inferiori potiſſimum parte, pene incana, odoris gravis, ſaporis acris.

CALAMINTHA CRETICA, CALAMINTHA SECUNDA ſive MINOR.

Calamintha incana Ocimi foliis. C. B. Pin. 228. Calamintha folio & flore parvo incana. I. B. 3, 2. 230. Calamintha 2. incana. Lob. Icon. 514.

Colitur in hortis, floret æſtate & autumno.

CALA-

Iisdem gaudet viribus ac Calamintha montana præſtantior.

CALAMINTHA MONTANA PRÆSTANTIOR.

Sunt Calaminthæ magno flore C. B. Pin. folia adverſa, ſemuncia-

muncialibus pediculis nexa, ſeſcunciali longitudine, longiora enim quam in vulgari, paulo minus lata, ſubhirſuta, profunde in ambitu ſerrata, olfactu ſuaviter acri, & ſapore paulo amaró.

CALAMINTHA PRÆSTANTIOR Καλαμίνθη ὀρεινὴ ὡς καλὴ μίνθη quaſi bona mentha & utilis. CALAMENTUM MONTANUM, Edle Bergmüntz.

Calamintha magno flore. C. B. Pin. 229. Calamintha montana, flore magno, ex calyce longo. I. B. 3. 2. 229. Calamintha montana præſtantior. Lob. Icon. 512.

Viget æſtate & toto fere autumni tempore, a Junio in autumnum flores ſemenque perficit.

Calidæ & ſiccæ temperei eſt hæc planta, ut SCHWENCKFELDT docet. Digerit, mordicat, extenuat, incidit valenter craſſos humores, trahit ex alto ad circumferentiam. Menſes ciet urinam pellit, ruptis, convulſis, ægre ſpirantibus, torminibus horroribusque auxiliatur. Regium morbum expurgat, venenis reſiſtit. Theriacam debet ingredi.

CALAMINTHA PULEGII ODORE.

Sunt Calaminthæ odore Pulegii ſeu Nepetæ C. B. Pin. folia raris crenis inciſa, hirſuta, odore gravi Pulegii vel fere Siſymbrii, ſaporis acris, vegeti.

Facul-

CALAMINTHA CAMPESTRIS, NEPITELLA, NIPOTELLA, PULEGIUM SYLVESTRE. γλήχων ἄγριον, Wild Poley/ POULIOT SAUVAGE, Kornmüntz.

Calamintha pulegii odore ſeu Nepeta. C. B. Pin. 228. Calamintha flore minori odore Pulegii. I. P. 3. 2. 229. Pulegium ſylveſtre ſive Calamintha altera. Dod. Pempt. 98.

 Variis

Variis in locis occurrit, in agris ubi ſeges demeſſa eſt, vel cum requieſcunt & alibi, locis apricis ac Soli expoſitis, quibus gaudet. Æſtivis menſibus viget & floret hæc Calaminthæ ſpecies.

Facultate, ut loquitur J. BAUHINUS, & calida quoque & ſicca & hæc Calaminthæ ſpecies eſt. Eadem quæ Calamintha vulgaris flore magno præſtat. Eſt tamen hæc minus potens quam montana.

CONZA CÆRULEA ACRIS.

Sunt Conyzæ cæruleæ acris C. B Pin. folia integra, nec unquam diſſecta crenatave, lanuginoſa, inferiora quidem uncias fere duas longa; ſemunciam lata, ſuperiora ut breviora ita anguſtiora, utraque ſapore acri & aromatico, cum floribus dilutiore purpura tinctis.

CONYZOIDES CÆRULEA, ASTER CONYZOIDES, ASTER ATTICUS PURPUREUS MINOR, FLOS TINCTORIUS ALTER TRAGI. Blau Dürrwurtz/ Berufſkrauth.

Aſter arvenſis cæruleus acris. Tourn. I. R. H. cl. 14. ſ. 1. g. 1. Conyza cærulea acris. C. B. Pin. 265. Senecio ſive Erygeron cæruleus, aliis Conyza cærulea. I. B. 2. 1043. Erygeron quartum. Dod. Pempt. 641.

Floſculi æſtate prodeunt aſperis ſiccis & apricis locis, ſecus itinera, montoſis locis.

Ad

Calefacit hæc planta, docente SCHWENCKFELDT, ſiccat, digerit, diſcutit. Contra effaſcinationes a vetulis ſuperſtitioſe uſurpatur.

HYSSOPUS GRÆCORUM.

Sunt Hyſſopi græcorum Alpin. folia, origano Oniti quam ſimilia,

ſimilia, cum levi lanugine albicantia, eximie odorata, & guſtui cum valida acrimonia odorata, cum umbellis florum albis corymborum modo junctis.

Ad Clinopodium a TOURNEFORTIO refertur.
Clinopodium Creticum fruticoſum foliis lanceolatis. Tourn. Cor. I. R. H. Hyſſopus græcorum. P. Alp. 257.
In Inſula Creta ſponte naſcitur. Colitur etiam in hortis.

Planta hæc origano adeo ſimilis ut nonniſi odore & ſuaviori & validiori diſtinguatur. ALPINO legitimum Hyſſopum eſſe videtur.

Vehementer calefacit & ſiccat, tenuioris eſt eſſentiæ, incidit, extenuatque humores craſſos eosdemque detergit, unde ejus decoctum pectoris pulmonumque vitiis maxime auxilio eſt. Ad ſplenis tumores emplaſtrum ex foliis Hyſſopi ficubus & nitro maxime proficit, atque ad hydropem ventri appoſitum foliorum decoctum livorem ſub oculis in mulieribus, ſi eo pars livore affecta foveatur, digerit. Ad venena frigida eſt maximi juvamenti & foliorum decoctum & folia etiam per os aſſumpta. Indigenæ eorum locorum, in quibus Hyſſopus abundat veſcuntur familiariter foliis tenerrimis ad excitandam appetentiam.

LOTUS ODORATA.

Sunt Loti hortenſis odoræ C. B. Pin. folia Meliloti vulgaris, terna juncta, pinguiuſcula, per ambitum crenata, longiora quam latiora, ſapore acriuſculo, odorata.

Septies

LOTUS URBANA, LOTUS SATIVA, TRIFOLIUM ODORATUM, MELILOTUS CÆRULEA. Siebengezeit/ Siebenzeit / Zahmer- Stein oder Garten-Klee / wohlriechender Klee/ Wetter-

Wettter-Krauth/ Stund-Krauth /Nardes / Schabzieger-Krauth.
TREFFLE ODORIFERANT.

Eſt ſpecies Meliloti, nempe
Melilotus major odorata violacea Moris: Hiſt. Oxon. part. 2. 161. Lotus hortenſis odora, C. B. Pin. 331. Lotus ſativa odorata annua flore cæruleo. I. B. 2. 368. Trifolium odoratum alterum ſive Lotus ſativa. Dod. Pempt. 571.

Colitur in hortis floret Junio &c.

Septies in die odorem mutare herbam hanc vulgus credit, quamdiu in hortis creverit, decerptam autem perpetuo retinere, ſed imminente tempeſtate pluvioſa vehementiorem eſſe. Interponitur arida herba veſtimentis, quæ, ne a tineis rodantur, defendere putatur. Herba eſt ſale volatili copioſſimo plurimo oleo & phlegmate paucoque ſale eſſentiali ſcatens.

Calefacit, ut loquitur SCHWENCKFELDT, digerit leviter & nonnihil abſtergit. Alexipharmaca præterea eſt hæc Lotus, anodyna, diuretica, vulneraria, ad pleuritidem dyſuriam, epilepſiam & incipientem hydropem utilis Oleum in quo folia floresque odorati hujus trifolii macerata, recentia vulnera glutinare tradunt & ad puerorum enterocelas bubonocelasque plurimum commendant. Trifolium hoc in vino decoctum, melle aut ſaccharo præparatum, & epotum, emollit ac diſſolvit omnis generis apoſtemata, lenitque dolores. Summitates ex vino pleureſi & ſtranguriæ medentur & urinas provocant. Conducit etiam utero indurato. Cum hac planta vino dulci farina ſeminum Lini ſeu fœnugræci capitulisque papaveris fiunt fomentationes & cataplasmata, uteri, inteſtini recti, pudendorum tumoribus calidis aptiſſima. His adjiciunt quidam ovi luteum aut oleum commune. Cum gallis aut creta incoctum hoc trifolium & illitum manantia capitis ulcera ſanare fertur.

Cum

Cum vino coctum & ſtomacho applicatum dolores ſedat. Aceto tandem & oleo roſaceo permixtum , & admotum mitigat dolorem capitis. Aqua decoctum & oleo roſaceo mixtum cancro mederi dicitur. Oleum ex foliis & floribus paratum nervinum quoque eſt , partumque & ſecundinam promovet inunctum.

Frequentiſſime ſeritur apud Helvetios propter quoddam caſei raſilis peculiare genus, de quo DEODATUS ita loquitur. Habent & aliud caſei genus Schabziger vocatum e variis Alpinis herbis ſalutaribus & aromaticis plantis (melius ex herba & floribus hujus Meliloti odoratæ) caſeoſæ ſubſtantiæ recens intuſis , permixtis , & probe ſubactis paratum , quod cum incidendi abſtergendi attenuandique facultate polleat nec facile ventriculum lædat , ni largiore manu ingeratur , & appetitum invitet , eo quisque parca tamen manu & prima menſa , appetitus irritandi gratia uti poterit. Hunc caſeum quoque Glaronenſem multum laudat CONRADUS GESNERUS in TRACTATU DE LACTE.

MATRICARIA FLORE PLENO.

Sunt Matricariæ flore pleno C B. Pin. folia, vulgari perquam ſimilia , & multis laciniis diviſa , herbacei coloris & amari ſaporis. Eſt hæc planta matricariæ vulgari per omnia fere ſimilis, flore excepto, qui in hac confertiſſimis petalis multiplex.

Matricaria Flore Duplici , Matricaria Multiflora Herbariorum, gefült Metter/ Gefült-Mettram / gefült Magdblum.

Matri-

Matricaria flore pleno. C. B. Pin. 134. & I. B. 3. 130. Artemiſia tenuifolia. Tabern. Icon. 9.
Colitur in hortis; floret æſtate & autumno.

Vulgari Matricariæ ſicuti facie ita viribus correſpondet.

MATRICARIA ODORATA.

Sunt Matricariæ odoratioris C. B. Pin. folia, Matricariæ vulgaris foliis ſimilia, ſed odore gratiore prædita.

MATRICARIA HISPANICA, Medicis & Herbariis in Hiſpania ARGENTINA, wohlriechend Mettram/ Spaniſch Metter/ Spaniſch Magdblum.
Matricaria odoratior. C. B. Pin. 134. Matricaria odorata, I. B. 3. 130. Artemiſia tenuifolia odorata. Tab. Icon. 9.
Reperitur in Hiſpania, Colitur in hortis.

Eadem virtute gaudet ac Matricaria vulgaris.

MENTHA ODORE OCYMI.

Sunt Menthæ hortenſis verticillatæ Ocimi odore C. B P. folia primum Ocymo medio ſimilia, nonnihil hirſuta, quæ denique auctiora evadunt ex geniculis adverſa ſuaviſſimi odoris Ocymi, ſaporisque Meliſſæ.

Viribus

MENTHÆ ALIA SPECIES, MENTHA CARDIACA, MENTHA VULGATISSIMA. CRUCIATA MENTHA, MENTHA RUBRA. SISYMBRIUM HORTENSE vulgo BALSAMITA. ACINOS, OCYMASTRUM, OCYMUM SYLVESTRE, BASILICUM PARVUM vel SYLVESTRE. Balſam-Müntze/ rote Müntz-Balſam/ Hertz-Balſam/ Hertz-Müntz/ Hertz-Krauth. HERBE DU COEUR.

Mentha

Mentha hortenſis verticillata Ocymi odore. C. B. Pin. Mentha verticillata minor acuta, non criſpa, odore Ocymi, I. B. 3. 2. 216. Mentha quarta. Dod. Pempt. 95.

Colitur in hortis florens Julio & Auguſto.

Viribus convenit cum mentha criſpa: Purgationes feminarum inhibet, & præſertim adverſus album menſtruorum fluorem commendatur.

MENTHA SPICATA FOLIO LONGIORE NIGRIORI.

Sunt Menthæ ſylveſtris longioribus nigrioribus & minus incanis foliis C. B. Pin. folia oblonga, acuta, atrovirentia, hirſuta, per ambitum ſerrata, odorata.

MENTHA ROMANA vel SARRACENICA, MENTHA ODORATA ANGUSTIFOLIA, MENTHA ACUTA, MENTHA CARDIACA. Spitz-Balſam / Spitz-Müntz / Balſam-Müntz / unſer Frauen Müntz / Hertz-Balſam / Hertz-Müntz. MENTHE DE NOSTRE DAME OU MENTHE ROMAINE.

Mentha ſylveſtris longioribus nigrioribus & minus incanis foliis. C. B. Pin. 227. Mentha ſpicata folio longiore acuto glabro nigriori. I. B. 3. 2. 220. Menthaſtrum Campenſe & Zwolenſe Lobelii. Lugd. 673.

Colitur in hortis, floret æſtate.

MEN-

De uſu ita JOH. BAUHINUS differit. Guſtu eſt acris calidaque facultate prædita, ſed minus excalefacit quam Calamintha. Habet & in ſe quiddam amarum & acerbum, ſubſtantia eſt tenuium partium. Adſtringit quoque atque ſiccat DIOSCORIDI. Succus ex aceto potus ſanguinem ſiſtit, teretes ventris tineas necat, venerem ſtimulat. Terni rami cum acidi mali punici ſucco poti ſingultus, vomitiones

choleraſque ſedant. Folia cum farina hordeacea illita ſuppurationes diſcutiunt. Mammas item tenſas aut lacte turgentes compeſcit hæc herba, vulvæ ante coitum admota conceptum impedit. Cum ſale canum morſibus illinitur. Lac coire non patitur in ventriculo, ſi folia lacti immergantur. In ſumma ſtomacho utilis eſt, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Aqua ſtillatitia e tota Mentha planta puerperarum mammis cum linteolis admota lactis concretionem inhibet, animum olfactu excitat, ulcera manantia infantium capitibus mire ſanat. Odor Menthæ cerebrum roborat, memoriam confortat & auget, hæmorrhoides ſiſtit. Colicis cruciatibus confert cum Gigartis mali Punici.

MENTHA SPICATA VARIEGATA.

Sunt Menthæ ſpicatæ folio variegato C. B. Pin. folia ſubrotunda, ſerrata, tomentoſa, colorum varietate in eadem planta mire ludentia, modo tota candida, modo ex albo in herbidum languentia, alia dimidia parte alba, altera viridi, alias utroque hoc colore varie maculoſa, odore minus gravi, quam vulgare Menthaſtrum, ſapore ſativæ criſpæ, acri, non ingrato.

MENTHASTRUM CINEREUM & NIVEUM ANGLICUM.

Mentha ſpicata folio variegato. C. B. Pin. 227. Menthaſtrum ſpicatum folio criſpo rotundiore, colore partim albo, partim cinereo vel virente.

Colitur in hortis præſertim in Anglia.

PULE-

Utiliter additur fomentis, inſeſſubus, balneis, ſudatoriis &c.

&c. ubi excalefactione & reſolutione opus eſt; Viribus cæterum reſpondet cum reliquis Menthæ ſpeciebus.

PULEGIUM CERVINUM.

Sunt Pulegii anguſtifolii C. B. Pin folia Saturejæ ſimilia, nonnunquam tantillum dentata, odore efficaci vulgaris Pulegii, ſapore fervido & mordaci, cum flore verticillato purpureo.

Pulegium Angustifolium quoque audit, item Pulegium Creticum, Roſmarin-Poley.

Inter Menthæ ſpecies refertur a TOURNEFORTIO, & eſt Mentha aquatica Saturejæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 4 ſ. 2. g. 10 Pulegium anguſtifolium. C. B. Pin. 222. Pulegium Cervinum anguſtifolium. I. B. 3. 2. 257. Pulegium Maſſilioticum. Tabern. Icon. 356.

Sponte occurrit ad Rhodanum fluvium, & circa Monſpelium. Colitur in hortis, floret præprimis Julio.

Ros-

Symbolizat cum Pulegio vulgari; quoniam ſapore & odore multum præſtat, ideo viribus gratioribus, vehementioribus & probatioribus eſſe dixerunt, accipiendum imperunt Pharmacopoeis Regii & Monſpelienſes Profeſſores.

ROSMARINUS SYLVESTRIS.

Sunt Ciſti Ledi foliis Rosmarini ferrugineis C. B. Pin. folia Libanotidis coronariæ foliis fere ſimilia, ſed longiora, ſupina parte viridia adeoque in pronam partem reflexa & convoluta, ut ejus nihil conſpici poſſit, præter nervum, ſecundum folii longitudinem excurrentem, ſimili tomento, cum

 pedi-

pediculo, cui inhæret, pubeſcentem, grati & ſuavis odoris, acriuſculi tamen ſaporis.

ROSMARINUS SYLVESTRIS: LEDUM ROSMARINI FOLIO, ROSMARINUM SYLVESTRE ſive BOHEMICUM, LEDUM SYLESIACUM MAJUS. MELISSA SOLITUDINUM, CHAMÆPEUCE. Wilder Roßmarin / Schaben-Krauth / Heiden-Bien-Krauth / Hartheide / Gichtthannen / Säutannen / Grantze / Säu-Gräntze.

a TOURNEFORTIO nondum ad ſuum genus relata fuit hæc planta: a RAJO autem ad herbas pentapetalas vaſculiferas & imprimis ad Ciſtum montanum ſeu Ledum Alpinum refertur.

Ciſtus Ledon foliis Rorismarini ferrugineis. C. B. Pin. 467. Rosmarinus ſylveſtris quorundam. I. B. 2. 23. Ledum Syleſiacum. Clus. Hiſt. Chamæpeuce Cord.

Naſcitur plerisque Sileſiæ in locis, authore CLUSIO. Fruticat & viret plurimis udis & deſertis montium locis, Junio & Julio flores promens odoratos, candidos.

Ros-

Tota planta odorata eſt & aſpectu jucundo præſertim cum floribus onuſta eſt.

De uſu ita diſſerit SCHWENCKFELDT. Hæc planta aromaticum ſpirat ſaporis amariuſculi cum acrimonia conjuncti, excalefacit, ſiccat, attenuat, aperit, roborat, concoquit, reſolvit, digerit, menſes provocat, articulos roborat. Prodeſt articulorum contractionibus, ſciaticæ & aquoſis pedum tumoribus. Additur inſeſſibus ad menſes mulierum eliciendos, aliosque uteri morbos: lixivio ad inveteratos capitis dolores. Cum ſcrofularia in balneis ſcabiem ſanat, in ciſtas veſtimenta a tineis & blattis ut vindicet, reponit vulgus. Ruſtici in ſtabulis ſubſternunt jumentis & porcis adverſum eorum ſcabiem & grandinem. Cymas cereviſiæ nonnulli incoquunt ad inebriandum homines. Foliis

Apiarii

Apiarii alvearia perfricare ſolent ob odorem Apibus gratum & amicum.

Hujus oleum ſtillatitium fragrans admodum eſt, & ſtirpis florumque nativum odorem retinet.

ROSMARINUS SYLVESTRIS

Sunt Ciſti Ledi foliis Salicis anguſtifoliæ C. B. Pin. anguſta folia oblonga, temere & confuſo ordine caules veſtientia, ſuperne virentia, inferne vero caneſcentia, & Salicis pumilæ anguſtifoliæ foliis admodum ſimilia, guſtu valde exſiccante, & nullo grato odore.

ROSMARINUM SYLVESTRE MINUS MATTHIOLI, ROSMARINUS SYLVESTRIS ἄοσμος CLUSII, ROSMARINUS SYLVESTRIS MINOR CAMERARII, quippe qui a deſcripto non differre videtur, niſi cultura. LEDUM SILESIACUM MINUS. Klein wilder Roſmarin / kleine Grantze.

a TOURNEFROTO nulla ejus mentio fit, RAJUS ad pentapetalas vaſculiferas plantas & imprimis ad Ciſtum montanum ſeu Ledum Alpinum refert.

Ciſtus Ledon foliis Salicis anguſtifolia. C. B. Pin. 468. Rosmarinus ſylveſtris ἄοσμος Cluſio. I. B. 2. 24. Rosmarinus ſylveſtris minor Camerarii, Ejusd.

Eodem tempore ac Rosmarinus ſylveſtris major viget & floret in Sileſia, ſed rarius occurrit iisdem natalitiis.

ABIN-

Non admodum odorum exſiccantis & adſtringentis facultatis eſt hoc vegetabile, ſed neglecti uſus.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI OLEOSO CUM MULTO FIXO CONSTANTES.

Abſinthium inſipidum.
Abſinthium maritimum.
Abſinthium montanum.
Cannabina.
Hypericum fœtidum.
Lamium ſylvaticum fœtidum.
Marrubium Creticum.
Meliſſa Tragi.
Pſeudodictamnus.
Ruta ſylveſtris major.
Ruta ſylveſtris minor.
Scandix Italica.
Tanacetum criſpum.
Thyſſelinum.

ABSINTHIUM INSIPIDUM.

Sunt Abſinthii inſipidi abſinthio vulgari ſimilis C. B. Pin. folia vulgari Abſinthio in omnibus ſimilia, excepto quod deſtituantur omni odore & ſapore.

Ut

ABSINTHIUM DULCE, ABSINTHIUM SAPORIS EXPERS,

PERS, ABSINTHIUM FATUUM, ABSINTHIUM SPURIUM. 'Αψίνθιον ἄποιον. ungeſchmackter Wermuth / Gauch-Wermuth.

Abſinthium inſipidum, Abſinthio vulgari ſimile. C. B. P. 139. Abſinthium inſipidum. I. B. 3. 173.

Colitur in hortis, præſertim in Belgio.

Ut ſapore & odore deſtituitur, ita vix, dicente JOH. BAUHINO, ullius qualitatis calidæ, multo minus expurgatricis facultatis aliquid poſſidet. Summopere cavendum eſſe monet DODONÆUS, ne tale aliquod pro legitimo colligatur. Odor perpetuo conſulendus atque una ſapor. TABERNÆMONTANUS frigidioris atque ſiccantis naturæ eſſe autumat. Hoc loco ob cognationem tantummodo fuit recenſitum.

ABSINTHIUM MARITIMUM.

Sunt Abſinthii maritimi Lavandulæ folio C. B. Pin. tota incana lanugine pubeſcentia modo integra, & oleæ foliorum æmula, delicata, modo in duas, tres aut quatuor lacinias diviſa, odore Artemiſiæ, nec ingrato ſapore.

'Αψίνθιον θαλάσσιον, ABSINTHIUM MARINUM, ARTEMISIA MARINA, ABSINTHIUM SERIPHIUM ſeu MARINUM MATTHIOLI. Meer-Beyfuß.

Abſinthium maritimum Lavandulæ folio. C. B. Pin. 139. Abſinthium maritimum latifolium ſive Matthioli. I. B. 3. 174. Abſinthium anguſtifolium. Dod. Pempt. 26.

Provenit ſponte ad litora maris mediterranei. Colitur etiam in hortis, floret æſtate.

AB-

Calidum & ſiccum eſſe ſcribit DODONÆUS, ſed tamen haud

haud intenſe, multo certe minus, quam vel Abſinthium vel Lavendulam.

ABSINTHIUM MONTANUM.

Abſinthium Ponticum montanum C. B. Pin. vulgari ad omnia ſimile eſt, niſi quod exilius ſit, ad ſummum duorum dodrantum altitudinem attingens, amaritudo illi gratior & odor minus teter.

ABSINTHIUM MONTANUM, ABSINTHIUM COMMUNE MINUS, ABSINTHIUM VULGARE MINUS. Berg-Wermuth/ ALUYNE DE MONTAIGNE.

Abſinthium Ponticum montanum. C. B. Pin. 138. Abſinthium vulgare montanum. I. B. 173. Abſinthium montanum. Camer. Epit. 453.

Naſcitur in montoſis, pluribus in locis.

Vires easdem ac Abſinthium vulgare poſſidet, ſed ob odorem & ſaporem gratiorem eidem præfertur.

CANNABINA.

Sunt Cannabinæ aquaticæ folio tripartito diviſo C. B. P. folia tripartita, Cannabinorum vel potius Pſeudo Eupatorii æmula, profunde ſerrata, piloſa, ſubinde per ramos quoque nullo modo laciniata, gravis odoris, ſaporis amari.

Calidæ

VERBESINA AQUATICA, PSEUDO-EUPATORIUM FOEMINA, HEPATORIUM AQUATILE, TERZOLA AQUATICA, EUPATORIUM CONYZOIDES, HYDROPIPER BIDENS. Geel Ferber-Krauth/ Waſſerſtern-Krauth. EUPATOIRE FEMELLE BATARDE.

TOURNE-

TOURNEFORTIUS peculiare genus plantæ nempe Bidentem conſtituit, ad quod refert hanc plantam.

Bidens eſt plantæ genus, flore plerumque floſculoſo, plurimis ſcilicet petalis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus & calyce comprehenſis, quandoque occurrunt & ſemifloſculi; Embryo autem abit deinde in ſemen in aculeos deſinens.

Bidens folio tripartito diviſo. Cæſalp. 488. Cannabina aquatica folio tripartito diviſo. C. B. Pin. 321. Verbeſina ſive Cannabina aquatica flore minus pulchro, elatior ac magis frequens. I. B. 2. 1074. Hepatorium aquatile. Dod. Pempt. 595.

In riguis gignitur, quæ raro & nonniſi ſicciſſimis ac ferventiſſimis temporibus, aquis carent, prodit quoque intra fluviorum quorumdam late patentes alveos, plurima æſtatis parte floret & viget.

Calidæ & ſiccæ eſt naturæ, ſerpentes aliaque venenata animalia pellit, poteſt, etiam depaſcentibus ac longe lateque ſerpentibus ulceribus adhiberi, authore TRAGO.

Hyſte-

HYPERICUM FOETIDUM.

Sunt Androſæmi fœtidi, capitulis longiſſimis filamentis donatis C. B. Pin. folia, duplo hyperici majora, glabra, neutiquam pertuſa, fœtida.

Androsæmum Foetidum, Tragium Græcum. Hypericum fœtidum fruteſcens. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 4. g. 1. Androſæmum fœtidum capitulis longiſſimis filamentis donatis. C. B. Pin. 280. Ruta Hypericoides quibusdam, Sicilianæ affinis ſive Tragium. I. B. 3. 385. Tragio legitimo de'gli antichi. Pon. Bald. Ital. 88.

Secus fontes & rivulos provenit non in Creta tantum, ſed & in Sicilia & Calabria frequens. Tota planta ita hircinum virus olet, ut longius percipi poſſit; æſtate reſinam fundit, ſed pau-

cam. Perpetua fronde viret, colitur apud nos in hortis; floret æſtate.

Hyſtericis medetur.

LAMIUM SYLVATICUM FOETIDUM.

Sunt Lamii maximi ſylvatici fœtidi C. B. Pin. folia, urticæ majoris nonnihil latiora, acuminata, innocua lanugine obſita, in ambitu ſerrata, odoris, ut totius plantæ, fœtidi & ingrati admodum.

GALEOPSIS, γαλίοψις, γαλήοψις. Qui Galiopſin dicente RAJO ſcribunt per I. a florum effigie galeata deducunt, quod ejus flores velut galeæ aſpectum referant. At quoniam inuſitatum hoc græcis, præſertim veteribus, nomina Latina cum græcis componere, γαλήοψις potius per H. ſcribendum eſt, a florum figura, felis vel muſtelæ faciem & rictum quodammodo præſentante, URTICA FOETIDA MAXIMA quoque dicitur. URTICA HERACLEA, Wald-Neßel / Scharlach-Neßel / Gottes Vergeß.

Galeopſis eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius cochlearis inſtar eſt excavatum, media ampliori acuta vel obtuſa. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula infundibuliformi & quinquepartita, quæ floris calyx fuit recondita.

Galeopſis procerior fœtida ſpicata. Tourn. I. R. H. cl. 4 ſ. 2. g 4. Lamium maximum ſylvaticum fœtidum C. B. Pin. 231. Galeopſis ſive Urtica iners, magna fœtidiſſima. I. B. 3. App. 837. Urtica Herculea. Tabern. Icon. 536.

Paſſim in ſylvis provenit florens Junio, Julio & Auguſto.

Cretſcher

Hujus plantæ ſuccus cum aceto exhibitus valere dicitur ad-

adverſus hæmorrhoides, teſtante RAJO, idemque ad diſcutiendas verrucas, tumores duros, quoscunque panos &c. Quidam herbæ decoctum ejusque exſiccatæ pulverem commendat in affectibus Lienis.

MARRUBIUM CRETICUM.

Sunt Marrubii albi, anguſtifolii, peregrini C. B. Pin folia, impenſe candida, oblonga, ſerrata, nervoſa, odorata.

Cretiſcher oder Candianiſcher Andorn.

Marrubium album anguſtifolium peregrinum. C.B. Pin. 230. Marrubium album anguſtiore folio, I. B. 3. 317. Marrubium Creticum, Tabern. Icon. 539.

Colitur in hortis, floret Julio, ſponte naſcitur in Auſtria.

Juxta SCHWENCKFELDT valentius omnia perficit, quam Marrubium album ordinarium.

MELISSA TRAGI.

Sunt Meliſſæ Tragi folia Galeopſis oblonga, rugoſa, hirſuta e geniculis enata oppoſita, in ambitu ſerrata, odore parum grato.

Sunt

Μελίφυλλον, HERBA SANA AGRIPPÆ, MELISSOPHYLLUM FUCHSII, LAMIUM MONTANUM FOLIO MELISSÆ, LAMIUM PLINII QUORUMDAM.

Meliſſa humilis latifolia, maximo flore purpuraſcente. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 3. g. 3. Meliſſa. Trag. 12. Lamium montanum Meliſſæ folio, C. B. Pin. 231. Meliſſa adulterina quorumdam, amplis foliis & floribus non grati odoris, I. B. 3. 2. 233. Meliſſa Fuchſii. Lob. Icon. 515.

Meliſſa humilis latifolia maximo flore albo. Tourn. l. c. Lamium pannonicum. 1. albo flore. Clus. Hiſt. XXXVII.

Floret Majo & Junio in ſylvis editioribus.

Sunt qui pro vera utuntur Meliſſa, a qua tamen toto genere diſtat, cum neque vultus, neque Citri odor reſpondeant. De viribus autem hujus plantæ ita diſſerit TOURNEFORTIUS. Planta hæc laudatur tanquam ſecretum incomparabile in affectibus renum & veſicæ, præſertim ab iis, qui putant aut potius ſomniant dari plantas lithontripticas. Quando adeſt retentio urinæ, quæ non cauſatur a calculo, item in inflammationibus partium ad urinæ elaborationem & emiſſionem deſtinatarum excellens eſt remedium; quæ diſtinctio bene notanda.

℞. Meliſſæ Tragi, Herniariæ, ana libr. ij. conſpergantur parumper Sale & leviter humectentur aqua communi. Stent in digeſtione per tres dies, poſtmodum deſtilletur aqua, ſupra novis herbis recentibus ter cohobanda. Jam Recipe hujus aquæ & Vini albi ana ℥jv. Exhibeantur ter de die, interponendo intervallum quatuor horarum, adhibendo ſimul ſequens linimentum.

℞. Milleped. p. ij. Cantharid. Num. X. ſeminis Ammi ℈j. inſolentur in oleo olivarum per tres dies, aut leniter coquantur. Inungatur hoc oleo abdomen.

℞. Foliorum Malvæ, Meliſſæ Tragi, Herniariæ ana q. ſ. fiat decoctio in aqua communi, in decocto rurſus ligni nephritici ʒij. coquantur. Applicetur ut clyſter.

PSEUDODICTAMNUS.

Sunt Pſeudodictamni verticillati inodori C. B. Pin. folia ro-

rotundiora, minora, ſimilia Dictamno Cretenſi, obſita candidiori lanugine, guſtu ſubamaro, odore exili, non injucundo.

PSEUDODICTAMNUS quaſi Dictamnus falſus, quod foliis caneſcentibus & ſubrotundis Dictamnum Creticum referat. DICTAMNUS SPURIUS. FAUX DICTAMNE.

Pſeudo Dictamnus eſt plantæ genus, flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius fornicatum eſt, plerumque bifidum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem infundibuliformi ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula infundibuliformi, quæ floris calyx fuit, recondita.

Pseudodictamnus verticillatus inodorus. C. B. Pin. 222. Dictamnum adulterinum quibusdam verticillatum vel potius Gnaphalium veterum. I. B. 3. 2. 255. Pſeudodictamnum. Dod. Pempt. 280. ſq.

In regionibus calidioribus quibusdam ſponte provenit. Colitur alias in hortis, floret Julio & Auguſto.

Iisdem gaudet virtutibus ac Dictamnus Creticus, ſed longe remiſſius.

RUTA SYLVESTRIS MAJOR.

Sunt Rutæ ſylveſtris majoris C. B. Pin. folia Rutæ hortenſis foliis minora, multoque tenuiora, acerrimo ac viroſo odore, colore obſcurius viridi.

Ruta

RUTA SYLVESTRIS ſive AGRESTIS, RUTA SYLVESTRIS MONTANA, RUTA MONTANA, RUTA SYLVESTRIS MAJORIBUS FOLIIS, wilde Rauten / RUE SAUVAGE.

Ruta ſylveſtris major. C. B. Pin. 336. & I. B. 3. 199. Ruta ſylveſtris graveolens. Dod. Pempt. 119.

In collibus petroſis circa Monſpelium & Nemauſum provenit.

Ruta ſylveſtris acerrima eſt, quæ attactu cutem quoque vitiat, maxime faciei, ſi attingatur etiam ſolum manibus ea infectis.

RUTA SYLVESTRIS MINOR.

Sunt Rutæ ſylveſtris minoris C. B. Pin. folia, ſatis craſſa, tenuiſſime diſſecta, fervoris & virtutis Rutæ ſylveſtris majoris.

RUTA SYLVESTRIS MINORIBUS FOLIIS. RUTA SYLVESTRIS TENUIFOLIA, RUTA SYLVESTRIS MINIMA, PEGANIUM NARBONENSIUM ſive RUTULA, kleine wilde Rauten.

Ruta ſylveſtris minor. C. B, Pin. 336. & I. B. 3. 200. Ruta ſylveſtris minima. Dod. Pempt. 120.

In agris ſterilioribus non circa Monſpelium tantum, ſed per totam Narbonenſem Galliam invenitur. Siccis petroſisque & Sole aduſtis locis, ut loquitur CLUSIUS, ſponte naſcitur tum in Hiſpaniis tum alibi & floret Junio & Julio.

Tota planta graviſſimi odoris eſt, tantæque acrimoniæ, ut per triplices Chirothecas ad legentis manus penetret, & ſi quis, qua eam decerpſit manu, faciem demulceat, illico vehementem inflammationem excitat.

SCANDIX ITALICA.

Sunt Scandicis Creticæ minoris C. B. Pin. folia ad radicem ex longiuſculo pediculo tenuiſſima, Mei fere diviſura, quæ qer caules pediculi ſui vagina eos complectuntur, odorata admodum guſtus ſuaviſſimi.

Man-

Τζιλιμονίδια nomine obſcoeno vulgo vocatur, quod vulvæ purgamentum ſignificat, ANTHRISCUS CASABONÆ ANISOMARATHRUM APULUM.

Scandix Cretica minor. C. B. Pin. 152. Scandix ſemine roſtrato Italico. C. B. Prodr. 78. Pecten Veneris tenuiſſime diſſectis foliis Anthriſcus Caſabonæ. I. B. 2, 3. 2. 73. Aniſomarathrum, Col. Part. 1. 90.

Provenit in Creta lætis collibus locis ſiccis & inter ſaxa.

Manditur in acetariis vere & maxime appetitur. Venerem mirum in modum excitat & adjuvat.

TANACETUM CRISPUM.

Sunt Tanaceti foliis criſpis C. B. Pin. folia elegantiſſima, crebriore inciſura diviſa, ſegmentis frequenti argutius crenatorum marginum flexu reflexuque criſpa, criſtas caſtrenſes immitantia, odore gratiore, ſapore amaro.

TANACETUM ANGLICUM, TANACETUM CRISTATUM ANGLICUM, ARTEMISIA SATIVA ANGLICA, Engliſcher Rheinfarn.

Tanacetum foliis criſpis. C. B. Pin. 132. Tanacetum criſpum flore luteo. I. B. 3. 132. Specioſum Tanacetum criſtatum Anglicum. Lob. Icon. 749.

Colitur in hortis floret Junio & Julio.

LI-

Tanaceti hujus uſus eſt in cibis, præſertim contra vermes puerorum. In Scotia, ut teſtatur in Therapeutica puerperarum JOH. DE BON REGIUS MEDICUS IN GALLIA, Heroina lectum Tanacetum ad prohibendum abortum admovere ſolent partibus inferioribus frequenter & cum felici ſucceſſu, quod ut gravius oleat, prius manibus atterunt aut ſub cineribus paululum coquunt.

Sunt

THYSSELINUM.

Sunt folia Apii ſylveſtris lacteo ſucco turgentis C. B. Pin. Carotæ foliis ſimilia, glabra, valde inciſa, atrovirentia, lacteum liquorem, ſi rumpantur, reddentia, ſapore ingrato, mixta cum amarore acrimonia.

Vires easdem habet ac radix & reliqua Apii genera.

PLANTÆ SALE AROMATICO CUM PAUCA RESINA CONSTANTES.

Heliochryſos Tragi.
Linaria trifolia.
Nerium Alpinum glabrum.
Nerium Alpinum hirſutum.
Rosmarinus ſtoechadis facie.
Saxifraga Anglorum.
Thalictrum Canadenſe.

HELIOCHRYSOS TRAGI.

Sunt Linariæ folioſo capitulo luteo majoris C. B. Pin. folia, Linariæ vulgaris anguſtiora, ſaturatius virentia, ſapore ſubamaro & nonnihil aromatico prædita.

De

Linariæ Tertium Genus Tragi, Linaria Aurea Tragi, Linosyris, Osyris, gulden Lein-Krauth/ groß Rhein-Blumen.
a TOURNEFORTIO ad Conyzam refertur.

Conyza

Conyza Linariæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 2. g. 13. Linaria folioſo capitulo luteo major. C. B. Pin. 213. Heliochryſos Tragi, ſive Linaria tertia. I. B. 3. 151. Linoſyris nuperorum. Lob. Icon. 409.

Hinc inde provenit Auguſto & Septembri florens: in campis ſub dio verſatur, arenoſis & humectis, incultis & apricis agrorum limitibus.

De virtutibus ita diſſerit TRAGUS. Linaria, quam ego Heliochryſon nominavi, utrinque affectionibus corporis adhibetur. Intrinſecus herba cum floribus vino decocta & pota veneficia amoris & alia venena expellit, convulſis & ruptis prodeſt, nec non ad disjiciendos ſanguinis concreti grumos facit, menſes & ſecundinas evocat.

LINARIA TRIFOLIA.

Sunt Linariæ triphyllæ minoris luteæ C. B. Pin. folia ad fabæ inverſæ folia accedentia, minus tamen craſſa, ſucculenta, minime per ambitum inciſa, acetabuli inſtar concava, ſapore amaricante.

LINARIA VALENTINA, LINARIA HISPANICA FOLIO CENTAURII.

Linaria Valentina. Clus. Hiſp. 351. Linaria triphylla, minor lutea. C. B. Pin. 212. Linaria trifolia. I. B. 3. 458.

Circa Valentiam Hiſpaniæ in pratis & umbroſis Martio florentem obſervavit CLUSIUS. Colitur in hortis, floret æſtate.

LEDUM

Linariæ nomen huic inditum non a foliorum ſimilitudine, quæ non conveniunt, ſed quia ejus flores vulgari forma ſimiles, & ejusdem ferme temperamenti ſunt, nam commanducata manifeſtam acrimoniam cum quadam amaritudine conjunctam exerit ipſa planta.

NERIUM ALPINUM GLABRUM.

Sunt Ledi Alpini foliis ferrea rubigine nigricantibus C. B. Pin. folia, circa faſtigium ramulorum conferta, glabra, brevibus hærentia pediculis, Lentiſci foliis paria, nec forma diſſimili, niſi quod craſſiora, nervoſiora, authore CLUSIO, minime in ambitu hirſuta, ſuperiore parte virentia, inferiore ferruginei coloris, ſaporis adſtringentis & quodammodo reſinoſi.

Ledum Alpinum ſive Rosa Alpina Laurus Alpina, Myrtus Alpina, Balsamum Alpinum, Chamærhododendros Alpina, Chamærhododendros Montana Allobrogum, Lentiscifolia, Chamæleæfolia, Oleastrifolia. Alp-Roſen/Berg-Roſen.

TOURNEFORTIUS peculiare genus conſtituit ſub nomine Chamærhododendri.

Chamærhododendros eſt plantæ genus, flore monopetalo, tubulato & quaſi infundibuliformi, e cujus calyce ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum oblongum, in quinque loculamenta diviſum, in totidem capſulas dehiſcentem axi affixas, ſeminibusque fœtas minutiſſimis.

Chamærhododendros Alpina glabra. Tourn. I. R. H. cl. 20. ſ. 4. g. 4. Chamærhododendros montana Allobrogum Lentiſcifolia, Chamæleæfolia vel Oleaſtrifolia minus odora. Lob. Icon. 366 Ledum Alpinum foliis ferrea rubigine nigricantibus. C. B. Pin. 468. Nerium Alpinum quibusdam, aliis Ledum glabrum. I. B. 2. 21.

Reperitur in ſaxoſis & aſperis montibus Allobrogum, Alpium jugis ad devexa eorum latera. Floret Junio & Julio.

Balea-

Ledo hoc Alpino utuntur tinctores, qui montium Schneberg & aliorum vicina inhabitant, ubi provenit, ad

ad lineas penulas nigro colore inficiendus, authore CLUSIO.

NERIUM ALPINUM HIRSUTUM.

Sunt Ledi Alpini hirſuti C. B. Pin. folia, per ramorum extrema conferta, breviora quam Ledi Alpini glabri & obtuſiora, utrinque virentia, ſed virore ſaturato, per ambitum pilis longis & conſpicuis obſita, ſaporis non ingrati aromatici & nonnihil reſinoſi, cum adſtrictione quadam.

Balsamum Alpinum, Alpigena Chamærhododendros Odora, Balsamum Italicum Vulgare ſive Rhododaphne Parva Rustica, Alb-Balſam.

Chamærhoddendros Alpina villoſa. Tourn I. R. H. l. c.. Balſamum Alpinum Gesneri. Lob. Icon. 366. Ledum Alpinum hirſutum. C. B. Pin. 468. Nerium Alpinum quibusdam, aliis Ledum hirſutum. I. B. 2. 21.

Reperitur in Alpibus, floret Junio & Julio. a TOUR-

Ad eumdem uſum ac Nerium Alpinum glabrum adhibetur.

ROSMARINUS STOECADIS FACIE.

Sunt Rosmarini Stœcadis facie Alpin. folia longa, tenuia, in acutum deſinentia, ſurculis abſque petiolis inhærentia, crebra utrinque ex oppoſito poſita, in obſcurum albicantia, odorata, ſticadis maxime ſimilia, ſapore adſtringentia, aliquantum amareſcentia, cum obſcura caliditate.

a TOURNEFORTIO ad Teucrium refertur.

Teucrium fruteſcens, Stœchadis Arabicæ folio & facie. Tourn. Cor. I. R. H. Roſmarinum ſtœchadis facie. P. Alp. Exot. 103. Polio retto di Candia & forſe il fruticoſo di Dioſcoride. Pon. Bald. Ital. 156.

Cretam agnoſcit patriam.

Viribus accedit ad Stœchadem, ſed longe inefficacius agit, incidit, extenuat, detergitque craſſos humores, in roborando vero ſticadis vim ſuperat.

SAXIFRAGA ANGLORUM.

Sunt Saxifragæ Anglicæ facie Seſeli pratenſis Ger. folia glabra, obſcure viridia, in ſegmenta longiuſcula, anguſta, acuta, rigida diviſa, odoris validi & grati, ad Paſtinacam quodammodo accedentis.

Saxifraga Anglica facie Seſeli pratenſis Ger. Saxifragia Anglorum foliis fœniculi latioribus radice nigra, flore candido ſimilis Silao. I. B. 3. 170.

In pratis & paſcuis humidioribus in Anglia occurrit.

Thali-

Hujus plantæ ſuccus, decoctum, aqua deſtillata vel ſemen in pulvere efficax eſt vulgi experimento, in urina cienda, calculo atterendo & expellendo, flatibus diſcutiendis, colico dolore leniendo. Exhibetur autem tam infantibus quam adultis. Ab eximia dote in frangendo calculo Saxifragam ſcite dixerunt noſtrates inquit RAJUS Anglus.

THALICTRUM CANADENSE.

Sunt Thalictri Canadenſis Corn. folia, Aquilegiæ & ordine

ordine & figura ſimilia, colore tamen glauco diverſa, ſaporis dulcis.

Thalictrum Canadenſe, caule purpuraſcente Aquilegiæ foliis, florum ſtaminibus albis. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 6. g. 9. Thalictrum Canadenſe. Corn. 186.

Naſcitur in Canada. Colitur in hortis, floret æſtate.

Planta hæc ut & ejus radix, quæ ſubſtantiæ eſt pinguioris & viſcidioris cum pauca admodum acrimonia, glutinandis vulneribus præſens eſt remedium, ſi contuſa apponatur docente CORNUTO: ex aqua cocta ſuppurationem molitur.

PLANTÆ SALE BLANDO CUM PAUCO VOLATILI CONSTANTES.

Botrys Chamædryoides.
Chamædrys ſpuria fœmina.
Chamædrys ſpuria mas.
Galega montana.
Iva Moſchata.

BOTRYS CHAMÆDRYOIDES.

Sunt Botrys Chamædryoidis C. B. Pin. folia Botryos, ſed lanuginoſa, ſaturatiusque virentia, odore ſuavi, ſapore amaro.

Cor-

Vocatur etiam CHAMÆDRIS FOEMINA, AMBROSIA HERACLEA, CHAMÆCYPARISSUS AGRESTIS, Feld-Ambroſien Krauth.

Cha-

Chamædrys laciniatis foliis. Lob. Icon. 385. Botrys Chamædryoides. C. B. Pin. 138. Botrys verticillata. I. B. 3. 298.

Naſcitur in vineis & earum muris, calvisque apricis & editis locis, nonnunquam etiam in arvis.

Correſpondet viribus cum Chamædry ſed parum imbecillior eſt. Capitis & uteri affectibus utilis eſt. Calculum viasque urinarias expurgat. Jecoris & Lienis obſtructionibus medetur.

CHAMÆDRYS SPURIA FOEMINA.

Sunt Chamædrys ſpuriæ rotundifoliæ minoris folia, Chamædryos veræ foliis ſimilia, latiora quam Chamædryos adulterinæ maris, utrisque molliora, triſtius virentia, hirſuta, ſimiliter tamen ſerrata, ſapore amaricante prædita.

Chamædrys Vulgaris Foemina Lato Folio. Teucrium Chamædryoides.

Eſt ſpecies Veronicæ nempe

Veronica minor foliis imis rotundioribus. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 220. Chamædrys ſpuria latifolia. I. B. 3. 286. Chamædrys ſpuria minor rotundifolia. C. B. P. 249. Teucrium pratenſe & ſupinum ſpurium Chamædryoides Lob. Icon. 490.

Floret Majo in dumetis & ſylveſtribus.

Cha-

Caloris & ſiccitatis cum amaritudine participem eſſe, ac Tuſſi, incipienti hydropi, indurato lieni, ſtranguriæ, viſcerum obſtructionibus, cacochymiæ & virginum fœdis coloribus tradunt TRAGUS, LOBELIUS & DODONÆUS.

CHA-

CHAMÆDRYS SPURIA MAS.

Sunt Chamædrys ſpuriæ majoris anguſtifoliæ C. B. Pin. folia oblonga, in ambitu ſerrata.

Chamædrys Vulgaris Mas, Pseudo Chamædrys, Chamædrys Angusto Folio, Teucrium Pratense Alterum, Teucrium Alterum, Chamædrys Altera Tragi. Herba Sacra, Verbenaca Supina Foemina.

Pertinet ad Veronicam, eſt ſcilicet.

Veronica ſupina facie Teucrii pratenſis. Lob. Icon. 473. Chamædrys ſpuria anguſtifolia. I. B. 3. 285. Chamædrys ſpuria major anguſtifolia. C. B. Pin. 249.

Naſcitur pluribus locis in pratis juxta flumina, rivulos ſcrobes ac fontes, ſubinde & in nemoroſis. Junio, Julio & Auguſto cum floribus viget.

Pro Chamædri in medicamentorum compoſitionibus admittebatur, noſtro quidem, ut JOH. BAUHINUS ait, judicio non ſine errore.

GALEGA MONTANA.

Sunt folia Galegæ Dalechampii I. B. Galegæ vulgo notæ foliis quam ſimillima.

Effica-

Galega Montana vocatur etiam Orobus Sylvaticus,

a TOURNEFORTIO ad Orobum refertur.

Orobus ſylvaticus pallido flore. C. B. Pin. 351. Galega montana Dalechampii. I. B. 2. 343. Galega montana. Lugd. 1139. Orobus Pannonicus jv. Cluſ. Hiſt. CCXXXI.

Naſcitur in aſperis montibus, non in eorum quidem ſalebris aut

aut præcipitiis, ſed in ipſis culminibus, ſi qua uda planities illis occurrat.

Efficacem, (in HISTORIA PLANTARUM GENERALI LUGDUNENSIUM) eſſe dicunt contra venena, lumbricos, morbum caducum & peſtem non minus quam Galegam vulgarem, Sed vereor, inquit JOH. BAUHINUS, ne hæc imaginarie ſcribantur, & non per experientiam; quam ob cauſam nulli conſuluerim temere ea utendum.

IVA MOSCHATA.

Sunt Chamæpitys moſchatæ foliis ſerratis C. B. Pin. folia villoſa, albicantia, duas tresve uncias circiter longa, vix ſemunciam lata, odorata, & nonnihil amara.

Ἀνθυλλὶς ἑτέρα, ANTHYLLIS ALTERA, CHAMÆPITYS MONSPELIACA.

Characterem vide ſub Chamæpyti.

Eſt

Chamæpitys moſchata foliis ſerratis an prima Dioſcoridis. C. B. Pin. 249, Chamæpitys ſive Iva Moſchata Monſpelienſium. I. B. 3. 296. Chamæpitys ſpuria prior ſive Anthyllis altera. Dod. Pempt. 47.

Provenit in Languedocia circa Montempeſſulanum, locis montoſis ſabuloſis & aridis, item in olivetis & campis. Reperitur quoque in Gallia Narbonenſi, Galloprovincia & Hiſpania: floret æſtate.

ALGA.

Virtutibus convenit cum Chamæpity vulgari. Teſte PLINIO hæc Anthyllis altera in duritie vulvarum, in torminibus & in comitiali morbo cum melle & aceto ad ℥ß. bibitur. Luſitani & Granatenſes CLUSIO retulerunt, ejus decoctum ad repurgandum ſanguinem impurum propinari.

PLANTÆ

PLANTÆ SALE BLANDO FIXO CUM QUIBUSDAM TERREIS CONSTANTES.

Alga Vitriariorum.
Anagallis lutea.
Anthyllis leguminoſa.
Bellis ramoſa umbellifera.
Capnoides,
Cervicaria minor.
Cichorium ſpinoſum.
Elatine.
Eryngium Americanum fœtidum.
Hedysarum clypeatum.
Hypericum androſæmum.
Hypericum aſcyrum.
Laburnum.
Lychnis incana repens.
Oxalis montana.
Oxalis ovina.
Rubia Cynanchica.
Saxifraga Matthioli,
Valeriana græca.
Verbeſina.
Veronica fœmina.
Veronica ſaxatilis.

ALGA VITRIARIORUM.

Sunt Algæ anguſtifoliæ vitriariorum C. B. P, folia longiſſima, cubitalia & longiora, plana, lævia, mollia, fragilia, modo alba, modo rubra, vel atrovirentia; ligulas adſtrictorias æmulantia: ex iis quædam ſunt latiora, alia anguſtiora; hærent ſubſtantiæ cuidam lignoſæ, nigræ umbelliferarum plantarum inſtar comoſæ, capillamentis cinereis, quæ in fibras fatiſcentia folia vetera & decidua reliquerunt.

ALGA VULGARIS Venetorum, ALGA MARINA, ALGA, quod natanti vel ſubmerſo alligari ſoleat. FUCUS MARINUS. ALGUE.

Alga eſt plantæ genus foliis gramineis vel in longiſſima capillamenta ductis.

Alga anguſtifolia vitriariorum. C. B, Pin. 364. & I. B, 3. 782. Alga marina. Lob. Icon. 248.

Toto tractu mediterraneo ad aquas Marianas Adriatici & Occidui maris Univerſi pene littoribus nihil vilius & frequentius fluctuante alga.

Dici-

LACUNA ait eſſe inſigne remedium, & venenum lethale cimicum & pulicum adverſus eos Romæ expertum. Algam probe ſiccatam pecorum & boum hybernæ ſtabulationi reſervant. Ex eoque qui hinc conficitur, fimo, agros nimie defrugatione emaciatos & exinanitos ſtercorant, læto ſegetum proventu, tametſi Alga ipſa per ſe, ac ut eſt e mari advecta, pro pinguiſſimo lætamine ſit, non ſecus atque marga. Alium etiam uſum præſtat tenuioris fortunæ hominibus; ea enim ſiccata, tomenti loco ſuas culcitras farciunt. Quæ olim conſimiliter ipſius cognita commoditas

ditas in farciendis centonibus viridisque in caſtris locum habuit, id quod etiam ex VITRUVIO intelligitur. Cæterum Alga inſervit ad vitra exinde paranda,

ANAGALLIS LUTEA.

Sunt Anagallidis luteæ nemorum C. B. Pin. folia, erectis licet infirmis ramis adhærentia, auctiora quam nummulariæ, Anagallidi communi ſimilia, cum flore luteo.

Dicitur etiam ALSINE LUTEA, ANAGALLIS LUTEA MONTANA, ANAGALLIS LUTEA FOLIIS NUMMULARIÆ, NUMMULARIA SYLVATICA, vel MAS, ALSINE LUTEA, gelber Waldmeyer / geel Grundheyl.

Eſt ſpecies Lyſimachiæ, & quidem

Lyſimachia humifuſa, folio ſubrotundo acuminato flore luteo. Tourn. I. R. H cl. 2. ſ. 6. g. 1. Anagallis lutea nemorum C.B.Pin. 252. Anagallis lutea Nummulariæ ſimilis. I. B. 3. 370, Anagallis lutea. Lob. Icon. 466.

Floret Junio & Julio nemoribus montoſis & umbroſis conſpicua.

Vulneraria eſt hæc herba & potionibus vulnerariis additur.

ANTHYLLIS LEGUMINOSA.

Sunt Anthyllidis Lenti ſimilis Dod. folia pinnata galegæ, inferne hirſuta modiceque caneſcentia, ſuperne ex luteo vireſcentia, ſapore ſubdulci & ſubacri, quæ autem in extremis ramis floribus ſubjecta ſunt, lata exiſtunt, digitata, oblonga, membranea.

Vul-

Ἀνθυλλὶς, ANTHYLLION, ANTHICELLON PLINII, Lo-

Lotus Latifolia, Glaux Quorumdam. Vulneraria Rustica a ſanandorum vulnerum facultate, qua pollere exiſtimatur. Vulneraria Consolida. Windkrauth/ Gachheil/ geel Haſenklee/ Beruffkrauth/ Vulneraire.

Vulneraria eſt plantæ genus, flore papilionaceo, ex cujus calyce tubulato, turgidulo, ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam brevem ſemine fœtam ſubrotundo. His addendum eſt ſiliquam in veſica membranacea, quæ calyx floris fuit, recondi.

Vulneraria ruſtica. I.B. 2. 362. Loto affinis, vulneraria pratenſis. C. B. Pin. 332. Anthyllis Lenti ſimilis Dod. Pempt. 312.

In collibus apricis & pratenſibus locis naſcitur, floret Majo &c.

Vulneraria eſt ex mente plurium. Manus dealbat vi abſterſoria. Contra effaſcinationes cunis infantium imponitur anili ſuperſtitione, uti bene ratiocinatur SCHWENCKFELDT.

BELLIS RAMOSA UMBELLIFERA.

Sunt Bellidis ramoſæ umbelliferæ Corn. folia longiuſcula, pinguia, aſpera, obſcure virentia, crenaturis ambitus altiſſime laciniatis.

Nomen habet a modo creſcendi & a diſpoſitione floris.

Eſt Aſteris ſpecies juxta TOURNEFORTIUM.

Aſter ramoſus annuus Canadenſis. Mor. Bellis ramoſa umbellifera, Corn. 195. & Pluck. Almag. Bot.

In America provenit, colitur in hortis, floret æſtate.

Capnoi-

Siccæ, ut loquitur CORNUTI, eſt temperaturæ, ſed non parum caloris habet; guſtata linguam acriter pungit, eamque amaritudine inficit non ingrata, aromaticum quid præ ſe ferens, cujus odoris halitus cerebrum ferit, e quo pituitam crebra ſpuitione ſubinde per os exigit. Ut proptere-

rea

rea minus efficacem arbitrer vulneribus perſanandis quam ulceribus; his enim incredibili celeritate medetur. Sordida quæcumque expurgat, ſuccus ex melle inſtillatus, pulvis inſperſus putria exeſt, cava denique explet, ſi cruda & contuſa indatur planta.

CAPNOIDES.

Sunt fumariæ ſiliquoſæ ſempervirentis Corn. folia, cæſii lævoris, & diviſura vulgari ſimilia, amplitudine tamen majora, acris & amaræ qualitatis.

CAPNOIDES quaſi planta ad Καπνὸν ſive fumariam accedens.

Capnoides eſt plantæ genus, flore polypetalo, anomalo, fumariæ flori omnino ſimili, piſtillo, quod ſurgit e calyce, abeunte in ſiliquam longam & teretem, ex duabus valvis feneſtræ adhæreſcentibus compoſitam, & ſeminibus fœtam ſubrotundis eidem feneſtræ affixis.

Capnoides. Tourn. I. R. H. cl. 11. ſ. 1. g. 4. Fumaria ſiliquoſa ſempervirens. Corn. 58.

Colitur in hortis, floret æſtate.

RAPI

Urinam ciet, docente CORNUTI, ſimulque bilioſos humores educit. Dentibus attrita & ore contenta diutius ſalivam promovere conſuevit. Succo caliginem diſcutit, itaque in medicamenta oculorum addi poteſt, ut vulgaris.

CERVICARIA MINOR.

Sunt Campanulæ pratenſis flore conglomerato C. B. Pin. folia breviora, anguſtiora, crenata, hirſuta parum.

RAPI SYLVESTRIS TERTIUM GENUS, TRACHELIUM MINUS, CERVICARIA & UVULARIA EXIGUA, RAPUNCULUS SYLVESTRIS UMBELLATUS, TRACHELIUM MINUS PRATENSE UMBELLATUM, CERVICARIA SPHÆROCEPHALOS, klein Halßkrauth.

Campanula pratenſis flore conglomerato. C. B. Pin. 94. Trachelium minus multis. I. B. 2. 800. Cervicaria minor. Dod. Pempt. 164. Rapunculus ſylveſtris umbellatus. 2. Thal. Icon. VIII.

In agris & pratis aridioribus provenit, floret Majo & ſequentibus menſibus.

Folia ut & radix ſaporis grati primo vere acetariis poſſunt addi. Alias virtutibus convenit hæc planta cum Cervicaria.

CICHORIUM SPINOSUM.

Sunt Cichorii ſpinoſi C. B. Pin. folia Cichorii anguſtiora, ſinuata, virentia, innaſcentia caulibus glabris, in ramulos diviſis, rigidiuſculis, inconditis, multifariam divaricatis, in duras abeuntibus ſpinas, magis amara quam Cichorei vulgaris.

Vocatur ϛαμιαγάτι, h. e. HYDRIÆ SPINA, quia vulgariter in tota Creta fictilibus hydriis utuntur ad hauriendam aquam e fontibus, quas hac herba obturant, ne mures aliudve animal intus penetrare poſſit. CICHORIA SPINOSA, CHONDRILLA SPINOSA, CICHORIUM SPINOSUM CRETICUM, HERBA CRETICA.

Cichorium ſpinoſum Creticum. C. B. Prodr. 62. Cichorium ſpinoſum. C. B. Pin. 126. & I. B. 2. 1013.

In Inſula Creta, hodie Candia, multum occurrit. Colitur in hortis, floret æſtate.

Ἐλατίνη

Hujus plantæ uſus eſt in defectu Cichorei. Folia amara non

non lacteſcunt & cito pereunt etiam reliquis plantæ partibus eleganter virentibus.

ELATINE.

Sunt Elatines folio ſubrotundo aut etiam folio acuminato C. B. Pin. folia, & quidem prioris ſpeciei, Veronicæ foliis minus acuta, rotunda fere, mollia, lanuginoſa, amaricante ſapore, poſterioris vero folia Helxines Cyſſampeli ſagittæ mucronis alati forma minora quam prioris Elatines, & magis acuminata.

Ἐλατίνη, Elatine Cucullata, Veronica Foemina. Ehrenpreiß-Weiblein.

Sunt ſpecies Linariæ, nempe.

Linaria ſegetum Nummulariæ folio villoſo. Tourn. I. R. H. cl. 3. ſ. 4. g. 2. Elatine folio ſubrotundo. C. B. Pin. 252. Elatine mas folio ſubrotundo. I. B. 3. 372. Veronica fœmina Fuchſii ſive Elatine. Dod. Pempt. 42.

Linaria ſegetum Nummulariæ folio aurito & villoſo flore luteo. Tourn. l. c. Elatine folio acuminato in baſi auriculato flore luteo. C. B. Pin. 253. Elatine fœmina folio anguloſo. I. B. 3. 372. Elatines altera. Dod. Pempt. 42.

In arvis ſponte & copioſiſſime provenit, ſerius poſt mediam æſtatem floret.

Eryn-

Amaricant folia adſtringuntque ſiccitate non exaſperante; facultatibus cum veronica convenire ajunt. Succus herbæ expreſſus ejusve aqua deſtillata tum intus ſumpta tum exterius applicata ulcera ſordida & cancroſa cohibere & perfecte ſanare dicitur. Dyſentericis tumoribus fervidis prodeſt. Naſum qui abſcindere decreverant Medici perdocti complures, præceperantque ejusdem ſententiæ Chirurgis

gis exercitatis id faciendum, quidam miſellus Barbitonſor, qui de quopiam ſuo hero eximio Medico didiciſſet, diſſuaſit: huju litu & potu effecit, ut nec naſus abſcindendus foret, & ut reliquo corpori in lepram prono optime eſſet.

ERYNGIUM AMERICANUM FOETIDUM.

Deſcriptio hujus plantæ HERMANNIANA ita ſe habet. Nititur radiculis tenacibus, fibroſis pallide flaveſcentibus, caulibus ternis quaternisve viridantibus, rectis, firmis, ſtriatis, in frequentes ramos divaricatis, quibus inſident capitula oblonga, echinata herbacea, Pſyllii craſſitie, ſubtus aliquot rigidis aculeatis foliolis circumvallata: Intra echinos capitulorum abſconduntur floſculi exigui, pallidi, vix conſpicui, fatiſcentes in ſemina parva, ſuæ ſortis paria. Folia circa radicem humi procumbunt, in orbem digeſta, digiti longitudinem & latitudinem aliquando excedentia, molliora, obtuſa, in ambitu crenata, ſingulis crenis in molleculas ſpinas deſinentibus. Aſt quæ caulium geniculis per intervalla adnaſcuntur, ſunt rigidiora, mucronata & laciniata, marginibus profundius ſerratis & robuſtioribus aculeis armatis.

ERYNGIUM FOETIDUM, Surinamenſibus audit ITUBU, hoc eſt fuga ſerpentum, eo quod Eryngii hujus auram ſerpentes fugiant, nec eo loci, quo germinat, unquam reperiantur.

Eryngium Americanum fœtidum. H. L. Bat. Intubu Surinamenſibus.

HEDY-

Tota planta eſt ingrati fragrantis odoris, ad Coriandri recentioris folia accedentis. Guſtus vero acris & ſubdulcis. Ob

Ob ſalem volatilem quem obtinet reponitur ab Americanis inter alexipharmaca præſtantiſſima. In uteri vitiis tantæ, juxta HERMANNUM, efficaciæ eſt, ut ſolus odor naribus exceptus, hyſterica paſſione correptas reſtituere valeat.

HEDYSARUM CLYPEATUM.

Sunt Onobrychis ſemine clypeato aſpero majoris C. B. P. folia, glycyrrhizæ foliis quodammodo ſimilia, paulo breviora, latioraque & glabra, exceptis marginibus, brevibus pilis ornatis, ſapore nullo manifeſto, niſi tantillum adſtringente.

HEDYSARUM CLYPEATUM, HELENIUM ÆGYPTIUM quidam dixerunt.

Hedyſarum eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam articuloſam undulatam, ſemine fœtam in ſingulis articulis utplurimum reniformi. His notis addendi ſunt flores in ſpicam vel capitulum collecti.

Hedyſarum clypeatum flore ſuaviter rubente. Eyſt Onobrychis ſemine clypeato aſpero major. C. B. Pin. 350. Aſtragalus Romanus ſive Hedyſarum clypeatum ſiliqua aſpera. I. B. 2. 333. Onobrychis altera. Dod. Pempt. 549.

Provenit ſponte in montoſis Italiæ, Siciliæ. Colitur In hortis, æſtate.

Ἀνδρό-

Virtute gaudet incidente, aperitiva, detergente & vulneraria, tum interne tum externe uſurpata.

HYPERICUM ANDROSÆMUM.

Sunt Hyperici Androſæmi dicti I. B. folia lanuginoſa

adeo, ut in inferiore parte caneſcant, Aſcyri foliis proxima, quippe nervoſa, ſed longiora, & Hyperici inſtar foraminulenta cum floribus Hyperici vulgaris conſimilibus.

Ἀνδρόσαιμον, ANDROSÆMON FUCHSII, RUTA SYLVESTRIS HYPERICOIDES, RUTA SYLVESTRIS DIOSCORIDIS. HYPERICI GENUS IN DUMETIS NASCENS IRAGI, Künrath/ Cunradißkrauth. MILLEPERTUIS LARGE, TRUCHORAN LARGE.

Hypericum villoſum erectum caule rotundo Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 4. g. 1. Androſæmum hirſutum. C. B. Pin. Hypericum Androſæmum dictum. I. B. 3. 382. Androſæmum alterum hirſutum. Col. part. 1. 74.

Opacis & ſylvoſſis quibusdam oritur locis.

Folia extergunt & deſiccant, urinam & menſtrua cient.

Hæmoptoicis ex alto delapſis & viſcerum exulcerationibus ſummitates utiliter exhibentur.

Flores triti ſanguinem fundunt.

HYPERICUM ASCYRON

Sunt Hyperici Aſcyron dicti, caule quadrangulo I. B. folia, ortu & magnitudine foliis Hyperici vulgaris reſpondentia, utrunque tamen latiora & nervoſiora, nullis poris pertuſa (Lobelio tamen punctim poros pervios habet) odore illo Hyperici reſinoſo, quo & flores lutei ejus floribus pares & conſimiles præditi ſunt, ſanguineum ſuccum attritu reddentes.

Aſcy-

Ἄσκυρον, Ἀσκυροειδές, ASCYROIDES, HERBA St. JOHANNIS FOLIIS MAGNIS, St. Johanns-Krauth mit groſſen Blättern. JAUNETTE.

Hypericum Aſcyron dictum caule quadrangulo. I. B. 3. 382. Aſcyron. Dod. Pempt. 78.

Aſcyrum

Aſcyrum notiſſimum amnium & riguorum rivulorumque pratenſium amans valde, floret æſtate.

Aſcyrum haud diſparis cum Hyperico, ſed infrequentioris uſus eſt authore LOBELIO.

LABURNUM.

Sunt Anagyridis non fœtidæ majoris vel Alpinæ C.B. P. folia, ex uno tuberculo plura trifolii Aſphaltii, inferna ſubhirſuta & ex virore pallida, ſuperne glabra, ſatisque ſaturo virore tincta, pediculo hirſuto tenui teretique, longitudine varia unciali & palmari.

Ἀναγυρις ἑτέρα, ANAGYRIS ALTERA MAJOR. ANAGYRIS ALPINA, LABURNUM PLINII, ANAGYRIS MONTANA, ANAGYRIS NON FOETIDA, ANAGYRIS MINUS FOETENS, Welſch Linſen-Baum / ſchwartz Linſen-Baum / AUBOURS.

Pertinet ad Cytiſum eſt nempe

Cytiſus Alpinus latifolius flore racemoſo pendulo. Tourn. I. R.H. cl. 22. ſ. 2. g. 2. Anagyris non fœtida major vel Alpina. C.B. Pin. 391. Laburnum arbor trifolia Anagyridi ſimilis. I. B. 1. 361.

In editioribus Italiæ, & Helvetiæ locis ſponte oritur. In hortis floret Majo.

ΟΑΥΜΟΙ-

Virtute digerente atque reſolvente gaudent hæc folia. Medentur aſthmati: Menſes cient.

LYCHNIS INCANA REPENS.

Sunt Lychnidis incanæ repentis C.B. Pin. folia incana, piloſa atque carnoſa, ſaporis dulcis.

Ocymoides Lychnitis Reptante Radice, appellatur ab Herbariis Neapolitanis, Herba Lattaria, a lactis eliciendi facultate

a TOURNEFORTIO ad Myoſotidem refertur.

Myoſotis incana repens. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2 g. 10. Lychnis incana repens. C. B. Pin. 206. Ocymoides Lychnitis reptante radice. I. B. 3. 353. Ocymoides Lychnitis. Col. Phytob. App. 20.

In Italia in montibus locis humentibus petroſis provenit.

Herbariorum fœmellarumque vulgus ea ad eliciendum lac copioſum utitur atque plantam ſicuti cætera olera juſculis admixtis intus ovis diſruptis decoquunt, non ſine Piperis atque Amaraci modico, vel ut alii ſolent, in placentam efformant, cujus eſu magnam lactis copiam provenire experimento ſe habere aſſerunt. Ita diſſerit. JOH. BAUHINUS.

OXALIS MONTANA.

Sunt Acetoſæ montanæ maximæ C. B. Pin. folia ſingularia, ſeſquipalmaria, uncias tres lata & ultra, acuminata glabra, acido ſapore prædita.

Oxalis Major Broccenbergensis, Oxalis Montium, Acetosa Alpina, Acetosa Major Montana, Oxalis Sylvatica Maxima. Berg-Saueramvſſer.

Acetoſa montana maxima. C. B. Pin. 114. Oxalis ſylvatica maxima. I. B. 2 990. Oxalis major Broccenbergenſis. Thal. 82.

Plurima ad rivulos montium altiſſimorum locis herbidis.

Lapathi

Vulgari acetoſæ ſimilis eſt in virtute. Huius Oxalidis radicibus mulierculæ ignaræ imponunt, quod croceæ admodum ſint pro Rhabarbaro vulgari eas obtrudentes, ut docet THALIUS.

OXALIS

OXALIS OVINA.

Sunt Acetoſæ arvenſis lanceolatæ C. B. Pin. folia oblonga, ſemunciam aut unciam longa, ad imum auriculata, guſtu reliquorum inſtar acido.

LAPATHI ſive RUMIS GENCIUS ACETOSÆ FORMA & SAPORE SIMILE, multo tamen minus CORDI LAPATIOLUM, OXALIS MINIMA, ACETOSA LANCEOLATA MINOR, OXALIS ARVENSIS, OXALIS MINOR NOBILIOR. Schaff-Ampffer / Spieß Ampffer / klein edler Sauerampffer / OZEILLE MENUE, OZEILLE DE BREBIS.

Acetoſa arvenſis lanceolata. C. B. Pin. 124. Oxalis parva auriculata repens. I. B. 2 992. Oxalis Ovina. Taberu. Icon. 440.

Sabuloſis & incultis in locis floret Majo.

Refrigerat authore MATTHIOLO ac ſiccat, perinde ac altera acetoſa, digerit & incidit. Omnia belle poteſt quæ major nec infirmioribus pollet viribus.

RUBIA CYNANCHICA.

Sunt folia Rubiæ Cynanchicæ C. B. Pin. ad Gallii folia accedentia, ad ramulorum genicula radiata, anguſta & ſplendentia, longiora quam Gallii folia, & pauciora.

Abſter-

CYNANCHICA quod ad anginas ſumpta & admota valeat. Dicitur RUBIÆ PARVUM GENUS, ASPERGULA & RUBIÆ COGNATA. SQUINANTICA, HERBA VITÆ.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies Rubeolæ, nempe

Rubeola vulgaris, quadrifolia, lævis, floribus purpuraſcentibus. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 3. g. 2. Rubia Cynanchica. C. B. Pin 333. & I. B. 3. 723. Gallium tetraphyllon cruciatum. Colum. Part. 1, 297.

In

In ſabuletis & macris locis provenit, floret Majo & Junio.

Abſtergit hæc planta, exſiccat atque reſolvit, ad anginas utiliſſima eſt, in decocto & gargarismate ut & exterius admota,

SAXIFRAGA MATTHIOLI.

Sunt Saxifragæ Matthioli tenuifoliæ & umbelliferæ I. B. folia capillacea fœniculi modo, ſed longiora, tenuiora & rariora, cauli pariter fœniculaceo, ſed tenui ac pumilo innaſcentia, ſaporis ſubacris & ſubdulcis.

Hanc herbam utilem eſſe dicunt adverſus icterum, incipientem hydropem, ſuppreſſa menſtrua, diuturnum capitis dolorem, a pituita & frigiditate ortum: Succum foliorum in oculos inſtillatum albugines tollere & principium ſuffuſionis ac efficacius quam fœniculum id præſtare referunt.

VALERIANA GRÆCA.

Sunt Valerianæ græcæ Dod. folia foliis Valerianæ ſylveſtris ſimilia, minime dentata, atrovirentia, ſubhirſuta infra pinnatim utrimque pulchra ſerie diſpoſita, ſapore fœdo & lento.

Huic

VALERIANA ADULTERINA, licet cum Valeriana non multum commune habeat. POLEMONIUM dicitur, quoniam folia obtinet plura ita combinata, ut quaſi unicum exhibeant folium.

Peculiare plantæ genus ſub nomine Polemonii conſtituit TOURNEFORTIUS.

Eſt nempe plantæ genus flore monopetalo roſato & multifido, ex

ex cujus calyce ſurgit piſtillum mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ſubrotundam in terna loculamenta, diviſam, ſeminibus fœtam ſæpe ſæpius oblongis.

Polemonium vulgare cœruleum. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ 6. g. 6 Valeriana cœrulea. C. B. Pin. 164. Valeriana græca quorumdam colore cæruleo. I. B. 3. 2. 212. Valeriana græca. Dod. Pempt. 352.

Polemonium vulgare album. Tourn. l. c. Valeriana græca quorundam colore albo. I. B. 3. 2. 212. Valeriana alba. C. B. Pin. 164.

Colitur in hortis, floret Junio.

Huic plantæ adſcribitur vis detergens & vulneraria.

VERBESINA.

Sunt Cannabinæ aquaticæ folio non diviſo C. B. Pin. folia, ad nodos caulium bina adverſa, quatuor aut quinque uncias longa, acuta, ſerrata tantummodo, non in lacinias diviſa ſuperficie utrinque lævi, ſapore acriuſculo.

Gaudet

Verbesina a ſimilitudine foliorum cum Verbena, & Cannabina ex eadem cauſa, Eupatorium Cannabinum Foemina, Virga aurea Aquatica, Stellaria Aquatica, Consolida Aquatica, Terzolla Lutea, Tertianaria Lutea, quia utilis creditur ad tertianas. Eupatorium Conyzoides Secundum, Bidens Folio Non Dissecto. Waſſer Wundkrauth/ Kunigund-Krauth-Weible/ Waſſerſterck-Krauth mit unzertheilten Blättern.

Eſt ſpecies Bidentis & quidem

Bidens folio non diſſecto. Cæſalp. 488. Cannabina aquatica folio non diviſo C. B. Pin. 321. Verbeſina pulchriore flore luteo. I. B. 2. 1074.

2. 1074. Eupatorium Cannabinum Chryſanthemum. Tabern. Icon. 117.

In aquoſis locis ubi aqua vel fluit vel reſidet, floret Auguſto.

Gaudet virtute vulneraria, vel interius vel exterius uſurpata, præſertim in vulneribus & ulceribus pulmonum. Urinam atque menſes ciet, & venenis reſiſtit.

VERONICA FOEMINA.

Sunt Veronicæ pratenſis ſerpillifoliæ C. B. Pin. folia ſerpilli oblonga, ſubrotunda, nonnihil interdum crenata.

VERONICA FOEMINA dicitur etiam VERONICA PRATENSIS, VERONICA MINOR SERPILLIFOLIA, BETONICA ÆGINETÆ, BETONICA PAULI. Ehrenpreiß-Weiblein / VERONIQUE FEMELLE.

Veronica pratenſis Serpillifolia. C. B. Pin. 247. Veronica fœmina quibusdam aliis Betonica Pauli Serpillifolia. I. B. 3. 285. Veronica pratenſis. Dod. Pempt. 41.

In pratis ac humentibus exit, Junio & Julio floret, ac viget, reliquis anni menſibus etiam viret.

VERONICA

Eadem pollicetur, quæ Veronica mas ſed inefficacius, radix nonnihil calida & deſiccans ad ſerpilli guſtum inſipidiorem accedit LOBELIO; licet à DODONÆO ignava & nullius uſus habeatur.

VERONICA SAXATILIS.

Sunt Veronicæ Alpinæ frutescentis C. B. Pin. folia, ſerpilli foliis paulo longiora obiter ſubinde crenata, glabra, per extremum rotunda, amaricantia adſtringentia.

Tota

VERONICA MINOR ALPINA SERPILLI FOLIO, VERONICA FRUTESCENS, VERONICA SAXATILIS a loco natali.

Provenit in Schneeberg & alpeſtribus Stiriæ jugis ubi Junio floret.

Veronica Alpina fruteſcens. C. B. Pin. 247. Veronica ſaxatilis. I. B. 3. 284. Veronica iij. fruticans. Clus. Hiſt. 347.

AURI-

Tota planta & ſemen guſtu adſtringente deprehenditur, nulla percepta acredine aut mordacitate : unde in fluxibus, & in quibus adſtringere ſine caliditate eſt , aptum eſſe medicamentum judicavit olim PONA.

LANTÆ SALE AROMATICO
OLEOSO PENETRANTISSIMO CUM ACIDO VOLATILI CONSTANTES.

Ariſarum.
Auricula muris Camerarii.
Cakile.
Eruca ſylveſtris.
Salvia ſylveſtris.
Scordotis.
Scorodopraſum.

ARISARUM.

Sunt Ariſari latifolii C. B. Pin. folia Hederæ aut Smilacis fere foliis ſimilia, tria aut quatuor in planta, viridia, mollia, ſatis tamen carnoſa, acris ſaporis , oblongo pediculo innixa anteriore parte , qua pediculo adhærent utrinque

pinnata, Ari foliorum inſtar, ſed obtuſioribus & quaſi orbiculatis angulis.

Ariſari herba, authore DIOSCORIDE, longe majoris eſt acrimoniæ quam Ari: unde impoſita nomas ſiſtit. Collyria item ex ipſa fiunt ad fiſtulas. Corrumpit eadem indita cujusvis animalis pudendum. Medetur utraque ulceribus manantibus. Item ambuſtis ac fiſtulis. Nomas ſiſtunt decocta folia in aqua & poſtea trita roſaceo addito.

AURICULA MURIS
CAMERARII.

Sunt Loto affinis plantæ, ſiliquis hirſutis circinatis C. B. Pin. folia, alternatim ex caulibus exeuntia, mediocriter craſſa, rigidiuſcula, tactu aſpera & piloſa, ſaporis aliquantum fervidi.

AURICULA MURIS a ſemine & AURICULA LEPORIS a foliorum figura appellatur.

Eſt ſpecies Medicaginis juxta TOURNEFORTIUM, Nempe

Medicago Vulnerariæ facie Hiſpanica. Tourn. I. R. H. cl. 10. ſ. 4. g. 7. Loto affinis ſiliquis hirſutis circinatis. C. B. Pin. 333. Auricula muris Camer. I. B. 2. 387.

CAKILE

Saporem nonnihil fervidum habet, ſiquidem CAMERARIO credendum, ac diutius commanducata ſalivam prolicit. Liquor ſtillatitius dulcis eſt primo guſtu, poſtea vero nonnihil linguam vellicat, forte putridis ulceribus, ſi quis periculum faciat, non incommodus.

CAKILE.

CAKILE.

Sunt Cakiles quibusdam, aliis Erucæ marinæ & Raphani marini I. B. folia, reſedæ minora, pinguiora, guſtu acri ſubſalſo.

Cakile Serapionis, Eruca Marina, quod ſapore Erucam æmuletur, & nonniſi in maritimis naſcatur. Raphanus Marinus propter odorem, ſaporem & acrimoniam.

Cakile eſt plantæ genus, flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum haſtæ cuſpidi ſimilem, ex duabus partibus conſtantem, articulatione quadam conjunctis, & ſemine fœtis ſingulari plerumque oblongo.

Cakile maritima anguſtiore folio. Tourn. Cor. I. R. H. 49. Cakile quibusdam, aliis Eruca marina & Raphanus marinus, I. B. 2. 867.

Sponte apud mare occurrit. In hortis floret æſtate.

MYCONIUS frequenti ſe experimento obſervaſſe & compertum habere ſcribit, àquam hujus Cakiles ſtillatitiam tepidam, quatuor unciarum pondere mane potam, colicis doloribus nephriticus & calculoſis mire conferre.

ERUCA SYLVESTRIS.

Sunt Erucæ tenuifoliæ perennis flore luteo I. B. 2. 861. folia, crebris inciſuris. Dentis Leonis aut argutioribus Hieracii minoris diviſa, alias Naſturtii, cujus etiam folia colore atrovirente & glabro imitantur, ſapore magis fervido ſativæ.

Cale-

Ἔυζωμον ἄγριον, wilde Rauten/ wilder Senff/ Petite Roquette, Roquette Sauvage.

Paſſim provenit circa muros & in muris ac ruderibus.

Calefacit, ſiccat, attenuat, aperit, incidit, extrahit, extergit, provocat, valentius tamen agere dicitur quam ſativa. Cocta & devorata infantium tuſſi medetur addito ſaccharo. Proditum adhæc tria ſylveſtris Erucæ folia, ſiniſtra manu decerpta, illicoque devorata, auriginoſos ſanare, quo nolim, inquit BAUHINUS, uti remedio, quia ſuperſtitioſum & vanum exiſtimo. Sylveſtris Erucæ ſemine, tradit DIOSCORIDES, Iberiæ incolas, maxime, qui Occidentem ſpectent, pro ſinapi uti; eſſe porro quam ſativa, ad movendam urinam hanc plantam efficacionem & multo acriorem.

SALVIA SYLVESTRIS.

Sunt Scordii alteri ſive Salviæ ſylveſtris C. B. Pin. folia Salviæ vel Betonicæ niſi acutiora eſſent, ad Urticam quodammodo accedentia, rugoſa, atro virentia, ſcabra, ſqualidaque piloſa, per ambitum ſerrata, ſapore amaro.

SALVIA SYLVESTRIS vocatur a foliorum ſimilitudine, dicitur etiam SCORODONIA, SCORODOTIS, SCORDIUM ALTERUM ob odorem, SCORDIUM MONTANUM, SALVIA AGRESTIS. Wild Salbey/ Alpen-Krauth.

Eſt ſpecies Chamædrys, nempe

Chamædrys fruticoſa ſylveſtris Meliſſæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 4 g 1. Scordium alterum ſive Salvia ſylveſtris, C. B. Pin. 247. Scordotis ſive Scordium folio ſalviæ. J. B. 3. 293. Salvia agreſtis ſive ſphacelus. Dod. Pempt. 291.

Raro extra ſylvas & dumeta ſeu fruteta invenitur, Floret Junio.

Vocatur

Viribus cum Scordio convenit, &, GESNERI judicio, ad

ad remedia Scordio præferenda ėrit. HILDANUS mire laudat in ulceribus gangrænoſis & duplicata doſi Scordio ſubſtituit. Decoctum hujus plantæ urinam & menſes ciet, in Lue Venerea utiliter exhibetur: Vulneraria eſt è præcipuis, ſive interius ſumpta in potionibus, ſive exterius applicata.

SCORDOTIS.

Sunt Scordotis Alpin. folia marrubii aut Menthaſtri craſſa, tomentoſa, albicantia, allii odorem reſpirantia, fervidi guſtus.

Vocatur ita a viribus & ſimilitudine, ab odore dicitur SCORDIUM ALTERUM PLINII.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies Catariæ.

Cataria Cretica humilis, ſcordioides. Tourn. Cor. I. R. H. Scordium alterum lanuginoſius verticillatum. C. B. Pin. 248. Scordote primo legitimo di Plinio. Pon. Bald. Ital. 90, Scordotis. P. Alp Exot. 283.

Naſcitur in Creta.

RANUN-

Tota planta calida eſt & ſicca facultate, ut loquitur ALPINUS, cum levi adſtrictione acris & ſubamareſcens; unde detergit, aperit & roborat. Ad ſerpentum morſus ictusque herba ex vino pota & illita prodeſſe dicitur. Ad facilem excreationem atque ad tuſſim commendatur mixto naſturtio. Succus ſtomachum roborat. Ventrem ſiſtit Scordotis recentis drachma & vino trita vel decocta pota: purgat item ulcera cum melle. Movet efficaciter menſes & ſudorem potu.

SCORODOPRASUN.

Sunt Scorodopraſi dicti JOH. BAUHIN. folia porracea longa & lata ſaporis inter allium & porrum medii, ſed remiſſioris.

Olerum modo jam olim, teſtante DIOSCORIDE, in cibi uſum venire ac velut Porrum coqui poteſt hæc herba. Virtute cæterum cum radice coincidit.

PLANTÆ SALE VOLATILI AGRI CONSTANTES ABSQUE OLEO VOLATILI.

Apium Riſus.
Draba.
Erucago.
Gingidium.
Heliotropium ſupinum.
Helleborine.
Herba alba.
Heſperis.
Lunaria biſcutata.
Naſturtium verrucoſum.
Pimpinella Saxifraga minor.
Platanus.
Rapiſtrum monoſpermon.
Split.

APIUM RISUS.

Sunt Ranunculi paluſtris Apii folio lævis C. B. Pin. folia paludapii, ſubluſtri ſplendore vireſcentia, albis punctis aliquando guttata, ſaporis valde calidi & urentis.

RANUNCULI PALUSTRIS I. ſpecies ῥυσέλινον σέλινον ὑδάτιον APIASTELLUM, APIASTRUM, APIUM RISUS quoniam nervorum contractionem producendo ridentes quaſi homines ſiſtat. HERBA SCELERATA, quoniam funeſta ſymptomata excitat comedentibus. APIUM HÆMORRHOIDUM. HERBA STRUMEA quoniam ſtrumas diſcutit. SARDOA vel SARDONIA HERBA, Waſſer-Hahnenfuß/ Froſch-Pfeffer / Feig-Blattern/ Eppich/ GRENOUILLETTE AQUATIQUE, GRENOUILLETTE D'EAU.

Eſt ſpecies Ranunculi, nempe Ranunculus paluſtris Apii folio lævis. C. B. Pin. 180. Ranunculus paluſtris flore minimo. I. B. 3. 846. Ranunculus ſylveſtris. I. Dod. Pempt. 426.

Humidis & uliginoſis locis delectatur; non raro ad ſcrobes & foſſas aquas habentes occurrit.

Ἀραβὶς

Siccat & calefacit, ut loquitur SCHWENCKFELDT, univerſa herba, ſed interne non debet uſurpari.

Herba ungues ſcabros eximit, ſcabiem detrahit & ſtigmata delet. Herba in oleo violaceo macerata cruſtis excitandis & hæmorrhoidibus reſerandis aptiſſima.

DRABA.

Sunt Drabæ umbellatæ C. B. Pin. folia alternatim poſita, oblonga, unciam & ſeſunciam lata, ſinuata, ex viridi cineracea, ſaporis acris inſtar Naſturtii.

Sale

Ἄραβις, Ἀράβη, & Δράβη, ARABIS ſive DRABA nonnullis, NASTURTIUM BABYLONICUM & ORIENTALE, Türckiſch Kres/ DRAVE.

a TOURNEFORTIO ad Lepidium refertur, & vocatur

Lepidium humile incanum arvenſe. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 2. g. 5. Draba umbellata, vel Draba major capitulis donata. C. B. Pin 109. Draba multis flore albo. I. B. 2. 939. Arabis ſive Draba & Naſturtium Babylonicum. Lob. Icon. 224.

Reperitur ad agrorum margines in Germania, Gallia & Italia. Floret Majo & Junio.

Sale gaudet acri volatili; incidit ſiccat & calefacit intenſe. Incoquitur, ut docet KOENIG, Draba ptiſanæ ad phlegmata ſiccanda & abſtergenda.

ERUCAGO.

Sunt folia Sinapi Echinati J. B. longa anguſta, utrimque ad mediam usque coſtam inciſa, Cichorei ſylveſtris foliorum modo, in triangularia nimirum ſegmenta, quorum baſis coſtæ adnaſcitur. Bina autem adverſa, ſi mutuo occurrunt & coaptantur & figuram rhomboidem efficiunt.

Planta

ERUCAGO quaſi planta ad Erucam accedens.

Eſt planta flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, clavæ cujusdam tetragonæ & criſtatæ æmulum, in quaterna plerumque loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum utplurimum ſubrotundis & roſtratis.

Erucago ſegetum. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 7. g. 1. Eruca Monſpeliaca, ſiliqua quadrangula echinata. C. B. Pin. 99. Sinapi echinatum. Lugd. 647. & I. B. 2. 858.

In ſegetibus circa Monſpelium occurrit; floret Martio, Aprili & etiam Septembri.

GINGI-

Planta hæc, quæ acrimonia non caret, incidit, attenuat, conducit in catarrhis pituitoſis, ſternutationem ciet.

GINGIDIUM.

Sunt Gingidii umbella oblonga C. B. Pin. folia, paſtinacæ erraticæ ſimilia, lævia, portionibus diviſionis majora, ſaporis acriuſculi.

GINGIDIUM, in Hiſpania dicitur VISNAGA, BISNAGA, CERÆFOLIUM HERBARIORUM HISPANICUM, Syriſch Körbel-Krauth / Zahnſticher-Krauth.

Refertur a TOURNEFORTIO ad fœniculum: eſt nempe

Fœniculum annuum, umbella contracta, oblonga. Tourn. I. R. R. cl. 7. ſ. 2. g. 1. Gingidium umbella oblonga. C. B. Pin. 151. Visnaga. I. B. 3. 2. 31. Gingidium alterum. Dod. Pempt. 702.

In Turcia, Hiſpania, Languedocia, Italia, ſponte provenit, colitur in hortis.

Planta eſt quæ gaudet vi aperitiva; ſabulum, calculum atque urinam pellit; menſesque ciet. Sunt qui iisdem viribus præditam eſſe volunt, quibus pollet Paſtinaca.

HELIOTROPIUM SUPINUM.

Sunt Heliotropii minoris ſupini C. B. Pin. folia heliotropii majoris, dimidio minora, incana, piloſa, nervoſa.

Ut

HELIOTROPIUM SUPINUM dicitur etiam HELIOTROPIUM REPENS, HELIOTROPIUM MINUS.

Heliotropium minus ſupinum. C. B. Pin. Heliotropium minus quorumdam ſive ſupinum. I. B. 3. 605. Heliotropium ſupinum. Dod. Pempt. 70.

Occurrit ſponte naſcens in Hiſpania, item in quibusdam Monſpeliacæ ſylvæ paludoſis ſcrobibus.

Ut ejusdem cum Heliotropio majore eſt temperamenti, ita iisdem etiam viribus pollere veriſimile eſt, inquit CLUSIUS.

HELLEBORINE.

Sunt folia Helleborines latifoliæ montanæ C. B. Pin. Hellebori albi inſtar nervoſa, ſed multis numeris minora, & vix ad foliorum Polygonati magnitudinem pertingentia, ſapore amaro.

Deob-

HELLEBORINE dicitur a foliorum ſimilitudine cum Helleboro albo ἑλλεβορίνη ELLEBORINE, DAMASONIUM, EPIPACTIS, Ἐπιπακτὶς Ἄλισμα, wild Nieſzwurtz / Cimbel-Blümlein/ ELLEBORINE.

Eſt plantæ genus flore polypetalo anomalo, ſex petalis diſſimilibus conſtante, quorum quinque in orbem poſita ſunt, inferius vero imbricatum. Calyx autem deinde abit in fructum ſeu utriculum tribus feneſtris pervium, quibus adhæreſcunt valvæ ſeminibus fœtæ minutiſſimis, ad inſtar ſcobis. His notis addendæ ſunt radices fibratæ.

Helleborine latifolia monata. C. B. Pin. 186. Elleborine Dodonæi. I B. 3. 516. Helleborine. Dod. Pempt. 384.

Helleborine flore albo vel Damaſonium montanum latifolium. C. B. Pin. 187. Damaſonium Alpinum ſive Elleborine floribus albis. I. B. 3. 516. Helleborine albo flore. Tabern. Icon. 724.

Helleborine montana anguſtifolia purpuraſcens. C. B. Pin. 187. Damaſonium purpureum dilutum ſive Elleborine jv. Cluſii. I. B. 516. Helleborine recentiorum vj. Clus. Hiſt. 273.

Helleborine anguſtifolia paluſtris ſive pratenſis. C. B. Pin. 187. Damaſonium flore herbaceo intus nonnihil candicante. I. B. 3. 517. Elleborine recentiorum iij. Clus. Hiſt. 273.

In

In montibus, umbroſis, nemoroſis locis priores ſpecies occurrunt, poſterior vero in pratis uliginoſis reperitur, floret æſtate citius ſeriusve.

Deobſtruit hæc planta & a viſcoſitatibus glandulas expedit. Virtute quoque gaudet vulneraria. Jecinoris vitiis utilis exiſtit, & contra venena pollet.

℞. Fol. Hellebor. man. ij. Scabios. Agrimon. Cichor. Capill. Vener. ana mj. Cort. rad. Capp. ℥ß. Rad. Ruſc. Apii, polypod. ana ʒj. Mſc. macerentur in aceti q. ſ. poſtea decoquantur. Aſſumatur per plures dies hauſtus in hydrope Anaſarca.

HERBA ALBA.

Sunt Abſinthii Seriphii montani candidi C. B. Pin. folia lignoſis ramis tomento denſo & albido pubeſcentibus, mollitie delicata, innaſcentia, tomentoſa & albicantia, odore & ſapore abſinthium marimum referentia, ſed tamen aliquando ſuaviora ad caphuræ odorem accedentia.

ABSINTHIUM SERIPHIUM FOEMINA, vel MEDITERRANEUM, HERBA ALBA ab Helvetiis appellatur.

Abſinthium Seriphium montanum candidum, C. B. Pin. 139. Abſinthium Valleſianum tenuifolium candidum ſive Herba alba. I. B. 3. 179. Abſinthii ſpurii ſeu externi ſpecies. 1. Dod. Pempt. 26.

In Valleſia Helvetiorum regione in collibus apricis, circa Sedunum naſcitur, floret Autumno.

HESPE-

Facultate Herba alba, ut DODONÆUS refert, caloris & ſiccitatis cujusdam exiguæ particeps eſt.

HESPERIS.

Sunt Heſperidis hortenſis flore purpureo & candido C. B. Pin. folia Erucæ, ſed non ita laciniata, in ambitu ſerrata, acuminata, hirſuta, in virore nigricantia, ſapore acria & calida.

Vim

HESPERIS vocatur, quoniam flos ejus ſub veſperam præſertim grato odore veniat, interdiu aut nullum aut leviſſimum ſpiret. VIOLA dicitur quoniam Leucojo, quod etiam viola audit, ſimilis. MATRONALIS autem VIOLA dicitur, quoniam vel primum a matronis culta fuerit hæc planta, vel quod matronis atque virginibus ſit in deliciis. Appellatur quoque VIOLA DAMASCENA. Winter Violen / groſſe Violen / JULIANE, JULIENNE.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam longam, teretem, cylindraceam ſepto intermedio, cui valvæ imbricatæ utrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſam, ſeminibusque fœtam oblongis quaſi cylindraceis aut globoſis, quæ veluti nidulantur in ſcrobiculis ſepti inmedii. Heſperis differt a Leucojo ſiliquis cylindraceis ſeminibusque turgeſcentibus non marginatis, quæ in ſepti intermedii ſcrobiculis veluti nidulantur.

Heſperis hortenſis flore purpureo. C. B. Pin. 202. Heſperis flore purpureo. I. B. 2. 877. Viola hyemalis purpurea. Tabern. Icon. 308. JULIANE SIMPLE.

Heſperis hortenſis flore candido C. B. Pin. 202. Heſperis flore albo. I. B. 2. 877. Viola hyemalis flore albo. Tabern Icon. 308.

Heſperis flore pleno albo. H. R. Par. Viola matronalis flore multiplici. Corn. 210. JULIANE DOUBLE BLANCHE.

Heſperis flore purpureo pleno. H R. Par. JULIANE DOUBLE PURPURINE.

Sponte provenit hæc planta in Sequanorum vallibus, qua Rhenus

nus fluit ſub ſepibus, ut loquitur JO. BAUHINUS. In hortis Heſperides ubique coluntur: Florent Majo & Junio.

Vim, juxta KOENIG, habet Heſperis, ex partium ſuarum tenuitate & odore ſulphureo, urinas & ſudores ciendi, incidendi, abſtergendi, detergendi, digerendi, cujus obhinc ratione difficulter ſpirantibus mederi traditur, antiſcorbuticum eſſe creditur remedium non minus ac Eruca, cui ut ſapore ita facultate proxima videtur.

LUNARIA BISCUTATA.

Sunt Lunariæ biſcutatæ I. B. folia ex radice mediocriter craſſa exorta, per terram ſparſa, palmum longa, & breviora, paulo ſemuncia latiora, ſinuata, aſpera hirſuta, craſſiuſcula.

Plantæ

THLASPI PARVUM HIERACIFOLIUM, THLASPI BISCUTATUM. THLASPI BISULCATUM, LUNARIA BISULCATA, LUNARIA BISCUTATA. THLASPIDIUM a ſimilitudine.

TOURNEFORTIUS peculiare genus plantæ ſub nomine Thlaspidii conſtituit.

Thlaspidium eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum quaſi gemellum, planum ex duabus partibus compoſitum, ſepto intermedio diſtinctis: quæ ſingulæ ſemine turgeſcunt utplurimum oblongo & compreſſo.

Thlaspidium Monſpelienſe Hieracii folio hirſuto. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 2. g. 3. Thlaſpi biſcutatum aſperum Hieracifolium & majus. C. B. Pin. 107. Lunaria biſcutata. I. B. 2. 935. Thlaſpi parvum Hieracifolium ſive Lunaria lutea Monſpelienſium, & Leucojum luteum marinum, & Biſcutella. Lob. Icon. 214.

Sponte provenit in Italia, Sicilia & Gallia, præſertim in Lan-

 guedo-

guedocia & circa Monſpelium. Colitur in hortis, floret Junio & Julio.

Planta hæc detergit, exſiccat, attenuat atque aperit, menſes & ſecundinas pellit. Adhibetur in decocto.

NASTURTIUM VERRUCOSUM.

Sunt Ambroſiæ campeſtris repentis I. B. folia laciniata, cæſura foliorum Naſturtii, nec ita diſſimili, aut odore aut ſapore.

Vocatur etiam NASTURTIUM VERRUCARIUM, CORONOPUS REPENS RUELLII, CORNU CERVI ALTERUM VULGI, PES MILVINUS COLUMELLÆ, CORONOPUS ARVENSIS, kriechender Kräuhen-Fuß / Feldhirtz-Horn / Ackerhirtz-Horn / Wartzen-Kreß.

Eſt
Naſturtium ſylveſtre capſulis criſtatis. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 2. g. 2.
Ambroſia campeſtris repens. C. B. Pin. Coronopus Ruellii ſive Naſturtium verrucoſum. I. B. 2. 919. Cornu Cervi alterum repens. Dod. Pempt. 110.

Viget æſtate in uliginoſis, floret Junio.

RAPISTRUM

Viribus ad Naſturtium hortenſe accedit hæc planta, mitior tamen eſt & minus calida. Cruda, inquit RUELLIUS, eſtur in acetariis & cocta & cum aceto manditur. Portulacæ etiam modo ſale condita apud nonnullos ſervatur.

PIMPINELLA SAXIFRAGA MINOR.

Sunt folia Pimpinellæ Saxifragæ minoris C. B. Pin. ſanguiſorbæ

guiſorbæ foliis proxima, fere ſemper tripartita, in ambitu ſerrata, glabra, ſapore acri.

Herba iisdem fere virtutibus ac radix gaudet. Sunt qui laudant ad ſordida ulcera detergenda.

PLATANUS.

Sunt Platani C. B. P. folia magna, lata, dura & robuſta dodrantali plerumque quoquoverſus amplitudine, ſesquiunciali pediculo aut longiore ſurculis, adnata, in quinas aut ſenas partes inſtar palmæ humanæ diviſa, aceri ſimilia, niſi ſingulæ eorum fibræ in plures partes utrimque diſſectæ eſſent.

Tenerrima Platani folia, ut DIOSCORIDES ſcribit, in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones ſiſtunt, ac tum œdemata tum phlegmonas levant. Decoctum foliorum illinitur collectionibus & ſuppurationibus. Folia manſa jejunis impetigini auxilio eſſe quidam tradunt. Veſpertiliones, ſcribente ÆLIANO, Ciconiarum ovis ingenita natura adeo infeſtæ ſunt, ut ea ſolo tactu ſterilia reddant. Verum ad illarum maleficium, naturalis etiam ingenita ſcientia remedium edocuit. Platani enim folia ſuis nidis ingerunt, ut advolantes veſpertiliones perniciem adferre nequeant. Scribunt & alii hoc genus animalis a ſtabulis abigi, ſi in eis folia Platani appendantur.

RAPISTRUM MONOSPERMON.

Sunt Rapiſtri monoſpermi. C. B. Pin. folia humi ſparſa, craſſa, Rapi foliis ſimilia, ad principium laciniata, dein ſubrotunda, leviter ſinuata & ſubhirſuta.

Planta

RAPISTRUM dicitur quaſi planta ad Rapam accedens.

Eſt plantæ genus flore cruciformi quatuor ſcilicet petalis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam fere globoſam, unicapſularem, ſemine fœtam utplurimum ſingulari.

Rapiſtrum monoſpermon. C. B. Pin. 95. & Prodr. 37. & I. B. 2, 845.

Hinc inde in agris reperitur.

Planta eſt aperiens atque deobſtruens, conducit in menſium ſuppreſſione ſi bibatur. Virtute quoque gaudet vulneraria. Eædem virtutes adſcribuntur ſemini.

SPLIT.

Sunt fumariæ luteæ C. B. Pin. folia, radicis cavæ vel Adianthi, ſed minora multo, molicella, glauca, potiſſimum parte inferiore, ſapore inſigniter acri, & fauces vellicante, pauco adjuncto amarore.

FUMARIA MONTANA, quæ ab Illyriis SPLET vel SPLIT appellatur, CHELIDONIA PHRAGMITES ÆTII; CORYDALIS GALENI.

Fumaria lutea. C. B. Pin. 143. Fumaria, quæ Splith dicitur. I. B. 3. 203.

Provenit in collibus cultis & Agris Apuliæ, & Calabriæ, alibi etiam in Italia & Illyria.

Ἀιθίοπις,

De hac herba GASSERUS in obſervationibus ab HIERONIM. WELSCHIO editis hæc habet. Cum in Italia ſtudiorum gratia verſarer, in magno uſu & fama erat herba, quam Split in Sclavonia, Venetiis autem herbam Sclavonicam vocabant, amara & foliis rutam fere æmulantibus, quæ cauſa eſt, ut quibusdam illius genus, aut Harmel Arabum vide-

videretur. Hæc copioſe nata in finibus Bosniæ circa Caſtrum dictum Bosmaprin mire laudabatur ad varios affectus, Podagram Arthritidem, Iſchiadem, nervorum affectus ſpaſmum, Paralyſin, Epilepſiam, Apoplexiam & ſimiles. Quod cum GEORGIO LAUBIO Med. Auguſt. literis ſignificaſſem hoc modo reſpondit. Mitto tibi pro Ἀντιδώρω, quæ habeo de herba Split ex VENCESLAO LAVINIO Moravo homine literato. Eſt ſpecies Fumariæ ſeu Corydalis. Invenitur in montibus Bosniæ inter ſaxa, folio, ſapore & flore Fumariam referens. Semen habet in ſiliquis. Eſt ſemper viridis pluresque radices agit inter ſe commixtas: poſſet fumaria Alpina nominari. Uſus ejus in omnibus nervorum affectibus frigidis; cerebrum confortat, leniter purgat, urinam movet, oppilationes meſenterii aperit & hepatis.

PLANTÆ SALIBUS FIXIS SEU AMARIS CONSTANTES CUM PAUCO VOLATILI SALE.

Æthiopis.
Bupleurum.
Cannabis Sylveſtris.
Caſſida.
Centaurium luteum.
Conyza cœrulea.
Cotyledon aquatica.
Cyanus arboreſcens.
Elichryſum foliis abrotani.
Euphraſia rubra.

Fabago.
Gentianella Hippion.
Holoſteum Caryophyllæum.
Hyoſeris.
Hyppochoeris.
Jacobæa marina ſive Cineraria.
Kali.
Linaria Bellidis folio.
Linaria Belvidere.
Pandi Pavel.
Panax Coſtinum.
Salicornia.
Samolus.
Scorpioides.
Stoebe Salmantica.

ÆTHIOPIS.

Sunt folia Æthiopis foliis ſinuoſis C. B. P. per terram primo ſparſa, palmo latiora, haud multo longiora, tenera, lanugine ceu carpta ſupra infraque ubertim obducta, alioqui Sclareæ non multum diſſimilia, ſinuoſa, quædam etiam laciniata, alias integra, & ad margines æqualia, odoris non admodum grati.

Planta

Αἰθίοπις, quoniam in Æthiopia in copia creſcit. COTONARIA quorumdam quoniam lanugine Goſſypina tegitur. PHLOMITIS, Mohren-Krauth / frembder Wullich.

Eſt

Eſt ſpecies Sclareæ, nempe
Sclarea vulgaris lanuginoſa ampliſſimo folio. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 1. g. 3. Æthiopis foliis ſinuoſis. C. B. Pin. 241. Æthiopis multis. I. B. 3. 315. Æthiopis. Dod. Pempt. 148.

Sponte naſcitur in Æthiopia ut & Græcia; Colitur in hortis, floret Majo & Junio.

Planta eſt vulneraria. Auxiliatur purulentis & ſanguinolentis excreationibus, decocta & pota. Prodeſt in pleuritide & laudatur ad malum Iſchiadicum.

BUPLEURUM.

Sunt Bupleuri vulgatiſſimi C. B. Pin. folia longiuſcula, ſtricta, nervis ſecundum longitudinem pluribus donata, vel ſunt Bupleuri folio rigido C. B. P folia craſſiora, rigidiora, nervoſiora, modice in acumen deſinentia, introque flexis oris concavam carinam aut potius leporinam ſurrectam auriculam referentia, ſaporis ſubacris, aliquantulum amari, & ſalivam provocantis.

Folia

Bupleurum quoniam, uti quidam volunt, folia coſtam bovinam referunt. Auricula Leporis dicitur a foliorum ſimilitudine. Ἀιτίον λάγυ, Haſenöhrlein, Oreille de Lieure.

Bupleurum eſt plantæ genus flore roſaceo & umbellato, pluribus ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis. His notis addenda ſunt folia ſimplicia alterne in caule poſita.

Bupleurum folio ſubrotundo, ſive vulgatiſſimum. C. B. Pin. 278. Auricula Leporis umbella lutea. I. B. 3. 2. 200. Bupleurum anguſtifolium. Tabern. Icon. 872.

Bupleurum folio rigido. C. B. Pin. 278. Auricula leporis altera

 ſive

ſive rigidior. I. B. 3. 2. 200, Bupleurum alterum latifolium. Dod. Pempt. 633.

Reperitur prior ſpecies in variis regionibus, in locis montoſis ad ſepes & in dumetis. Altera ſpecies in ſylvis & dumetis prope Monſpelium frequens cernitur.

Folia detergent, exſiccant & virtute gaudent vulneraria. Calefacit, aperit & diſcutit porro hæc planta, ſudorem & urinam ciet. Maſticata ſalivam provocat.

CANNABIS SYLVESTRIS.

Sunt Urticæ aculeatæ foliis ſerratis C. B. Pin. folia, Urticæ foliis paria, acuminata, per ambitum ſerrata, mollia, piloſa, atro virentia.

CANNABIS SYLVESTRIS SPURIA. CANNABIS SPURIA FACIE URTICÆ. URTICA SYLVESTRIS FATUA ACULEATA, CANNABINA ALBA. Stachlichte wilde Taubneßlen / ſtachlichte Ackerneßlen / wilde Taubneßel/ wilder Hanff/ weiß Hanffkrauth.

a TOURNEFORTIO ad Galeopſin refertur, eſt nempe

Galeopſis procerior, caliculis aculeatis flore purpuraſcente. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 2. g. 4. Urtica aculeata foliis ſerratis. C. B Pin. 232. Cannabis ſylveſtris quorundam, Urticæ inerti affinis. I. B. 3. App. 854. Cannabis ſylveſtris ſpuria altera Lamium quorumdam. Lob. Icon. 527.

Hinc inde occurrit, floret Autumno.

CAS-

Lamii imitatur vires.

CASSIDA.

Sunt Lamii peregini ſive Scutellariæ C. B. Pin. folia, in imo

imo parva, per caulem majora, obſcure virentia in umbroſis, ſed apertis locis ex viridi languentia, circumſerrata dentibus retuſis, Meliſſophylli modo, cui figura & magnitudine ſimiliora ſunt, non ita rugoſa, ſed Lamii modo plana, amara admodum, ingrata, Chamædrios modo parum vel nihil odora.

Cassida vocatur a ſingulari & privata fructus ſive Pericarpii forma, militaris galeæ iconem exprimente. Dicitur quoque Scutellaria. La Toque.

Eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius galeam cum duabus auriculis refert, inferius vero plerumque bifidum. Ex calyce autem, cujus ſuperior pars eſt criſtata, ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula quæ floris calyx fuit, recondita; capſula caput galea munitum non male repræſentante; pars enim ſuperior criſtam, inferior vero aliam galeæ partem, qua maxilla inferior fovetur, exhibere videntur.

Caſſida. Column. part. 1. 187. Lamium peregrinum ſive Scutellaria. C. B. Pin. 231. Scutellaria Teucrii facie. I. B. 3. 291. Lamium Aſtragaloides. Corn. 129.

Caſſida flore exalbido. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 1. g. 6. Scutellaria Teucrii facie flore albo. I. B. 3. 291. Caſſida flore ex albo pallente. Col. part. 1. 190.

In Italia locis incultis intra ſepes collium & montium humentia & ſaxoſa amans loca reperitur, Colitur in hortis, floret æſtate.

Cen-

Gaudet hæc planta virtute exſiccante, detergente & vulneraria. Laudatur ad fluxus alvinos.

CENTAURUM LUTEUM.

Sunt Centaurii lutei perfoliati C. B. Pin, folia, ad ſingula geni-

genicula gemella, mucronata, quæ caulis trajicit, circa radicem autem proximeque terram folia ſternuntur multa in orbem, Centaurii minoris rubri, cum floribus intenſo auri fulgore nitentes.

CENTAURIUM LUTEUM, dicitur etiam PERFOLIATA ACHILLEA, CENTAURIUM MINUS LUTEO FLORE PERFOLIATUM, CENTAUREA FLORUM COLORE CITRINO PALEARI.

Centaurium luteum perfoliatum. C. B. Pin. 278. Perfoliatum Centaurium luteum. I. B. 3. 355. Centaurium luteum Camer. Epit. 427.

In pratis humidioribus, collibus itidem reperitur.

Iisdem, ut habet J. BAUHINUS; pollet facultatibus, quibus Centaurium minus.

CONYZA COERULEA.

Sunt Conyzæ cæruleæ acris C. B. Pin. folia integra, nec usquam diſſecta crenatave, lanuginoſa, ſapore acri & aromatico.

ASTER CONYZOIDES, CONYZOIDES CÆRULEA, ASTER ATTICUS PURPUREUS, SENECIOR ſive ERYGERON CÆRULEUS. Blau Dürrwurtz / Berufſkrauth.

Aſter arvenſis cæruleus acris. Tourn. I. R. H. cl. 14. ſ. 1. g. 1. Conyza cærulea acris C. B. Pin. 265. Seneci ſive Erygeron cæruleus, aliis Conyza cærulea. I. B. 2. 1043. Erigeron quartum. Dod. Pempt. 641.

Floſculi Junio, Julio & Autumno emicant purpuro cærulei, aſperis, ſiccis & apricis locis; ſecus itinera montoſis locis.

COTY-

Calefacit, ut loquitur SCHWENCKFELDT, ſiccat, dige-

digerit, diſcutit. Contra effaſcinationes a vetulis ſuperſtitioſe uſurpatur.

COTYTEDON AQUATICA.

Sunt Ranunculi aquatici Cotyledonis folio C. B. Pin folia, circinatæ fere rotunditatis, craſſa, digitum lata; per margines leviter crenata, glabra, pediculis ſemipalmaribus aut majoribus ſumma parte hirſutis, eorum centra occupantibus, inſidentia, fibris inde in foliorum margines velut tot radiis ductis, ſaporis amari.

Cotyledon Aquatica vocatur etiam Hydrocotyle, a vocibus græcis ὕδωρ aqua, & κοτύλη cavitas, quaſi diceretur planta aquatica. Ranunculus Aquaticus aut Paluſtris Cotyledonis Folio.

Hydrocotyle eſt plantæ genus, flore roſaceo & umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus planis, & ſemiorbicularibus.

Hydrocotyle vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 7. ſ. 9. g. 3. Ranunculus aquaticus Cotyledonis folio. C. B. Pin. 180. Cotyledon aquatica. I. B. 3. 781. Aquatica Cotyledon acris Septentrionalium Lob. Icon. 387.

Paluſtribus locis invenitur & præſertim humidioribus, & quæ frequentius hybernis menſibus rigantur.

Juxta

Gaudet hæc planta virtute aperiente, detergente & vulneraria.

CYANUS ARBORESCENS.

Sunt Cyani arboreſcentis longifoliæ Alp. folia alba, crebra,

bra, tomentoſa, longa, magnitudine figuraque ad ſalicis tenuia folia accedentia, guſtum inſigni amaritudine cum aliquali adſtrictione afficientia.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt Jaceæ ſpecies.
Jacea fruteſcens plantaginis folio flore albo. Tourn. COR. I. R. H.
Cyanus arboreſcens longifolia. P. Alp. Exot. 30.
Frutex hic pulcherrimus in Cretæ montanis naſcitur.

Qualitate amara humores craſſos extenuant, apprime detergent, & meatus ab infarctu liberant, utilia ſunt ad obſtructos, ad ictericos, ad urinam, atque ad menſes itidem interceptos movendos. Ulceribus ſordidis medentur, atque ad vermes necandos maxime valent.

ELICHRYSUM FOLIIS ABROTANI.

Sunt Elichryſi foliis Abrotani C. B. Pin. folia Abrotani denſiſſima, ubi primum erumpunt tenuiſſime diviſa, brevia, hirſuta, nonnihil albicantia, amara.

Cum

HELYCHRYSON DIOSCORIDIS, HELICHRYSUM MATTHIOLI, SCOPA FOETIDA, HELICHRYSUM CRETICUM,
a TOURNEFORTIO ad Abſinthium refertur.
Abſinthium corymbiferum annuum. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 3. g. 2. Elichryſum foliis Abrotani. C. B. Pin. 264. Helichryſon quorumdam folio Abrotani. I. B. 3. 150. Elichryſon. Dod. Pempt. 267.
Provenit in Hetruriæ pratis, in gracili ſolo incultiſque locis, ſiticuloſis collibus, nec non etiam in fluminum alveis. Reperitur quoque circa Madritium, aliaque Hiſpaniæ loca, item in Gallo Provincia juxta LOBELIUM.

SIDERITIS

Cum tota hæc planta ſit amara, facile, ut docet JOH. BAUHINUS, eas facultates obtinebit, quas Elichryſo ſuo veteres tribuunt, inquit CLUSIUS. Hiſpanis autem nullo eſt in uſu, niſi quod Madrutiano agro mundatorias ſcopas, ad ædes purgandas ex ea faciant, & quibusdam aliis locis illa in faſciculos congeſta & colligata, formaceos, ut Pliniano verbo utar, parietes (quos Hiſpani tapias vocant,) integant adverſus imbrium injuriam: Quia exſiccati flores, ut vult MATTHIOLUS, aureum colorem diutius retinent, proinde commode Hyeme, quod eo tempore flores deficiant, puellæ ſiccum Helichryſum coronamentis ſuis inſerunt, quemadmodum & Amaranthum purpureum. Pollet multum, ſi LOBELIO credimus, ad podagras & ulcera maligna, humorum impetum illuc recentem reprimendo, lotium derivando & ſaburram vehementius impellendo: & eadem ferme, quæ millefolium promittit. Multi recentiorum plantæ, de qua hactenus verba fecimus, Heliochryſi veterum vires & facultates adſcribunt, cui rei teſtimonium aut rationem non adjungunt, præter CLUSIUM, qui amaritudinem vadem adducit: quæ noſtro (verba ſunt JOH. BAUHINI) judicio non ſufficit.

EUPHRASIA RUBRA.

Sunt Euphraſiæ pratenſis rubræ C. B. Pin. folia parva, anguſta, longiuſcula, ſæpius deorſum vergentia, cum floribus rubentibus.

Guſtu

SIDERITIS PRATENSIS RUBRA, ERICOIDES RUBRUM, TRITICUM LEPORINUM. Wild Tag und Nacht / brauner Augentroſt.

Eſt ſpecies pedicularis; nempe

Pedicularis ſerotina purpuraſcente flore. Tourn. I. R. H. cl. 3. ſ. 4. g. 4. Euphraſia pratenſis rubra. C. B. Pin. 234. Euphraſia parva purpurea. I. B. 3. 433. Euphraſia altera. Dod. Pempt. 55.

Uliginoſis non aridis provenit locis. In agris ſegete demeſſa, pagorumque areis, Julio & aliquot poſt menſibus cum flore viget.

Guſtu amara eſt hæc planta & tenuium partium, abſtergendi vi pollet.

Vulgus herbam tritam, ut refert SCHWENCKFELDT, in calceos conjicit, ſingulari experimento, immodicos menſes reperimentem.

FABAGO.

Sunt Capparidis, portulacæ folio C. B. Pin. folia, uncialibus petiolis vel minoribus craſſis foliatis, Aurantiorum petiolis, quibus folia inſident, ſimilibus, minoribus atque anguſtioribus adhærentia, carnoſa, craſſa, lævia, effigie portulacæ, lenta, ſuccoſa, ad cæruleum quodammodo vergentia, ob candidam aſperginem, qua dealbari videntur ex viridi, circa radicem latiora & majora, circa ramos decreſcentia in ſummo minora, ſaporis amari parum acrimoniæ offerentis guſtui, non multum a Capparis vulgaris ſapore alieni.

Plantæ

CAPPARIS vocatur a ſapore. Quia autem foliis alatis fabæ folia imitari videtur alii FABAGINEM dixerunt. CAPPARIS FABAGO, CAPPARIS SYLVESTRIS, CAPPARIS FABAGINEA, CAPPARIS LEGUMINOSA. FABAGO BELGARUM. PEPLUS PARISIENSIUM.

Fabago eſt plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum membranaceum, cylindri æmulum plerum-

plerumque pentagonum, quinqecapſularem, quinqueſariam dehiſcentem, ſingulis valvis ſepto intergerino munitis, ſeminibusque fœtum utplurimum planis. His notis addenda ſunt folia bina e regione in caulium nodis naſcentia.

Fabago Belgarum ſive Peplus Pariſienſum. Lugd. 456. Morgſani Syrorum ejusdem App. 25. Capparis fabaginea ſive Peplios Lutetianorum. I. B 2. 66. Capparis Portulacæ folio. C. B. Pin. 480.

Colitur in hortis; floret Julio.

Plantæ toti ingratus ineſt ſapor, odorque gravis. Syri illa utuntur lumbricis necandis & depellendis.

GENTIANELLA HIPPION.

Sunt folia Gentianellæ Alpinæ vernæ majoris C. B. Pin. per terram ſparſa interdum Lenticulæ non majora, interdum ſemuncialia aut longiora, nervoſa cum floſculis cæruleis amoenis.

Dicitur quoque CALATHIANA VERNA a FLOSCULIS. VIOLA HIPPION. VILOA EQUINA. GENTIANELLA DULCIS, quoniam amaritie caret. Brendel-Blümlein/ blau Junckers-Blum.

Eſt ſpecies Gentianæ, nempe.

Gentiana Alpina pumila verna major. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 3. g. 2. Gentianella Alpina verna major. C. B. Pin. 188. Gentianula quæ Hippion. I. B. 3. 527. Gentiana vj. Gentianella minor verna. Clus. Hiſt. 315.

Reperitur in Alpibus, collibus imo etiam quibusdam pratis, florens vere & æſtate.

HOLO-

Juxta JOH. BAUHINUM eadem huic plantæ vis & facultas, quæ Gentianæ Alpinæ magno flore, ad colicos enim dolores ad tormina, regium morbum & cachexiam a ruſticis laudatur.

HOLOSTEUM CARYOPHYLLÆUM.

Sunt Caryophylli arvenſis umbellati folio glabro C. B. P. folia Caryophylli arvenſis glabri flore majore craſſiora, latiora & duriora, nec ita acuminata,

HOLOSTIUM CARYOPHYLLÆUM ARVENSE, weiß Ackerneglin-Graß.

Eſt ſpecies Alſines, nempe
Alſine verna glabra floribus umbellatis albis. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g 8. Caryophyllus arvenſis umbelliferus. I. B. 2. 361. Caryophyllus arvenſis umbellatus, folio glabro. C. B. Pin. 201. Holoſteum Caryophyllæum arvenſe. Tabern. Icon. 233.

Naſcitur in agris inter ſegetes, Majo & Junio floſculos edit candidos.

Tota planta, ut habet SCHWENCKFELDT, amara eſt, maxime ſemen, quod in pauca quantitate ſecali permixtum, panem amariſſimum reddit. Vulneraria eſt, aperit, abſtergit, glutinat.

HYOSERIS.

Sunt Hieracii minoris Dentis Leonis folio oblongo, glabro C. B. Pin. folia, longa & anguſta, hirſuta, in terra ſparſa, ſaporis amaricantis,

Poſſunt

HYOSERIS ANGUSTIFOLIA, HYOSERIS ALTERA, HYOSERIS FOEMELLA, HIERACIUM MINIMUM ANGUSTIFOLIUM, klein Fercklein-Krauth.

Eſt ſpecies Hieracii
Hieracium minus Dentis Leonis folio, oblongo glabro. C. B. P. 127. Hieracii parvą ſpecies, Hyoſeris anguſtifolia aſpera. I. B. 2. 1025. Hyoſeris anguſtifolia. Tabern. Icon. 180.

Lucos

Lucos multum amat; frequens etiam in ſolo arenoſo, gramineo & ſecus vias.

Poſſunt uſurpari inſtar Endiviæ atque Cichorei in cibis, imprimis acetariis, ut & in Medicina. Virtute gaudet vulneraria, præſertim ſi recens contuſa herba imponatur.

HYPOCHOERIS.

Sunt Hieracii minoris, Dentis Leonis folio ſubaſpero C. B. Pin. folia e radice exeuntia, per terram ſparſa, Dentis Leonis foliis ſimilia, ſed minora, ſaporis amaricantis.

ὑποχοιρὶς ἱπποχοιρὶς, PORCELLIA, Färcklein-Krauth.

Ad Hieracium pertinet. Eſt nimirum

Hieracium Dentis Leonis folio ſubaſpero, C. B. Pin. 127. Hypochoeris, Porcellia. Tabern. Icon. 179.

Reperitur hinc inde in ſylvis Bavariæ.

CINE-

Olim inter olera recenſebatur. TABERNÆMONTANUS refert, ſe iis in acetariis uſum fuiſſe & æque imo gratiore reperiſſe quam Cichorium agreſte, putatque iisdem uſibus inſervire poſſe, quibus inſervit Cichorium atque Endivia. Cæterum amarus ſapor oſtendit gaudere virtute ſiccante & aperitiva.

JACOBÆA MARINA
ſive CINERARIA.

Sunt Jacobææ maritimæ C. B. Pin. folia quernis ſimilia, rarioribus fiſſuris minusque altis inciſa, quæ poſtmodum ad coſtam usque profundius dividuntur, digitali fere interca-

pedine ſegmenta laciniata intercedente, craſſiuſculâ, inferius cinereo molli tomento una cum pediculo obſita ſuperius atrovirentia, nitida, & nonnulla quoque lanugine fortuita obiter reſperſa, ſapore prædita parum grato.

CINERARIA, vulgo dicta a ſubalbido cinereo colore, CHRYSANTHEMUM MARINUM, ARTEMISIA MARINA NEOTERICORUM, ERYGERUM MARINUM, ERUCA CINEREA.

Jacobæa maritima. C. B. Pin. 131. Jacobæa marina ſive Cineraria. I. B. 2. 1058. Marina Jacobæa & Artemiſia marina Neotericorum ſive Cineraria. Lob. Icon. 227.

Sponte provenit in rupibus Genuenſibus, item in Ægypto. Colitur apud nos in hortis.

Ægyptii, authore ALPINO, Artemiſia hac alba (quæ illi Achaouam, Cineraria & Jacobæa marina vocatur) ad multa utuntur, quippe decoctum ex foliis paratum ad renum veſicæque calculos pollere ajunt, nec non ad ſanandas viſcerum antiquas obſtructiones, frigiditatem, ſtrangulationem, ſterilitatem, inflationem atque ad menſes intercceptos revocandos in inſeſſionibus. Adhibentur autem & folia & flores.

KALI.

Kali majus cochleato ſemine C. B. Pin. eſt planta bicubitalis, nullis ſpinis horrens, intenſe rubens, diviſa in ramos rectos craſſiuſculos, cubitales, in quibus folia infima quidem palmaria, anguſta, pinguia, ſuperiora minora, quoque magis ad ſummum ſcapum naſcuntur, breviora, incurva: ſapor totius plantæ ſalſus & ingratus.

Virtute

KALI, eſt nomen Arabicum. Ἄλιμον a voce ἅλς, quod in maritimis & littoribus

littoribus maris naſcatur. SALSOLA, ANTHYLLIS SALSOLA, ANTHILLIS GRÆCORUM, HERBA VITRARIA, HERBA VITRI. Saltz-Krauth / Meer-Krauth / Glaß-Schmaltz / SOUDE OU LA MARIE.

Eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, membranaceum, ſingulari ſemine fœtum, cochleæ ad inſtar intorto, & plerumque petalis floris obvolutum.

Kali majus cochleato ſemina. C.B.P. 289 Cali vulgare. I.B. 3.70. Soda, Kali magnum, Sedi medii folio, ſemine cochleato. Lob. Icon. 394. Kali. Dod. Pempt. 81.

In regionibus calidioribus ad mare naſcitur, a quibusdam quoque ſeritur.

LINARIA

Virtute gaudet aperitiva & diuretica, pituitam in veſica & renibus attenuat, obſtructiones hepatis aliorumque viſcerum tollit. Caute autem debet uſurpari nec exhiberi gravidis, aut iis, qui ardore urinæ laborant, vel diſpoſitionem ad inflammationem veſicæ habent.

Herbæ exigua quantitas intro ſumpta urinas & menſes potenter evocat, partum ejicit, atque hydropicorum aquoſos humores purgat.

LEMERY de uſu hujus plantæ ita loquitur. Hiſpani ſerunt atque colunt Kali ad præparandam ſodam lapideam, quam olim appellabant ALUMEN CATINUM, & Gallice SALICORE ou SALICOTE ou ALUN CATIN. Ad hanc ſodam jam præparandam demetunt herbam maturam & ſiccant. Poſtea in foveis ad hoc in terra factis & ita tectis, ut tantum aër ad ignem neceſſarius ingredi valeat, comburunt atque calcinant, & in cineres redigunt. Verum quoniam magna adeſt quantitas & calcinatio per ignem reverberii ab ipſa herba excitatum diu durat, partes ita uniuntur, ut con-

conſiſtentiam duram inſtar lapidis maſſa induat, quæ hinc malleis aliisque inſtrumentis confringitur, & ex foveis extrahitur, poſtquam refrigerata eſt.

Optima Soda ex Hiſpania provenit, præfertur imprimis, quæ Alicante advehitur. Eligi debet dura, ſicca & ſonora, coloris ex gryſeo cœruleſcentis, multis hinc inde foraminulis prædita. Subſtantia hæc ex partibus terreis & ſalinis mixta, inſervit ad vitra paranda, item ad ſaponem conficiendum.

Ex hac ſoda per diſſolutionem filtrationem & evaporationem obtinetur Sal fixum, quod SAL ALKALI appellatur, quaſi diceres ἅλς Kali, vel quod probabilius, præpoſito Articulo Al ortum eſt Alkali. Hoc deinde latius fuit extenſum ad omnia ſalia vegetabilium, ſed cum obſervatum eſſet, quod tam volatilia quam fixa Alkalia eſſent contraria acidis, factum eſt ut latiori adhuc ſenſu omnia ſalia, quæ contraria ſint acidis, ſeu urinoſa, tam volatilia quam fixa dicta ſint Alkalia. Sal hoc acre eſt & cauſticum, ita ut lapis corroſivus exinde parari queat. Detergit fortiter conducit in ulceribus vetuſtis, ſcabie aliisque morbis cutaneis, quem in finem ipſa etiam Soda, aut cineres Kali adhibentur. Sal quoque hoc dentes nitidos & politos reddit.

LINARIA BELLIDIS FOLIO.

Sunt Linariæ bellidis folio C. B. Pin. folia, fere Bellidis majoris aut Agerati, profunde ambitu ſerrata, glabra, amara. Refertur

LINARIA CÆRULEA DALECHAMPII, LINARIA ODORATA.
Linaria bellidis folio. C. B. Pin. 212. Linariæ aliquatenus ſimilis folio bellidis, I. B. 3. 459. Linaria odorata. Dod. Pempt. 184.

In

In aridis, ſquallentibus & apricis locis provenit, floret vere & æſtate.

Refertur ulcera ſordida purgare, lumbricos interficere, obſtructiones expedire.

LINARIA BELVIDERE.

Sunt Linariæ ſcopariæ C. B. Pin. folia, quam vel Lino, vel Linariæ longiora, frequentiora, incondita, ſapore ſubamaro.

Ὄσυρις; Scoparia, Scopæ Paduanæ, Belveder Jtalorum, Studenten-Krauth/ welſch Harn-Krauth.

Eſt juxta TOURNEFORTIUM ſpecies Chenopodii. Chenopodium Lini folio villoſum. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 2. g. 4. Linaria Scoparia. C. B. Pin. 212. Linaria Belvidere dicta. I. B. 3. 462. Oſyris. Dod. Pempt. 101.

Colitur in hortis, æſtate & ultra viret & viget.

Sali-

Tanquam planta amara obſtructiones expedit. Abſtergit ſcabiem & cutis ſordes, quibus, ut SCHWENCKFELDT diſſerit, ſtudioſi frequenter infeſtantur ob aëris & victus mutationem.

PANDI PAVEL.

Sunt Balſaminæ Cucumerinæ Indicæ fructu majore flaveſcente Comel: H. Amſt. folia, bina ex adverſo reſpondentia, in ſeptem lacinias profundas & anguloſas diviſa, longioribus pediculis appenſa: Vitis foliis ſimilia, capillis exilibus obſita, odorem fœtidum exhalantia ſapore amaro.

In India Lupuli vicem ſupplent folia in confectione cerevisiæ.

viſiæ. Ad necandos & expellendos vermes decoctio foliorum ex aqua ſimplici facta verminantibus propinatur.

PANAX COSTINUM.

Sunt Panacis Coſtini C. B. Pin. folia ſeſquicubitalis longitudinis, latitudinis cubitalis, aſpera, hirſuta, atrovirentia cum nitore quodam, in alas diviſa, ex adverſo ſita, easque rurſus pinnatim ſubdiviſas, in folia Paſtinacæ Germanicæ foliis ſimilia ſerrata, tres quatuorve uncias longa, binas lata, in obtuſum mucronem deſinentia pediculo admodum hirto & aſpero, adhærentia, caulibus aliquot cubitorum bracchiatis, guſtus amari & acris.

Excalefacit & ſiccat hæc planta, aperit, abſtergit, incidit, attenuat.

Ex hujus plantæ vulneratæ, præſertim circa radicem, quæ longa & candida eſt, caule, ſuccus æſtivis menſibus manat ſponte concreſcens, Opapanaci colore ſimilis, odoris quidem exigui, ſed guſtu excalfaciens. Quapropter etiam RAJUS cum aliis quibusdam credit, hoc Gummi genuinum antiquorum Opopanax eſſe, aliis vero contradicentibus. Res meretur ulteriorem explorationem.

SALICORNIA.

Kali geniculatum majus C. B. Pin. eſt frutex ſæpe cubito altior, rectus, ſapore ſalſo, folia non habet, ſed ramos duntaxat teretes denſos, ut ſunt folia Aizoi, Cepææ & ſimilium, denſe genciulatos, pyxidatim geniculo alio aliud excipiente, ſucceſſu temporis circa radicem ligneſcentes, quibus ſuccedunt novi, craſſi, virides interdum intenſe rubentes.

Gaudet

SALICORNIA dicitur a Sale, quoniam eſt admodum Salſa; KALI GENICULATUM, KALI ARTICULATUM, SEMPERVIVUM MARINUM MONSPELIANORUM. ANTHILLIS CONSTANS VELUTI TRITICI GRANIS, Saltz Krauth/ SALICOT.

Eſt planta flore apetalo, calyce carente: ex commiſſuris enim extremorum foliorum naſcuntur ſtamina & embryones, qui deinde abeunt in capſulam ſeu veſiculam unico ſemine fœtam.

Salicornia geniculata ſempervirens. Tourn. Corall. I. R. H. 51. Kali geniculatum majus ſempervirens. C. B. Pin. 289. Kali geniculatum ſive Salicornia. I. B. 3.704.

Ad quaslibet maritimas oras tum Oceani tum mediterranei maris frequens.

Gaudet iisdem virtutibus & ad eundem uſum adhibetur ac herba Kali.

SAMOLUS.

Sunt folia Anagallidis aquaticæ folio rotundo non crenato C. B. Pin. alternata, unciam unam aut alteram longa, uncia latiora, ex oblongo per extremum ſubrotunda, glabra, neutiquam in margine inciſa, craſſa, ſaporis amari.

Samolus eſt plantæ genus flore monopetalo, rotato & multifido: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde cum calyce conjunctum abit in fructum ſeu teſtam apice dehiſcentem, ſeminibus fœtam utplurimum exiguis.

Samolus Valerandi. I. B. 3.780. Anagallis aquatica folio rotundo non crenato. C. B. Pin. 252. Anagallis aquatica tertia. Lob. Icon. 467.

Amat loca paludoſa & Junio menſe floret.

STOEBE

Virtute gaudet aperitiva & antiſcorbutica, deterſiva atque vulneraria.

SCORPIOIDES.

Sunt Scorpioidis Bupleuri folio C. B. Pin. folia Bupleuri, pinguiora, minus nervoſa, locis calidis albida, mediocriter ſpiſſa, brevibus & raris pilis nonnihil hirſuta, ſapore herbaceo cum aliquali acrimonia.

Folia hæc appenſa dicuntur mederi Scorpionum ictibus.

STOEBE SALMANANTICA.

Sunt Stoebes majoris foliis Cichoraceis mollibus lanuginoſis C. B. Pin. folia Cichorii laciniata, nigricantia, hirſuta, duas tresve uncias longa, vix culmum lata, in lacinias nihilominus cæſa vel ſerrata, ſaporis amari.

STOEBE HISPANICA, SCABIOSA ſeu STOEBE SALAMANTICA PRIOR CLUSII, STOEBE MAJOR, IACEA STOEBE DICTA MAJOR FOLIIS CICHORII. Groß Steben-Krauth.

Jacea ſpecies eſt. Nempe

Jacea foliis Cichoraceis villoſis, altiſſima flore purpureo. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 2. g. 3. Stoebe major foliis Cichoraceis mollibus lanuginoſis. C. B. Pin. 273. Stoebe Salamanticenſis prior Cluſii, ſive Jacea Intybacea. I. B. 3. 36. Stoebe Salmanrica. 1. Clus. Hiſt. IX.

Sponte provenit in agro Salmanticenſi; item in Italia & Gallia. Colitur in hortis, floret æſtate.

AGUL

Virtute gaudet hæc planta calefaciente & ſubadſtringente: Decoctum foliorum & ſeminis ſub forma Clysmatis applicitum dyſenteriæ medetur, auribus inſtillatum ulceribus obviam it. Stoebe recens contuſa & impoſita dyſenteriam mitigat.

PLANTÆ

PLANTÆ PURGANTES.

Alhagi Maurorum.
Anagyris fœtida.
Apocynum.
Atriplex maritima.
Atriplex pes Anſerinus.
Azedarach.
Beidelzar.
Chamelæa Tricoccos.
Chamæſyce.
Cneorum.
Cicutaria apii ſolio.
Cicutaria aquatica.
Flammula Ranunculus.
Fritillaria craſſa.
Oenanthe ſucco viroſo Cicutæ facie.
Periploca.
Ranunculus Æthiopicus.
Ranunculus flammeus major.
Ranunculus fluviatilis hederaceus.
Sanamunda Kali foliis.
Seſamoides parvum Dalechampii.
Tartonaire Maſſilienſium.

Thora major.
Tithymalus Characias.
Tithymalus Myrſinites.
Tithymalus ſoliſequus.
Trollius flos.
Thymelæa Monſpeliaca.

ALHAGI MAURORUM.

Sunt Geniſtæ ſpartii ſpinoſi foliis Polygoni C. B. Pin. folia, ad ſpinarum exortum hærentia, oblonga, polygoni figura, cinerea.

AGUL, ALHAGI, ALGUL.

Alhagi eſt plantæ genus flore papilionaceo, cujus piſtillum abit deinde in fructum, ſeu ſiliquam, ex multis partibus quaſi articulatioue conjunctis, compoſitam, quarum ſingulæ turgeſcunt ſemine quaſi reniformi. His notis addenda ſunt folia alterno ordine naſcentia.

Alhagi Maurorum. Rauwolff. 94. Geniſta ſpartium ſpinoſum foliis polygoni. C. B. Pin. 394. Geniſta ſpinoſa flore rubro. Wheel. Itin.

Provenit in Arabia, Perſia & Meſopotamia. Item circa Halepum.

APOCY-

Folia calidæ ſiccæque ſunt naturæ & vi purgante gaudere creduntur. Florum uſus quoque eſt ad purgandum. Purgaturis manipulus unus ex aqua coctus in ſingulas doſes ſufficit.

Ex hac planta Halepi incolæ quoddam Mannæ genus legunt, cujus grana Coriandro noſtro majora paulo adeoque

&

& figura & ſapore Mannæ noſtræ Laricex perſimilia. Colligi autem debet hæc manna ante Solis ortum. Hoc enim accedente colliqueſcit & diſſipatur.

ANAGYRIS FOETIDA.

Sunt Anagyridis fœtidæ C. B. Pin. folia terna, oblonga, acuminata, ſuperius virentia, inferius albicantia, odore adeo gravi & tetro prædita, potiſſimum ſi terantur, ut transeuntibus ſuo fœtore caput offendant.

Folia ejus tenera ſive recentia trita, juxta DIOSCORIDEM, tumores illitu reprimunt; ſi partus hæreat & ſecundinæ menſesque morentur, ℥j. pondere ſicca bibuntur in paſſo, ſic & ſuſpirioſis dantur & contra dolores capitis in vino: Amuleti etiam inſtar difficulter parientibus adalligantur, ſed a partu ſtatim, auferri oportet. Suffitus horum foliorum valet ad præſervandum à venenum ejaculantibus animalibus. Accidit, ut JOH. BAUHINUS loquitur, interdum, ut Capræ & Oves in Creta fame vexatæ hujus folia depaſcant, licet odoris ſint ingratiſſimi & poſtea ex harum lacte caſeus conficiatur: quo ſi forte ignarus aliquis veſcatur, aut lac bibat, ſtatim excitentur, tum vehementiſſimi vomitus, tum fluxus ventris, & cum hoc ſæpiſſime accidat, multi in diſcrimen vitæ veniant, quam ob cauſam frutex hic omnibus ſit exitioſus.

APOCYNUM.

Sunt Apocyni folio ſubrotundo C. B. Pin. folia ad ſingulos nodos bina naſcentia, hederaceis ſimilia, non anguloſa, modice acuminata, craſſa & mollia, graveolentia, ſuccum remittentia ex albo palleſcentem.

APOCYNUM ἀπόκυνον ἀπὸ τῦ κυνὸς, quia interimit canes, nomen habet. Vocatur etiam κυνάγχον, κυνόμορον, κυνοκτόνον κυνοκράμβη. CYNOCRAMBE, CYNOMORON, a vi necandi Pantheras dicitur etiam παρδαλιαγχὲς Hunds-Krauth/Hunds-Köhl.

Ad primam Apocyni ſpeciem juxta TOURNEFORTIUM pertinet. In quibusdam enim Apocyni ſpeciebus flos campaniformis eſt multifidus, ex cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ex duabus vaginis plerumque conſtantem a baſi ad apicem dehiſcentem ac multo ſemine fœtum pappis inſtructo placentæ aſperæ affixo. Quibus notis addendum Apocyni ſpecies ſucco lacteo turgere.

Apocynum folio ſubrotundo. C. B. Pin. 302. Apocynum folio rotundiore flore ex albo palleſcente. I. B. 2. 134. Apocynum 1. latifolium. Clus. Hiſt. 124.

Sponte naſcitur in Syria. Colitur in hortis, floret Junio &c.

Folia cum farina ſubacta, in panes coacta & in cibo data canes, vulpes, lupos & pantheras necant, ac protinus quadrupedum coxendices reſolvunt. Hominibus cenſetur venenoſa hæc planta. Extra corpori impoſita vim diſcutiendi habere traditur. Semen ad ʒß. datum ſymptomata crudeliſſima tremores, convulſiones imo ipſam mortem infert.

ATRIPLEX MARITIMA.

Sunt Atriplicis maritimæ laciniatæ C. B. Pin. folia candicantia, ſinuata, pedis anſerini foliis ſimilia, ſaporis ſalſi.

Vis

ATRIPLICIS SYLVESTRE GENUS GUSTU SALSO, ATRIPLEX MARINA, Meermelten.

Atriplex maritima laciniata. C. B. Pin. 120. Atriplex maritima. I. B. 2. 974. Atriplex marina. Dod. Pempt. 615.

Sponte naſcitur in maritimis, Mediterraneis & Adriaticis.

ATRIPLEX

Vis Atriplici marinæ quæ cæteris Atriplicibus, ſed propter ſalſedinem, qua referta, magis quidem alvum citat, magisque abſtergit ſi carnis jure decocta edatur, ut docet MATTHIOLUS. Digerit, incidit, attenuat, liquat, a putredine vindicat, aperit & abradendo expurgat. Humentem ventriculum ſiccat, hydropicos juvat, pingues extenuat, ut habet CAMERARIUS.

ATRIPLEX PES ANSERINUS.

Sunt Atriplicis ſylveſtris latifoliæ C. B. Pin folia ampliora, laxius & rarius ſinuata, atrovirentia, caput gravante odore prædita.

ATRIPLEX SYLVESTRIS ſive PES ANSERINUS. ATRIPLEX FIMETARIA GRANDIOR, HERBA SIMILIS ANSERINO PEDI. CYNOCRAMBE, SUPPLICIUM SUUM, ab effectu Gänß-Fuß/ Sau oder Schweins-Todt/ PIED D'OYE.

Eſt Chenopodii ſpecies, nempe Chenopodium-Pes anſerinus ij. Tabern. Icon. 427. Atriplex dicta pes Anſerinus. I. B. 2. 975. Atriplex ſylveſtris latifolia. C. B. Pin. 119.

Secus veteres parietes, vias, ſemitas alibique incultis ac deſertis humentibus nonnihil locis frequens exit: viget ac floret una cum Atriplicibus reliquis.

Vocatur

Herba plane lethalis & peſtifera maxime ſi a ſuibus devoretur. FUCHSIO & TRAGO auctoribus facultate frigida eſt & humida & quidem non minus atriplice ſed amplius refrigerans.

AZEDARACH.

Sunt folia Azedarach Dod, fraxini fere ſerrata, cubito

longiora, ex foliolis multis ſibi mutuo reſpondentibus, ad coſtam unam ramoſam adhærentibus, conſtantia, ſature viridia & nigricantia.

Folia hæc interficiunt animalia. Aqua horum foliorum pediculos interficere dicitur, capillos longiores reddit, ſi cum vino caput abluatur; modo dicta aqua cum ſapa difficultati urinæ & menſtruorum confert, fœtum extrahit & ſanguinem congelatum in veſica. Melius eſt iis non uti.

BEIDELZAR.

Sunt folia Apocyni Ægyptiaci lacteſcentis ſiliqua Aſclepiadis C. B. Pin. ſatis magna, oblonga, lata, craſſa, cutacea, ex viridi palleſcentia, incana præſertim tenella, extremis ramis adnaſcentia, odoris gravis, lac album, acre, amarum, ut tota planta fundentia.

Foliis

Vocatur quoque BEID EL OSSAR, hoc eſt ovum ex oſſar, BEID EL SSAR, OSSAR, EL USAR, ARBOR LANIGERA, LAPATHUM ÆGYPTIACUM LACTESCENS, ESULA INDICA quibusdam.

Recte ad Apocynum refertur hæc planta & quidem ad ſecundam Apocyni ſpeciem juxta TOURNEFORTIUM. In quibusdam enim Apocyni ſpeciebus flos campaniformis eſt ſed inverſus, ejusque meditullium occupat capitulum quoddam elegans, ex quinque corniculis in orbem poſitis conſtans. Infimæ autem capituli parti adinſtar clavi infigitur piſtillum, quod e calyce ſurgit abitque deinde in fructum, ex duabus vaginis plerumque compoſitum a baſi ad apicem dehiſcentem, ac multo ſemine fœtum ſquamatim poſito, pappis inſtructo & placentæ foliaceæ affixo. Quibus notis additur Apocyni ſpecies ſucco lacteo turgere.

Apocynum erectum incanum latifolium Ægyptiacum floribus croceis, Par. Bat. Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis.

piadis. C. B. Pin. 303. Beidelſar Alpini ſive Apocynum Syriacum. I. B. 2. 136. Beidel oſſar Alpin. Ægypt. 25.

Naſcitur juxta Alpinum in humidis locis prope Alexandriam in ramo Nili Calig vocato, & Cayri in loca prope el Mattharia fere perpetuo humido ac fere paluſtri ex aqua Nili ibi diu manente. Colitur apud nos in hortis, floret Julio & Auguſto.

CHA-

Foliis, ALPINO dicente, contuſis tum crudis tum in aqua coctis utuntur emplaſtri modo in frigidis tumoribus & doloribus. Tota planta lacte calidiſſimo ac exurenti ſcatet, quem plures in quibusdam vaſis colligunt ad expilanda coria, ea ſcilicet in eo lacte ſi aliquo tempore maneant, pilis nudantur. Lac quoque ſiccatum præſtantius corpora ſolvit atque dyſentericos fluxus etiam lęthales facit. Eſt etiam præſtantiſſimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures alias cutis infectiones ſanandas eo ſi inungantur partes. Interius hoc lac nunquam debet dari.

In vaginis fructus, teſtibus non admodum diſſimilibus, reperitur copioſa lanugo, alba, molliuſcula & admodum ſubtilis, ex qua parant incolæ cubilia. Utuntur etiam ea ad excipiendum ignem ex ſilice excuſſum tanquam eſca ac pabulo. Inſervire quoque poteſt hæc goſſypii ſpecies quam etiam Houatte ou Houette, Wath nominant, in variis veſtimentis farciendis.

CHAMELÆA TRICOCCOS.

Sunt folia Chamelææ Dod. retuſa, latiora, viridiora & tenuifoliam Phyliream referentia, acria.

Folia purgant per inferiora, magna vi & violentia, pituitam & humores bilioſos, maxime ſeroſos. Utilia ſunt hydropicis, ſi cum judicio & ratione exhibeantur. Hujus

 enim

enim plantæ qualitas, dicente DODONÆO, accedit ad vim veneni, nocua & prava homini multis modis: lædit ventriculum, hepar, partes omnes nobiles, eas calefaciendo erodendo & ulcera inducendo inteſtinis, tandem vacuat alvum ad ſanguinem usque. Folia viridia Chamelææ maceranda per 24. horas in aceto generoſo, deinde exiccanda & in uſum reponenda. Acetum autem melius eſſet ad hanc præparationem, ſi ante in eo macerata eſſent Cotonea mala aut decoquenda in ſero lactis potiſſimum caprini, aut in juſculo caponis, deinde propinandum ſerum aut jus.

Magnus erat ſucci totius plantæ olim uſus, præſertim Monſpelii, Pharmacopoei preſſum ſiccatumque habebant. Doſis ad ʒj. ʒij præſertim cum aliis Catharcticis hydragogis remixtus. Pueris datus nec tormina nec vomitiones facit, ſed aquas educit & ſerum: Admotus pubi & Abdomini hydropico non ullum præſtantius remedium ad urinas proliciendas, quo modo lubentius utebatur RONDELETIUS.

CHAMÆSYCE.

Sunt Chamæſyces I. B. folia ramulis in alas ſubdiviſis rubentibus, ſubhirſutis, qui in orbem terræ apprimuntur, innaſcentia, conjugatim oppoſita, ſubrotunda, qua terram ſpectant rubentia, ſuperne viridantia, niſi quod in medio purpurea nota ſint maculoſa, quædam tamen in extremis maculis ſupra infraque omnino ſatura rubedine tincta ſunt.

Rami

CHAMÆSYCE a χαμαὶ humilis & συκῆ PEPLUS, quoniam Peplo fere ſimilis.

Tithymalus exiguus villoſus Nummulariæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 3. g. 6. Chamæſyce. I. B. 3. 667. & Dod. Pempt. 377.

In

In Galliæ Narbonenſis præſertim olivetis vinetisque, aridis ſabuloſis & tractibus maritimis reperitur.

Rami ex vino triti vulvæ dolores ſedant in peſſo appoſiti: tollunt tumores ac verrucas omnium generum illiti; decoctorum cibo alvus reſolvitur, ſuccus ſimili affectui prodeſt, illitus contra ſcorpionis ictum auxiliatur, adverſus caligines oculorum utilis, hebetudines incipientes ſuffuſiones, nubeculas, cicatrices cum melle inunctus valet. Chamæſycæ abſtergentem ſimul & acrem vim GALENUS attribuit. Itaque acrochordonas & myrmecias caules ejus teneriores intriti, in modum cataplasmatis admoti, quique ex eis profluit liquor auferunt. Cum melle vero craſſas oculorum cicatrices detergunt, hebetudinem viſus a craſſitie ortam adjuvant, ſicuti & ſuffuſionum principia. Inſervit quoque ad verrucas abigendas, item ad ſcabiem.

CNEORUM.

Sunt Thymelææ affinis facie externa C. B. Pin. folia viridia, cutanea, Thymelææ veræ proxima, ingrati primum deinde amari ſaporis, nulla aut perexigua acrimonia prædita.

Folia hæc virtute gaudent purgante ſed raro uſurpantur.

CICUTARIA APII FOLIO.

Sunt Cicutariæ âpii folio C. B. Pin. folia Cicutæ, quorum ſingularia propius ad Petroſelinum accedunt, atrovirentia, odore nullo, ut nec ſapore ullo excellente.

Ve:

Apium Cicutarium, Cicutaria Fatua, Cicuta Minor, Hunds-Peterlin / Katzen-Peterlin.

Cicuta minor Petroſelino ſimilis. C.B. Pin. 160. Cicutaria Apii folio. I. B. 3. 2. 179. Cicutaria fatua. Lob. Icon. 280.

Floret Junio in pinguioribus arvis & cultis. In Sileſia abunde luxuriat in hortis oleraceis maxime, cum Petroſelino, cujus vitium dixit TRAGUS.

Venenoſam & pernicioſam eſſe plantam teſtatur DALECHAMPIUS, dicens: Eſu Cicutæ, quæ Apii hortenſis ſpecie quendam fefellerat, ego quendam novi ad extremum usque vitæ dementem factum.

CICUTARIA AQUATICA.

Sunt Cicutariæ paluſtris tenuifoliæ C. B. Pin. folia dodrantalia plus minus, diviſione Chærefolii, propemodum glabra, odorata, ſapore ſatis grato, ad Sium accedente, cum levi quadam acrimonia.

CICUTARIA PALUSTRIS, PHELLANDRIUM, FOENICULUM ERRATICUM, Waſſerſchierling / Froſchkrauth / PALUSTRE FOENICULUM, Weyer-Fenchel.

Pertinet ad Phellandrium, cujus Characterem vide ſub Mutellina.

Phellandrium. Dod. Pempt. 591. Cicutaria paluſtris tenuifolia. C.B. Pin. 161. Phellandrium vel Cicutaria aquatica quorumdam. I. B. 3. 2. 183.

Locis gaudet humidis & paluſtribus & in foſſis & ſcrobibus paſſim occurrit; Floret Junio & Julio. Caulis aliquando bracchium adæquat, ramulis multis bracchiatus.

FLAM-

Juxta DODONÆUM Phellandrium calidum & ſiccum Sio potentia ac temperamento ſimillimum exiſtit. Qua etiam de cauſa urinam & menſes provocare, ad affectus veſicæ frigidos

gidos utile & ad calculum, quem comminuere ac expellere poſſe ait, ſi natura ſua friabilis fuerit.

FLAMMULA RANUNCULUS.

Suūt Ranunculi longifolii paluſtris minoris C. B. Pin. folia priora ex longis pediculis unciam ſemis lata, oblonga alia, alia ſubrotunda, ſuperiora per caules ex articulis oriuntur bina, interdum ſerrata, quæ minus anguſta, longitudine circiter palmari, ſapore acerrimo.

FLAMMULA quaſi flamma aut herba ignis, a ſuperante & ardenti caliditate. RANUNCULUS FLAMMEUS AQUATICUS ANGUSTIFOLIUS. RANUNCULUS LANCEATUS MINOR, RANUNCULUS AQUATICUS. Ἀρνογλωσσόφυλλος, Sper-Krauth/ langer Waſſer-Hahnenfuß/Engelkrauth/ FLAMMULE AQUATIQUE.

Eſt ſpecies Ranunculi, nempe

Ranunculus longifolius paluſtris minor. C. B. Pin. 180. Ranunculus longifolius aliis flammula. I. B 3. 848.

Perquam familiaris rivulis per ſteriles tractus ſegniter fluentibus, æſtate floſculos oſtendit.

OENAN-

Facultate, ut loquitur JOH. BAUHINUS cæteris ranunculis ſimilis eſt, acris ſimiliter exulcerans, & veſicas faciens. Edendo pecora enecat, & ideo arcent ſedulo pecus Opiliones, ne eo vorato inflammentur, præcordia aliaque viſcera, indidemque moriantur ut videre eſt in balantum extis, quæ hujus pabulo ambuſta fuerunt.

FRITILLARIA CRASSA.

Hanc plantam HERMANNUS ita deſcribit. Locis

mon-

montoſis ſaxoſi, præruptis aridis ad promontorium bonæ ſpei luxuriant e radice alba exili fibroſa, cauliculi modo humi proſtrati, modo oblique aſcendentes, ſpithamum & amplius longi, valde ramoſi, digitum craſſi, aphylli, læte viridantes, ingruente vero tempeſtate rigidiori, ex livore ad purpureum vergentes, propemodum trigoni, denticulati & circumquaque brevibus craſſis obtuſis quaſi aculeis ſeu prominentibus dentibus, angulorum præruptorum rupium inſtar ſtipati, ſucco viſcido acri amaricante viroſo & nauſeoſo turgentes. Ad dentium ſinus prodit pediculus digito brevior, tenuis, pallide vireſcens vel ex livido purpuraſcens, communiter in tres, raro in quinque foliaceos cuſpides abiens, ſuſtinens florem amplum, planum, monopetalum, craſſum quinque acuminatis laciniis expanſum; foris glabrum viridantem, quinque purpuraſcentibus per longitudinem ſtriis inſcriptum; intus tenacem, coriaceum rugoſum, flaveſcentem, punicantibus maculis, eleganter conſperſum, odoris fœtidi Viperini; ex hoc protuberat umbilicus orbicularis, ejusdem cum flore conſiſtentiæ & coloris, occupans fere mediam floris partem, cujus centrum concavum tegit ſtella quinque radiis compreſſis puniceis in extremo bifidis lividisque conſtructa; huic inſidet breviſſima craſſiuſcula columella, emittens in imo radios quinque teretes rigidos, pallide punicantes in ſummo totidem alios breviſſimos concolores. Florem deciduum ſequuntur ſiliquæ gemellæ erectæ virides ſpithamum longæ digiti craſſitie includentes Apocynorum ſemina orbiculata, compreſſa tenuia, marginibus craſſiuſculis caſtanei coloris imbricatim invicem incumbentia, quibus ſingulis inſident flocci ſericei, candidi, ad ſolem aureis micis fulgentes.

Virtu-

Juxta TOURNEFORTIUM pertinent ad Aſclepiadem quoniam ſucco lacteo non turget, Aſclepias Africana Aizooides. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 5. g. 4. Fritillaria craſſa Promontorii bonæ ſpei. Stapel in Theophr. 335. Apocynum humile aizooides, ſiliquis erectis Africanum. H. L. Bat.

Aſclepias Africana aizooides, longioribus foliis minus dentatis. Tourn. l. c. Apocynum humile aizooides, cauliculis longiſſimis, denticulis rarioribus donatum. Pluck. Almag. Botan. 37.

Virtutem poſſidere cum Apocynis communem indicant acris amarus nauſeoſus ſapor, & viroſus odor.

OENANTHE SUCCO VIROSO CICUTÆ FACIE.

Sunt Oenanthes Chærophylli foliis C. B. Pin. folia, paludapii foliis non diſſimilia, multo pullulatu provenientia, virore tetro, colore & facie Cicutæ, caulibus teneris, guſtu acribus & ingratis, ſucco lacteo primum, deinde flaveſcente viroſo & exulcerante prægnantibus, adnaſcentia.

Oenanthe Selinophyllos, Oenanthe Cicutæ Facie, Oenanthe Penæ Venenatis Radicibus.

Oenanthe Chærophylli foliis. C. B. Pin. 162. Oenanthe ſucco viroſo Cicutæ facie Lobelio. I. B. 3. 2. 193. Oenanthe Cicutæ facie ſucco viroſo croceo. Lob. Icon. 730.

In rivulis lutulentisve & riguis, non in Septentrionalibus duntaxat Angliæ, ſed & in Meridionalibus copioſe provenit.

Peri-

Cicutæ affinem autumant quidam imprimis LOBELIUS, uſos namque in acetariis nihil factum fuiſſe propius, quam ut interirent, ajunt: alios, qui eſitaſſent, vertigine tenebricoſa palantes, nutantes attonitos inque gyrum verſantes ſe vidiſſe dicit LOBELIUS.

PERIPLOCA.

Sunt Apocyni folio oblongo C. B. Pin. folia, Aſclepiadis foliis ſimilia, ſarmentis duris, lignoſis, lentis, fractu invictis, rutilantis ex fuſco coloris, innaſcentia, bina ſibi oppoſita, lacteo prægnantia ſucco.

Periploca dicitur a περὶ circa & πλοκὴ nexus, quoniam non ſolum aliis plantis, ſed & quibuslibet fulcimentis circumvolvatur, & adhæreat.

Periploca eſt plantæ genus flore monopetalo longe magis patente, quam Apocyni flos, adeo ut ad rotæ potius figuram accedat: ex calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum Apocyni fructui adeo ſimilem, ut hæc duo genera ab authoribus non ſoleant diſtingui. Gaudet quoque, uti dictum, ſucco lacteo.

Periploca foliis oblongis. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 5. g. 3. Apocynum folio oblongo. C. B. Pin. 303. Apocynum ſive Periploca ſcandens folio oblongo, flore purpurante. I. B. 133. Periploca altera. Dod Pempt. 408.

Colitur apud nos in hortis, floret Junio, tardius citiusve.

Prove-

Exterius folia applicita reſolvere dicuntur. Intus non debent uſurpari. Habent enim vim necandi animalia ut Apocynum.

RANUNCULUS ÆTHIOPICUS.

Sunt Ranunculi Æthiopici foliis rigidis floribus ex luteo vireſcentibus Com. Hort. Amſtel folia, tres digitos tranſverſos longa, duos lata, mucronata, & margine ſerrata, rigidula & atro virore prædita.

Quod

Provenit in Africæ parte meridionali, ubi Bonæ Spei promontorium.

Quod ad vires attinet admodum calida eſt planta, & adeo acris & mordax, ut pro cauſtico remedio inſerviat, cutique impoſita brevi temporis ſpatio excoriationes excitet, Cantharidum ad exemplum, quarum locum ſupplere poteſt.

RANUNCULUS FLAMMEUS MAJOR.

Sunt Ranunculi longifolii paluſtris majoris C. B. Pin. folia, pedali circiter longitudine vix unciam lata, craſſiuſcula, glabra, mucronata, ſaporis acris & amari.

Facultate cæteris Ranunculis reſpondet acredine, & vi exulcerante & veſicatoria.

RANUNCULUS FLUVIATILIS HEDERACEUS.

Sunt Ranunculi aquatici hederacei lutei C. B. Pin. folia parvula, hederæ ſimilia, atra macula notata, cum floribus luteis, ſaporis acris & fervidi,

Cali-

RANUNCULUS HEDERACEUS a foliis, RANUNCULUS AQUATICUS HEPATICÆ FACIE. Lob. POLYANTHEMON AQUATILE, HEPATICA AQUATICA ſive PALUSTRIS. Waſſer-Hünlein / Waſſer-Hahnenfuß.

Ranunculus aquaticus hederaceus flore albo parvo. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7. g. 3. Ranunculus aquaticus hederaceus luteus. C. B. Pin. 180. Ranunculus hederaceus rivulorum ſe extendens, atra macula notatus. I. B. 3. 774. Ranunculus hederaceus Dalechampii. Lugd. 1031.

In foſſis aquas habentibus & lente decurrentibus, Aprili, Majo & Junio abunde & late floſculos promit.

Calidus, inquit SCHWENCKFELDT, & cæteris ranunculis facultate ſimilis. Exulcerat enim & veſicas excitat.

SANAMUNDA KALI FOLIIS.

Sunt Thymelææ foliis Kali lanuginoſis ſalſis, C. B. Pin. lanuginoſa veluti tomento quodam obſita folia mucronata, ſalſi non nihil guſtus, ſed deinde acris & calidi.

Thymelæa foliis Kali lanuginoſis, ſalſis. C. B. Pin. 463. Sanamunda ij. Clus. Hiſt. 88. & I. B. 1. 594.

CLUSIUS petroſo & ſalebroſo loco maritimis Boeticæ inter Calpen & Eſtepona montibusque Granatæ proximis Februario florentem invenit.

Thyme-

Apud Granatenſes Mauritanos purgandorum corporum gratia frequenter uſurpatur. Drachmæ enim pondere cum decocto Cicerum ſumptam mirifice purgare per inferiora ajunt. Circa Calpen vero nullius eſt uſus præterquam ad excalfaciendas fornaces.

SESAMOIDES PARVUM DALECHAMPII.

Sunt Thymelææ tomentoſæ foliis ſedi minoris C. B. P. folia confertiſſima ramulis, quos farctim denſa, candida, cineracea lanugo obvolvit, ſine pediculis hærentia Thymi aut Vacciniæ paluſtris, Illecebræ valde ſimilibus acuminata, inferna parte rugoſa, virentia & in ſicco nigricantia, glabra, ſuperna vero (qua parte contrahuntur & velut alveolum effi-

efficiunt) tomento albido penitus obducta, carnoſa, urentis facultatis.

Thymelæa tomentoſa foliis Sedi minoris. C. B. Pin. 463. Seſamoides parvum Dalechampii, Sanamunda iij. Cluſii I. B. 1. 595. Sanamunda iij. Clus. Hiſt. 89.

Juxta CLUSIUM invenitur in toto illo tractu maritimo Meridiei objecto, qui ab Herculeo freto ad Pyrenæos usque excurrit.

Purgat violentiſſime, & quandoque ſatis laborioſe, præſentique nimiæ vacuationis diſcrimine. Ejus herbæ tuſæ ac cribratæ drachmam ptiſanæ immixtam ſorbendam dedit DALECHAMPIUS cuidam nervorum laboranti Lugduni in valetudinario, cui non ſegnius alvus deturbata eſt, quam ſi Colocynthidem ſumſiſſet, reſtitutaque ſanitas.

TARTONRAIRE MASSILIENSIUM.

Sunt Thymelææ foliis candicantibus Serici inſtar mollibus C. B. Pin. folia numeroſiſſima, Myrti Tarentinæ magnitudine, in acumen tamen obtuſius deſinentia, undique lanuginoſa & tactu mollia albida vel argentea, lucida aliquantulum hirſuta, gummoſa, ſi mordeantur, amara initio, deinde acria & adurentia.

Folia

TARTONRAIRE GALLOPROVINCIÆ & MASSILIENSIBUS dicitur, SESAMOIDES MAJUS SCALIGERI juxta LOBELIUM ab exuperanti purgandi vi, SANAMUNDA PRIMA CLUSII.

Eſt ſpecies Thymelææ, nempe

Thymelæa foliis candicantibus Serici inſtar mollibus. C. B. Pin. 463. Tartonraire Maſſilienſium Sanamunda. 1. Cluſiii. I. B 593. Tartonraire Galloprovinciæ Maſſilienſium, Lob. Icon. 371.

 Circa

Circa Maſſiliam locis ad mare devexis, præſertim collem, Mont rond vocatum, ſqualidum, aridum, glareoſum plurimum fruticat. Nil jucundius dicitur aſpectu, quam colliculi aut areolæ argenteo hujus herbæ nitore veſtitæ. Frequens quoque, ut teſtatur CLUSIUS, regnis Granatenſi & Valentino in apricis & Sole illuſtratis locis Verno tempore floret.

Folia ſunt adurentia: ob purgandi vim ruſticis Hiſpanis magno in uſu; ſed effrenis & exuperans ejus purgandi vis, ut loquitur LOBELIUS, non raro dyſenterias fluxusque immoderatos accerſit; præſertim ſi quis minus peritus hujus folia in pulviſculum reducta vel quopiam liquore diluta propinarit. Hodie impoſtores & quidem ignari, notante DALECHAMPIO, quanta ſit hujus plantæ vis & corporibus noſtris noxia, ex vino albo vel Cicerum decocto vel elixæ carnis juſculo bibendam propinant ℥j, vel ℥ij. in validiſſimis naturis, tanta purgandi poteſtate, ut ſæpe ob hypercatharſin ſanguis erumpat. Educit autem ſic ſumpta, bilioſa, pituitoſa, aquoſa.

THORA MAJOR.

Sunt Thoræ majoris C. B. Pin. folia ex radice ſtatim principio rotunda, circinatæ fere rotunditatis, Cyclamini foliis paria aut etiam duplo majora, in medio per marginem aliquando ſinuata, interdum minus, rigida, nervoſa, glabra, argutis denticulis concinne in ambitu crenata, reliqua ſuperiore caulis parte parva, oblonga, acuminata, ſimplicia, aut in lacinias aliquot fiſſa.

Per-

THORA quaſi PHTHORA, a græco φθόρα corruptio, nex, venenum aut mors, quoniam hoc veneno ora vulnerum corrumpuntur,

puntur, putreſcuntque. THORA MAJOR, THORA VALDENSIUM, ACONITUM PARDALIANCHES, PHTHORA VALDENSIUM, THORA SABAUDICA MONTIS BALDI.

Jam a CLUSIO inter ranunculi genera eſt relata.

Ranunculus Cyclaminis folio Aſphodeli radice major. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7. g. 3. Aconitum pardalianches. 1. ſeu Thora major. C. B. Pin. 184. Thora folio Cyclamini. I. B. 3. 650. Phthora Valdenſium montis Baldi. Clus. Hiſt. 239.

Ab hoc non multum diſcrepat

Ranunculus Cyclaminis folio, Aſphodeli radice minor. Tourn. l. c. Aconitum pardalianches alterum ſive Thora minor. C. B. P. 184. Ranunculus grumoſa radice iij. Clus. Hiſt. 239.

In Alpibus & Allobrogum Helvetiorumque montibus gigni refertur & apud Valdenſes ac Baldo Italiæ monte frequens.

TITHY-

Pernicioſa & venefica hujus Thoræ vis Napelli excedere fertur malitiam. Tantam autem eſſe ajunt, ut homo quidem præcipue, deinde & quadrupedes ac aliud etiam quodlibet ferarum, vulneratum aut ictum telo hujus ſucco imbuto illitove intra ſemihoram pereat ac moriatur. Negatur tamen mortiferum ſi bibatur aut devoretur, tametſi absque noxa id non fiat. Multum diuque juxta LOBELIUM venatores Alpinæ gentis hac thora uſi ad ferarum capturam quibus ſolo ſucco expreſſo & ſpiculis illito certam citamque parant perniciem, qua namque hæſerit telum aut vulnus fecerit, ſubire repente virus, quo illico ora vulneribus (niſi præciſione antevertant) corrumpuntur putreſcuntque. Venatores ſucci vim experturi, acum eo inficiunt, qua ranam pungunt, quæ ſi ilico moriatur præſentaneum judicant authore GESNERO.

TITHY-

TITHYMALUS CHARACIAS.

Sunt Tithymali Characias rubentis peregrini C. B. Pin. folia, circa ramulos rubicundos, acri lacteoque ſucco refertos, folia Oleaginis ſed longiora.

Juxta DIOSCORIDEM ſuccus lacteus per alvum pituitam bilemque trahit, obolis binis in poſca ſumptis, at cum aqua multa etiam vomitiones movet, circa vindemiam ſuccus is, congeſtis ramulis, mox diſſectis & in vas inclinatis excipitur. Aliqui adjecta Ervi farina paſtillos ex eo fingunt, qui Ervi magnitudinem impleant: Alii in ficus quæ exſiccantur ternas quaternasve guttas inſtillant, ut cum iis marceſcant ejusmodique ficus ad uſum recondunt. Sed & per ſe tritus in pila cogitur in paſtillos atque reponitur. Porro qui ſuccum colligit, minime obverſum vento ſtare, aut oculis manus admovere oportet, quin imo antequam operi ſeſe accingat, corpus, præſertimque faciem collum ſcrotumque & vicinas partes adipe aut oleo cum vino perungere. Quoniam vero fauces idem exaſperat, catapotia, quæ ex eo concinnantur cera aut decocto melle oblini atque ita dari par eſt. Caricas vero binas ternaſve ſolvendæ alvi gratia ſatis eſt. Recens item ſuccus ex oleo illitos in Sole capillos detrahit, renaſcentesque flavos & exiles efficit, tandemque omnes abolet. Dentium cavis inditus eorum dolores levat, ſed cera dentes oblinendi, ne forte prætérlapſus is fauces linguamque male afficiat. Tollit & myrmecias, penſiles verrucas & quæ Thymi flores repræſentant, itemque lichenas. Valet idem adverſus pterygia, carbunculos, phagædenas, gangrænas atque fiſtulas. Legitur ſemen autumno & ſiccatum ſole leviter tunditur tandemque ab aceribus repurgatum loco mundo reponitur. Similiter

&

& folia ſiccata reponuntur quæ haud ſecus ac ſemen lactei ſucci effectum præbent, dimidio acetabulo pota. Sunt qui ipſa inveterant admiſto etiam cum lacte Lepidio caſeoque contuſo.

TITHYMALUS MYRSINITES.

Sunt Tithymali Myrſinitis C. B. Pin. folia Myrti, pinguia, colore glauco prædita, in acumen deſinentia.

TITHYMALUS MYRTITES, MYRTIFOLIUS, a foliorum ſimilitudine.

Tithymalus Myrſinites, latifolius, C. B. Pin. 290. Tithymalus Myrſinites. I. B. 3. 674. Tithymalus Myrſinites. 1. Tabern. Icon. 591.

Sponte provenit in Calabria. Colitur in hortis, floret Majo.

Succus lacteus, radix, ſemen, & folia conſimilem Tithymalo Characias dicto ſortiuntur facultatem. Ad citandas tamen vomitiones mitior eſt.

TITHYMALUS SOLISEQUUS.

Sunt Tithymali Helioſcopii C. B. Pin. folia portulacæ vel propius Peplios, minus pinguia, quam Portulacæ, ex viridi lutea, in ambitu crenata, caulibus brevibus plerumque ſingularibus, teretibus, modice hirſutis hærentia, lacteo acri ſucco turgentia.

Col-

τιθύμαλος ἡλιοσκόπιος, TITHYMALUS HELIOSCOPIUS, TITHYMALUS SOLISEQUUS, dicitur, quoniam capita cum Sole circumagit. LACTARIA SOLISEQUA, Sonnen-Wend / Wolffs-Milch / groß Wolffs-Milch. REVEILLE MATIN, SUIVANT LE SOLEIL.

Tithymalus Helioſcopius. C. B. Pin. 291. & Dod. Pempt. 371.
Tithymalus Helioſcopius ſive ſoliſequus. I. B. 3. 669.

Cunctis gentibus familiaris & hortis etiam olitoriis frequenter moleſtus ; quin & paſſim provenit circa rudera , prope urbium & oppidorum moenia, in campis incultis, collibus, & ubique tam culto, quam inculto ſolo.

Colligi ſuccum & ſemen hujus Tithymali veluti etiam aliorum , vim eandem habere cum Myrſinite Characia , & paralio , ſed non ita intentam docet DIOSCORIDES. PLINIUS addit bilem trahere per inferiora in oxymelite, dimidio acetabulo.

TROLLIUS FLOS.

Sunt Ranunculi flore globoſo Dod. folio fere aconiti in quinque ſegmenta diviſa, idque ad ipſum uſque pediculum dodrante longiorem, niſi quod folia in caule nullo pediculo cauli adnaſcuntur, conſimiliter tamen diviſa, cum floribus ſeſſilem globum imitantibus.

RANUNCULUS MONTANUS LUTEUS , RANUNCULUS ALPINUS GLOMERATUS. TROLLIUS FLOS , ACONITUM MATTHIOLI TERTIUM. Geeler Alphahnen-Fuß/ Troll Blume.

a TOURNEFORTIO ad Helleborum refertur.

Helleborus niger Ranunculi folio flore globoſo majore. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 6. g. 11. Ranunculus montanus Aconiti folio flore globoſo. C. B. Pin. 182. Ranunculus flore globoſo, quibusdam Trollius flos. I. B. 3. 419.

Proferunt hunc alti montes Herciniæ & Helvetiorum Alpes. Reperitur quoque in Sileſiæ valle gigantum : Julio flores magnos luteos, in globum, vitelli ovi inſtar, convolutos erigit.

ACETA-

Notandum MATTHIOLUM tribuere ſuo Aconito flore Ra-

Ranunculi, uſus & vires Lycoctoni, quas noſtro ineſſe ranunculo globoſo flore vix credimus, inquit JOH. BAUHINUS. Poteſt tamen in animalibus periculum fieri. SCHWENCKFELDT cæteris Ranunculis hunc minus acrem ait, ac propterea minus calefacere & ſiccare.

THYMELÆA MONSPELIACA.

Sunt Thymelææ foliis Lini C. B. Pin. folia Lini fere ſed majora, latiora, non obtuſa, cuſpide ut Chamelææ, neque adeo fragilia, ſed mucronata, lenta, & gummoſum quiddam, ſi dentibus atterantur, præbentia.

Thymelææ ſuccus difficilius premitur & elicitur, quam Chamelææ, propter glutinoſum virus: nec niſi tepente affuſo vino aut conſimili quopiam liquore, ut factitant, dum ſuccum Braſſicæ marinæ educunt, quo quilibet uti poterit, eo modo quo Chamelææ ſuccus. Tunduntur tenella folia, flores, & diu & vehementer, ſæpiuſque tantillum tepentis vini affunditur inter tundendum, tunc prælo ligneo vehementius urgentur, dum trans colum expiret, tunc igne lento aliquandiu bullit, dum Loch craſſitiem acquirit, demumque Soli fervido objectum dureſcit, addito ſaccharo, ne muceſcat, ſicque coctum reconditur.

PLANTÆ CONSTANTES SALE NITROSO LAXANTE.

Acetabulum.
Alſine ſerrato folio glabro.
Alſine ſerrato folio hirſutiori.

Androſace.
Aſarina.
Attractylis lutea.
Auricula Urſi Myconi.
Balſamina lutea.
Been album officinarum.
Caryophyllus ſylveſtris vulgatiſſimus.
Cepæa.
Cineraria.
Convulvulus niger.
Cynocrambe.
Dorycnium.
Emerus.
Gramen nodoſum.
Gramen Triglochin.
Hedyſarum triphyllum Canadenſe.
Hieracium Echioides capitulis Cardui Benedicti.
Leontopodium Candiæ.
Medica ſylveſtris.
Muſcipula.
Nigellaſtrum.
Ornithopodium.
Onobrychis.

Phyllon

Phyllon Arrhegonon & Thelygonon.
Quadrifolium.
Quamoclit.
Tragum.

ACETABULUM.

Acetabulum juxta TOURNEFORTIUM eſt plantæ genus, foliis cavis, quaſi pelviformibus, in conum inverſum fere deſinentibus. Vitam agit ſub aquis concharum ſtriatarum gibbis ſcopuliſque innaſcens, ſtaminibus inſtar fili tenuibus, uncialibus & ſeſcuncialibus, quorum ſingulorum extremum excipit umbilicus clypeoli, circinatæ rotunditatis lineolis a centro creberrimis productis, ſtriati: color cinereus: ſapor ſalſuginoſus.

Acetabulum dicitur ab aceto, præſertim autem figura vaſis, in quo olim Acetum aſſervari ſolebat. Nominatur quoque Androsaces Matthioli. Fungus Petræus.

Duplex habetur Androſace major & minor.

Acetabulum marinum procerius. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2 g. 3. Androſaces petræ innaſcens vel major. C. B. Pin. 367. Androſaces. Matth. 897.

Acetabulum marinum minus. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2. g. 3. Androſaces Chamæconchæ innaſcens vel minor. C. B. Pin. 367. Androſaces, Cotyledon folioſum marinum. Lob. Icon. 387.

Petris atque Conchis in mari innaſcuntur.

Morsus

Virtute gaudet Acetabulum aperitiva; urinam movet, unde in Hydrope conducit. LOBELIUS ventrem ſiſtere novit.

ALSINE SERRATO FOLIO GLABRO.

Sunt Alſines ſerrato folio glabro I.B. folia parva, bina ſemper adverſa, nervis rubentibus interſecta, longiora quam latiora, ſerrata, ut Chamædryos vulgaris, glabra, breviſſimis pediculis appenſa.

Morsus Gallinæ Tertia Species, Alsine Chamædryfolia, Alsine Foliis Trissaginis. Hüner-Darm mit Gamanderlein-Blätter.

Veronicæ ſpecies eſt, nempe

Veronica floſculis oblongis pediculis inſidentibus Chamædryos folio. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 322. Alſine Chamædryfolia, floſculis pediculis oblongis inſidentibus. C. B. Pin. 250. Alſine ſerrato folio glabro. I. B. 3. 366. Alſine ſpuria altera. Dod. Pempt. 31.

Paſſim provenit, floret Martio & adhuc Junio & Julio, & aliquando tota hyeme & vere.

Ejusdem cum vulgari Alſine eſt facultatis.

ALSINE SERRATO FOLIO HIRSUTIORI.

Sunt Alſines ſerrato folio hirſutiori I. B. folia longiuſcula, minus profunde ſerrata, per longitudinem caulium alternatim crebra, foliola Thymi, quæ loculos bipartitos ambiunt, immediate hærentes.

Ad

Alsine Foliis Veronicæ Floribus Cæruleis. Hünerdarm mit Ehrenpreiß-Blättern.

Pertinet ad Veronicam.

Vero-

Veronica floſculis cauliculis adhærentibus. Moris. Hiſt. Oxon part. 2. 322. Alſine Veronicæ foliis, floſculis cauliculis adhærentibus C. B. Pin. 250. Alſine ſerrato folio hirſutiori, floribus & loculis cauliculis adhærentibus. I. B. 3. 367.

In editis locis & ſole illuſtratis, ſaxoſis, non cultis, parietibusque Neapoli oritur, floret Aprili.

Ad cruenta & vetera ulcera & vulnera ſananda mirifice confert. Scabiei & omnibus cutis vitiis medetur. Tumores diſcutit potiſſimum in cervice: contra tuſſim & vitia pectoris datur ſtillatitia aqua potanda. Jecinoris & lienis obſtructiones aperit, uterum renes & veſicam expurgat. Ad febres contagioſosque morbos trium drachmarum pulvis epotus cum Theriacæ drachma ex vino commendatur, ſi ſtatim operiatur, ut ſudet, æger.

ANDROSACE

Sunt Alſines affinis Androſaces dictæ majoris C. B. Pin. folia, humi expanſa, foliorum plantaginis æmula, ſed minora, trinervia, colore ex viridi palleſcente, in ambitu dentata, ilicis foliorum fere inſtar, mollia tamen, ſucculenta, guſtu aliquantulum acri.

Vir-

ANDROSACE quaſi ἀνδρὶ ἄκος φέρουσα, der andere Manns-Harniſch.

Eſt plantæ genus, flore monopetalo, hypocrateriformi & multifido, cujus infimam partem perfodit piſtillum, quod deinde abit in fructum globoſum, ipſo calyce partim involutum, apice dehiſcentem, & plurimis ſeminibus fœtum, placentæ affixis.

Androſace vulgaris latifolia annua. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 2 g. r. Alſine affinis Androſace dicta major. C. B. Pin. 251. Androſace Matthioli altera. I. B. 3. 368. Androſace altera Matthioli. Clus. Hiſt. CXXXIV.

Sponte

Sponte occurrit inter ſegetes, circa Viennam & thermas Badenſes florens Aprili. Colitur in hortis, floretque Majo.

Virtute gaudet aperitiva hæc planta atque diuretica, Hydropicis urinam ciet, conducit in retentione Urinæ. Uſurpatur in decocto vel cum vino. Exterius quoque uſurpatur ad podagram. Eædem virtutes adſcribuntur etiam ſemini.

ASARINA.

De hac ita LOBELIUS diſſerit, Aſarinam raro niſi locis montoſis & ſaxeis vidimus, in Galloprovinciæ, Delphinatus, & Narbonæ montoſis, cujus quidem perplures notæ ſunt, quæ Hederæ terreſtri conveniunt, proindeque nonnullis Hedera ſaxatalis dicitur.

ASARINA audit, quaſi planta ad Aſarum accedens, propter foliorum formam.

Aſarina eſt plantæ genus, flore monopetalo anomalo, tubulato, perſonato, Anthirrhini floris æmulo: ex cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam ſubrotundam, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam & ſeminibus fœtam placentæ affixis. Quare Aſarina definiri poteſt plantæ genus, Anthirrhini flore, & Linariæ fructu.

Aſarina Lobelii. Lugd. 915. Hedera ſaxatilis magno flore. C. B. Pin. 306. Aſarina Lobelii, flore Hederæ terreſtris. I. B. 3. App. 840. Aſarina ſive ſaxatilis hederula. Lob. Icon. 607. 'Ατρα-

Hanc urinam ciere ſcimus, inquit LOBELIUS, an alvum ducat compertum haud habemus: nec tamen inficias imus: nam huic forte uſu venit, quod de Aſaro aſſerunt. Si tenuiſſime teratur potu, lotium, ſin negligentius alvum & vo-

vomitum ducere dicitur. Cæterum habetur quoque planta vulneraria conveniens ad ulcera pulmonum & aſthma.

ATRACTYLIS LUTEA.

Sunt Atractylidis luteæ C. B. Pin. folia alternatim poſita, atrovirentia, nervoſa, in profundas & acutas ſpinoſas lacinias diſſecta, nullo donata pediculo.

Ἀτρακτυλὶς, ATRACTYLIS dicitur, quod ea antiquæ mulieres pro fuſo uterentur: ἄτρακτος enim fuſum ſignificat. Quare GAZA FUSUM AGRESTEM alii COLUM RUSTICUM appellarunt, recentiores quidam SYLVESTREM CARTHAMUM nominant. Wild Cardebenedicten/ Spindel/ Spillendiſtel.

Cnicus Atractylis lutea dictus. H L. Bat. Atractylis lutea. C. B. Pin. 379. Atractylis vera flore luteo. I. B. 3. 83. Atractylis. Dod. Pempt 736.

Naſcitur, teſte DODONÆO, in Creta, nonnullisque Græciæ provinciis ac inſulis & in Narbonenſi Gallia: Germanis ac Belgis hortenſis eſt. Sero admodum floret & ſemen maturat.

AURI-

Hujus plantæ radix, folia atque capitula virentia, avulſa aut reciſa quovis anni tempore, ab exortus initio ſeu germinatione prima ad florum usque productionem, ſanguineum ſuccum ſemper emittunt in venulis ſervatum, nam in carne aqueum vel virentem habent. In radice diſrupta aut caule reciſo venulæ circa corticem diſpoſitæ cruenta ſtilla emicante ſe produnt.

Gaudet virtute aperiente & ſudorifera præſertim in decocto exhibita. Aqua exinde deſtillata eandem cum aqua Carduibenedicti virtutem habet.

AURICULA URSI MYCONI.

Sunt Saniculæ Alpinæ foliis Borraginis villoſæ C. B. Pin. folia per humum repentia, Borragini quadantenus ſimilia,

in ambitu nonnihil laciniata, aſpera, rugoſa, craſſa, nervoſa, piloſa.

Auricula Urſi Myconi, Auricula Urſi Ex Pyrenæis,
a TOURNEFORTIO ad Verbaſcum refertur.
Verbaſcum humile Alpinum villoſum Borraginis flore & folio. Tourn. I R. H. cl. 2. ſ. 6. g. 8. Sanicula Alpina foliis Borraginis villoſa. C. B, Pin. 243. Auricula Urſi Myconi piloſa, cærulea. I. B. 3 App. 853. Auricula Urſi Myconi. Lugd. 837.
Verbaſcum humile Alpinum villoſum Borraginis flore albicante. Tourn. I. R. H. l. c. Sanicula Alpina foliis Borraginis, villoſa, flore albicante, H. R. Par.
Naſcitur in umbroſis montoſisque locis, nonnunquam etiam humidis. In Pyrenæis præcipue reperitur.

Aqua ex hac planta per organum vitreum deſtillata ad frangendum calculum in veſica ſive in renibus valde efficax eſt, id quod MYCONUS ſe experimento confirmaſſe aſſerit. Eadem aqua Hiſpani adverſus tuſſim utuntur.

BALSAMINA LUTEA.

Sunt Balſaminæ luteæ ſive Noli me tangere C. B. P. folia Cynocrambes latiora, obtuſiora, in ambitu ſerrata, molicella. Im-

Balsamina hæc vocatur Noli me Tangere, a ſemine, dum maturuit, levi contactu ex ſiliquis excuſſo, diſſiliente & terrorem quaſi incutiente. Herba Impatiens, quod ſiliquæ contactum renuant. Persicaria Siliquosa, Mercurialis Sylvestris. Wild Balſamkrauth/ Springkrauth/ Judenhüth lein.
Balſamina eſt plantæ genus, flore polypetalo anomalo. Is autem vel tetrapetalos vel hexapetalos. Floris tetrapetali petalum ſuperius

ſuperius fornicatum eſt, inferius concavum & caudatum, duobus lateralibus auritis & amplioribus. Floris hexapetali petalum inferius eſt caudæ expers. Piſtillum duobus foliolis ſtipatum floris meditullium occupat abitque deinde in fructum nunc ex utraque parte turbinatum, nunc ſiliquæ æmulum, ex pluribus veluti muſculis conſtantem, vi elaſtica hac illac diſſilientem, ſeminibusque fœtum axi ceu placentæ affixis.

Hic intelligitur

Balſamina lutea ſive Noli me tangere. C. B. Pin. 306. Noli me tangere I. B. 2. 908. Impatiens herba. Dod. Pempt. 659.

Oritur frigidis, humidis, umbroſis montium locis. Ad rivulos ex montibus decurrentes multa. Floret Junio.

Impatiens herba facultate fertur pernicioſa ac inter deleteria habenda juxta DODONÆUM, aliis id negantibus. Vulneraria eſt, vomitiones & ſeceſſus provocat, urinas ciet & calculum pellit: folia exhibentur in vino aut etiam extus imponuntur. Conducit in ſtranguria multum: Artus luxatos cum Agrimonia Agricolarum uſu reſtituit, referente SCHWENCKFELDT. Liquor ſtillatitius non tantum in urina cienda celebratur, ita ut copioſius hauſta vel diabetem inducat, ſed & podagricis & pedibus tumentibus competit.

BEEN ALBUM OFFICINARUM.

Sunt Lychnidis ſylveſtris, quæ Behen album vulgo C. B. Pin. folia oppoſita penitus glabra, cum dulcedine quadam acria affatim & obſcure amara.

Emol-

Μήκων ἀφρώδης, LYCHNIS SYLVESTRIS CANDIDA BEEN ALBUM ſive POLEMONIUM, HERBA ARTICULARIS, PAPAVER SPUMEUM LOBELII. Wandelkrauth.

Lychnis ſylveſtris quæ Been album vulgo. C. B. Pin. 205. Been album officinarum. I. B. 3. 356. Been album ſive Polemonium. Dod Pempt. 172.

Floret æſtate inter ſegetes.

Emollit fotu artus luxatos & nervos ſtupidos. Succus ophthalmiam calidam tollit & dolores oculorum mulcet. Semen pituitam purgat, comitialibus datur. Suppoſita ægris neſcientibus Criſin moliri vulgus credit.

CARYOPHYLLUS SYLVESTRIS VULGATISSIMUS.

Sunt Caryophylli ſylveſtris vulgatiſſimi I. B. folia graminea, viridia, ad genicula bina propter terram numeroſiora, cum floribus ſuave rubentibus, odore nullo excellente.

CARYOPHYLLUS SYLVESTRIS I. SCHWENCKFELDT, CARYOPHYLLEA SYLVESTRIS ſive TERTIA TRAGI. Feld Negelin / Donner-Negelin / Stein-Negelin / wild Negelin-Blumen / wild Graß Blumen / Heyden-Blümlein / Blutströpffle. ARMOIRES, ARMOIRIES.

Caryophyllus ſylveſtris vulgaris latifolius. C. B. Pin. 209. Betonica coronaria ſive Caryophyllus ſylveſtris vulgatiſſimus, I. B. 3. 334. Caryophyllus montanus. 1. Tabern. Icon. 287.

In pratis, montibus, nitidisque locis naſcitur; floret æſtate.

Κηπαία

Sativo Caryophyllo calidior cenſetur. Succus cum aqua Ononidis & florum Lilii convallium calculum atterit & comitialibus prodeſt.

CEPÆA.

Sunt Cepææ I. B. folia per terram ſparſa, ſucculenta, por-

portulacæ ſimiliā, minora, ſubrotunda, alia per caules, cubito proceriores, ramoſos, ex oblongo per extremum rotunda.

Κηπαία, Portulaca Sylvestris, Capernkrauth/welſch Harnkrauth/ Ackerburtzel.
Eſt ſpecies Sedi, nimirum
Sedum Cepæa dictum. H. L. Bat. Cepæa. I. B. 3. 679. Cepæa Matthiol. Clus. Hiſt. LXVIII.
Circa Monſpelium & Genevam ſponte oriri dicitur.

Folia in vino pota urinæ ſtillicidio & veſicæ ſcabie laborantibus opitulantur.

CINERARIA.

Sunt Jacobææ maritimæ C. B. Pin. folia quernis ſimilia, rarioribus fiſſuris minusque altis inciſa; quæ poſtmodum ad coſtam usque profundius dividuntur, digitali fere intercapedine ſegmenta laciniata intercedente, craſſiuſcula, inferius cinereo molli tomento una cum pediculo obſita, ſuperius atrovirentia, nitida, & nonnulla quoque lanugine fortuita obiter reſperſa, ſapore prædita parum grato.

Ægypti

Cineraria dicitur a ſubalbido cinerum quorumdam colore, quem refert Cinerariæ nomen, quæ a nonnullis Erigeron Marinum appellatur; Chrysanthemum Marinum, Eruca Cinerea.
Eſt ſpecies Jacobææ, videlicet
Jacobæa maritima. C. B. Pin. 131. Jacobæa marina ſive Cineraria I. B 2. 1058. Marina Jacobæa & Artemiſia marina Neotericorum ſive Cineraria. Lob. Icon. 227.
Sponte provenit in rupibus Genuenſibus.

Ægyptii, authore ALPINO, Artemiſia alba (quæ illi ACHAOUAM, CINERARIA & JACOBÆA MARINA vocatur) ad multa utuntur, quippe decoctum ex foliis paratum ad renum veſicæque calculos pollere ajunt, nec non ad ſanandas viſcerum antiquas obſtructiones, frigiditatem, ſtrangulationem, ſterilitatem, inflationem atque ad menſes interceptos revocandos, in inſeſſionibus.

CONVOLVULUS NIGER.

Sunt Convolvuli minoris ſemine triangulo C. B. Pin. folia ſingularia, triquetra, Atriplicis (ocymi TRAGO, id eſt fagotrici) nonnihil rubentia.

Olerum

CONVOLVULUS quoniam plantis circumvolvitur vocatur, CONVOLVULUS NIGER a ſemine triquetro, acuminato nigro. VOLUBILIS NIGRA, VOLUBILIS MEDIA, OROBANCHE GESNERI, OSPREOLOS, LEONTOBOTANUM, LEGUMEN LEONINUM, LEONIS HERBA. Tenia etiam dicitur, forſan a tenendo quod tenaci noxa obvolvat, cincinnisque vel cirris tanquam bracchiis ſtrictim amplexetur legumina, ut ea penitus ſtrangulet. Μαλακοκίσσος, ἑλξίνη κισσάμπελος, HELXINE CYSSAMPELOS ATRIPLICIS FACIE. Schwartze Winde/ Buchwinde / groſſe Winde / Windkrauth / LISERON NOIR.

Eſt ſpecies Fagopyri juxta TOURNEFORTIUM.

Fagopyrum vulgare ſcandens. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 2. g. 12. Convolvulus minor ſemine triangulo. C. B. Pin. 295. Helxine ſemine triangulo. I. B. 2. 157. Helxine Ciſſampelos altera Atriplicis effigie. Lob. Icon. 624.

Naſcitur incultis locis, arvis, vineis ſegetibus ac ſepibus; floret Junio & Julio.

CYNO-

Olerum imprimis leguminum peſtis & vitium, quæ circumvolutione ſua enecat & ſtrangulat. Tenia vocatur quoniã non facile extricari poteſt ideo græcæ agriculturæ authores remedia adverſus natales ejus exortus condiderunt. In arvis ut ajunt non prodibit, ſi in quatuor eorum angulis & medio Rhododaphnæ ramuli pangantur: hoc eodem remedio putant legumen omne a noxa vindicari. Qui volunt hanc frugum peſtem penitus aboleri, quinque teſtas creta depingunt Herculis effigiem Leonem ſtrangulantis referentes, & in quatuor agrorum angulis atque in medio collocant. DEMOCRITUS affirmat Orobanchen herbam confeſtim abigi, ſi mulier, quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus & nudo corpore gallum in manibus tenens aream circumeat. Sunt e græcis qui longa probarint expetientia, quæ ſerendo ſunt legumina galli cruore conſperſa nullam ab hac adverſante herba ſentire penitus injuriam eoque roratu a nocumentis tuta eſſe aſſerunt. Cavendum tamen ne, quæ ſementi deſtinantur legumina, bubulo cornu contingantur, ſic enim inania & caſſa vaneſcere produnt.

Referente SCHWENCKFELDT, alvum velut Atriplex lubricare creditur. Vulgus ejus decocto contra tormina ventris utitur. Aqua infantibus ad eosdem uſus propinatur.

CYNOCRAMBE.

Sunt Mercurialis montanæ C. B. Pin. folia, ad articulos binos oppoſita, læviſſima, lanuginoſa, foliis Mercurialis vulgaris ſimilia, tenera, duas aut tres uncias longa, inferiora tamen multo minora, acuminata, in ambitu ſerrata, guſtu nauſeoſo, odoris viroſi ingrati.

CYNOCRAMBE, BRASSICA CANINA, Κυνοκράμβη, λινόζωστις ἀγρία, CASTAGNARIA, CASTRANGULA, Hundsköhl/ Hundskrauth/ wild Bingelkrauth. CHOUE DE CHIEN, MERCURIALE SAUVAGE.

Eſt ſpecies Mercurialis eaque duplex, nempe

Mercurialis montana teſticulata. C. B. Pin. 122. Cynocrambe mas

mas ſive Mercurialis repens. I. B. 2. 979. Cynocrambe Mercurialis ſylveſtris. Dod Pempt. 659.

Mercurialis montana ſpicata. C. B. Pin. 122. Cynocrambe fœmina ſive Mercurialis repens. I. B. 2 979.

Humidis & opacis montium receſſibus paſſim obvia; floret Aprili & Majo.

In cibo oleris modo ſumpta gratior quam communis videtur, & alvum bene ſolvit.

DORYCNIVM.

Sunt Trifolii albi anguſtifolii, floribus veluti in capitulum congeſtis C. B. Pin. folia, ex intervallis terna quaterna, ſena, radiata, ſine pediculis adhærentia, oblonga, anguſta; alba lanugine pubeſcentia, Cluſio adſtringentis guſtus.

TRIFOLIUM ALBUM, DORYCNIUM HISPANICUM, DORYCNIUM MONSPESSULANUM.

Dorycnium eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam brevem, ſemine fœtam ſubrotundo. His notis addenda ſunt folia ad exortum usque multifida.

Dorycnium Monſpelienſium. Lob. Icon. 51. Trifolium album anguſtifolium floribus velut in capitulum congeſtis. C. B. Pin. 329. Dorycnium Monſpeſſulanum fruticoſum. I. B. 1. 388.

Calidis in regionibus provenit. In Saxoſis collibus & ad ſepes prope Monſpelium provenit. Reperitur tamen etiam alibi. Floret æſtate.

COLUTEA

Virtute hæc planta gaudet detergente & aperiente.

EMERVS.

EMERUS.

Sunt Coluteæ Scorpioidis C. B. Pin. folia alata, ſeptem aut novem uni coſtæ inhærentia, bina ſemper ex adverſo ſita, uno impari, extremam alam occupante, coluteæ foliis ſimilia, ſed minora, ſaturate virentia, ingrati admodum & amari ſaporis.

COLUTEA SCORPIOIDES, COLUTEA SILIQUOSA EMERUS. Schaffen-Linſen mit Scorpions Krautſchöttlein.

Emerus eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtilium, quod deinde abit in ſiliquam tenuem, ſeminibus fœtam fere cylindraceis.

Emerus. Cæſalp. 117. Colutea Scorpioides ſive ſiliquoſa major. C. B. Pin. 397. Colutea Scorpioides. 1. elatior. Clus. Hiſt. 97.

Emerus minor. Tourn. I. R. H. cl. 22. ſ. 3. g. 3. Colutea ſiliquoſa minor C. B. Pin. 397. Colutea ſcorpioides humilis. I. B. 1. 382. Colutea ſcorpioides 1. humilior. Clus. Hiſt. 97.

Prior ſpecies in collibus circa Genevam Monſpelium & Salernum ſpontanea obſervatur; altera ſponte naſcitur in vicinis Viennæ montibus, & nonnullis Pannoniæ montanis locis.

Colitur utraque in hortis; floret Majo & Junio.

GRAMEN

Folia hæc dicuntur gaudere virtute laxante.

GRAMEN NODOSUM.

Sunt Graminis nodoſi avenacea panicula C. B. Pin. folia, culmum ad alterum fere nodum involventia, quæ inde dilatata abſcedunt, ſeſcunciam fere lata, palmum longa glabra.

Herba, inquit MARCELLUS, quæ gramen dicitur nodo

rum 27. ex vino ad medias decocta & expreſſa atque colatâ. potuique ſtranguriosſo ex vini cyatho uno mixto data, adeo potenter ſuccurrit, ut ubi ſine tormento urinam facere cœperit, dari non oporteat: ſed febricitantibus ex aqua ſola dabitur.

GRAMEN TRIGLOCHIN.

Sunt folia graminis juncei, ſpicati ſeu Triglochinis C. B. Pin folia tenuiſſima, glabra, palmaria, interdum majora, tria aut quinque ſtatim a radice oriunda, perangusta, plana.

GRAMEN TRIGLOCHIN dicitur etiam JUNCAGO, quoniam etiam de Junco participat. Binßengraß.

Juncago eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante; ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, in baſi dehiſcentem, ex tribus vaginulis compoſitum, quæ ſingulæ ſemen complectuntur ſingulare, oblongum.

Juncago paluſtris & vulgaris Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 6. g. 7. Gramen junceum ſpicatum Triglochin. C. B. Pin. 6. Gramen Triglochin. I. B. & Hyacinthi parvi facie Gramen Triglochin. 2. 508. Gramen marinum ſpicatum alterum. Lob. Icon. 17.

In paluſtribus frequens habetur.

TRI-

Virtute gaudet aperitiva per vias urinarias, alvum autem adſtringit.

HEDYSARUM TRIPHYLLUM CANADENSE.

Sunt Hedyſari triphylli Canadenſis Corn. folia initio quidem

dem rubentia, quæ tandem atrovireſcunt & trifolii aſphaltitis more dividuntur, inodora, saporis, ſi ſiccata fuerint, ſubacris.

TRIFOLIUM ASPHALTITES CANADENSE quorumdam appellatur, quibusdam GALEGA AMERICANA vocatur.

Hedyſarum triphyllum Canadenſe. Corn. 44. Onobrychis major perennis Canadenſis, triphylla, ſiliculis articulatis, aſperis triangularibus. Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. 130.

In ſylvis naſcitur in America ſeptentrionali. Colitur in hortis, floret Julio.

De uſu hujus plantæ ita CORNUTI loquitur. Purgantium potiuncularum decoctis addita ℥j pondere, catharticorum vim promovet, non tenues ac ſeroſos ſolum, ſed viſcidiores etiam humores educendo Incocta atque appoſita frigidiorum tumorum concoctioni maxime conducit.

HIERACIUM ECHIOIDES CAPITULIS CARDUI BENEDICTI.

Sunt Hieracii Echioidis capitulis Cardui benedicti C. B. Pin. folia Bugloſſæ ſinuoſa, longa multo, magis ſpinis minacibus horrida.

HIERACIUM ECHIOIDES, BUGLOSSUM LUTEUM, BUGLOSSUM ECHIOIDES LUTEUM. Habichkrauth / geel Ochſenzung genant.

Hieracium Echioides, capitulis Cardui benedicti. C. B. Pin. 128. Hieracium capitulis Cardui benedicti, maximum, Bugloſſum Echioides quibuſdam. I. B. 2. 1028. Bugloſſum Echioides luteum Hieracio cognatum. Lob. Icon. 577.

Ad agrorum margines inque ſepium aggeribus, non raro & in cæduis ſylvis, ſponte oritur. Colitur quoque in hortis.

Uſurpatur pro olere in cibo, ventrem mollire creditur.

LEONTOPODIUM CANDIÆ.

Sunt Holoſtei ſeu Leontopodii Cretici C. B. Pin. folia pedalia fere, Plantaginis Alpinæ anguſtifoliæ, vel potius ſeſamoidis minoris, ſine tamen laciniis, tota villoſa.

Eſt ſpecies plantaginis nempe
Plantago Cretica minima tomentoſa, caule adunco. Tourn. Cor. I. R. H. Holoſteum ſive Leontopodium Creticum. C. B. Pin. 190. Leontopodium. P. Alpin. Exot. 114.

Utuntur hac herba vulgariter ad ſolvendos, quos putant ex maleficio Venere uti non poſſe: nam herba ſuper prunas poſita, ter patientem nudum per fumum tranſire faciunt, & totidem vicibus induſium ejus fumigant, & ſine dubio liberum a maleficio fore prædicant.

MEDICA SYLVESTRIS.

Sunt trifolii ſylveſtris lutei ſiliqua cornuta C. B. Pin. folia terna, anguſta, oblonga, ſupremo margine veluti corroſa.

TRIFOLIUM LUTEUM MEDICÆ SIMILIS, MEDICA LUTEA.

Ad Medicam a TOURNEFORT O refertur
Medica ſylveſtris floribus croceis. I. B 2 383 Trifolium ſylveſtre luteum ſiliqua cornuta vel Medica fruteſcens. C B. Pin. 330. Medica flavo flore. Cluſ. Hiſt. CCXLIII.
Floret Julio in declivibus & inter ſegetes quandoque.

Mu-

Calida eſt hæc planta, ſubacris, ſapore ſcilicet nitroſo, tenuiumque partium juxta GESNERUM. MU-

MUSCIPULA.

Sunt Lychnidis viſcoſæ purpureæ aut albæ latifoliæ lævis C. B. Pin. folia, ad ſingulos nodos cauli adnaſcentia bina oppoſita plurimum ſurrecta, Been albi officinarum, ſapore fere oleraceo, magis nitroſo, colore glauco.

MUSCIPULA quoniam muſcæ ejus glutini adhærentes capiuntur. VISCARIA SATIVA, MUSCARIA. Zam Leimkrauth.

Lychnis viſcoſa purpurea, latifolia lævis. C. B. Pin. 205. Centaurium minus adulterinum quibusdam, Lychnidis viſcidæ genus. I B. 3. 355. Lychnis ſylveſtris. 1 Clus. Hiſt. 288.

Lychnis viſcoſa alba, latifolia, lævis. C. B. Pin. 205. Muſcipula flore albo. Eyſt.

Floret Junio & Julio in viridariis.

ORNI-

Virtute hæc planta gaudet detergente & conſolidante. Laudatur ad morſus & puncturas animalium venenatorum.

NIGELLASTRUM.

Sunt Lychnidis ſegetum majoris C. B. Pin. folia, culmum plus minus lata, longitudine palmari & ſequipalmari, piloſa, bina ex geniculis oppoſita.

Lolii facultates huic herbæ quosdam tribuere refert FUCHSIUS. Et hinc mirifice eam ſanandis impetiginibus aliisque ſcabiei generibus commendari; item vulneribus glutinandis ac fiſtulis curandis compeſcendoque ſanguini ejus eſſe uſum tradunt. Cum ſtercore columbino & ſemine Lini vino permixta ſtrumas digerit, aliosque duros tumores maturat ac reſolvit. Ad pannos & alia oculorum ſugillata quoque a quibusdam commendatur hæc herba, cum melle virgineo illita.

ORNI-

ORNITHOPODIUM.

Sunt Ornithopodii majoris C. B. Pin. folia pinnata, dimidio minora quam Lenticulæ.

ORNITHOPODIUM, ab ὄρνις avis & πȣ̃ς pes, Avis pes, quoniam ſiliquæ hujus plantæ pedibus Avium ſimiles quadantenus ſunt. PIE D'OISEAU.

Ornithopodium eſt plantæ genus, flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam falcatam, articuloſam plerumque undulatam, in ſingulis articulis ſemine fœtam ſubrotundo. His notis addendum eſt ſiliquas Ornithopodii plures ſimul naſci, aviumque pedes quodammodo æmulari.

Ornithopodium majus. C. B Pin. 350. Ornithopodium flore flaveſcente. I. B 2. 350. Ornithopodium. Dod Pempt. 544.

Naſcitur in arvis ſegete potiſſimum demeſſa; reperitur & locis incultis, veluti in collibus pratisque ſiccis & apricis ac ſecus vias.

Gaudet hæc planta virtute aperitiva, attenuat, urinam & calculos ex renibus & veſica pellit. Externe adhibetur ad Hernias.

ONOBRYCHIS.

Sunt Onobrychis Dod. folia conjugatim diſpoſita, Lentis, inferius magis albicantia & piloſa, ſuperius viridantia magis.

Multam

ONOBRYCHIS a vocibus Græcis ὄνος aſinus & βρύχω rudo, quod ea depaſta aſini rudere ſoleant: CAPUT GALLINACEUM, POLYGALON GESNERI, POLYGALA VERA DALECHAMPII, POLYGALA RHÆTICA, Hahnen-Kopff / wild Hopffen-Krauth. SAINT FOIN.

Eſt

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam veluti criſtatam, quandoque echinatam, ſemine fœtam reniformi. His addendum eſt flores in ſpicam denſam naſci.

Provenit hinc inde. Seritur pro jumentorum pabulo.

Multam ex ejus eſu vaccis & aliis animalibus lactis copiam contingere compertum eſt, unde Polygalon merito GESNERO dicitur. Solo gaudet ſterili & cretaceo aut ſicciore nec graminis neque frumenti admodum feraci. Secatur ſingulis annis ter, cum adolevit & corroborata eſt pecori gratiſſimum pabulum.

Rarefaciendi & digerendi vim obtinet, detergit quoque atque aperit & ſudorem ciet, ſive externe ſive interne uſurpetur.

PHYLLON ARRHENOGONON & THELYGONON.

Sunt folia Phylli Cluſ. oblonga, ſubrotunda, craſſiuſcula, nervoſa, mollia, lanuginoſa, incana.

Arrhe-

φύλλον, ἐλαιόφυλλον, welſch Bingelkrauth.

Ad Mercurialem a TOURNEFORTIO refertur; duplexque eſt Φύλλον ἀῤῥενογόνον, PHYLLUM MARIFICUM, welſch Bingelkraut das Männlein / & φύλλον θηλυγόνον PHYLLUM FOEMINIFICUM.

Mercurialis fruticoſa incana teſticulata. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 6. g. 3. Phyllon teſticulatum. C. B. Pin. 122. Phyllon Arrhenogonon, folio incano Monſpeſſulanum. I. B. 2. 981. Phyllum maniticum. Cluſ. Hiſt. XLVIII.

Mercurialis fruticoſa incana ſpicata. Tourn. l. c. Phyllon ſpicatum, C. B. Pin. 122. Phyllon Thelygonon folio incano Monſpeſſu-

ſpeſſulanum. I. B. 2. 981. Phyllon fœminificum. Clus. Hiſt. XLVIII.

Naſcitur utraque planta multis Hiſpaniæ & Galliæ locis, ubi Aprili, interdum etiam maturius floret.

Arrhenogoni potu maſculi ſexus fieri partus, ut Thelygoni fœminei, THEOPHRASTUS & DIOSCORIDES ſcriptum reliquere. Salmanticenſes utriusque decoctum, quibuscumque animalibus à rabido cane demorſis propinabant; magno, ut inquiebant, ſucceſſu. Granatenſibus, Mauritanis præſertim ad muliebres morbos frequenter in uſu erat.

QUADRIFOLIUM.

Snnt quadrifolii hortenſis albi C. B. Pin. folia, ſupina, ſuperficie colore nigro purpureo tincta, quatuor non raro in eodem pediculo naſcentia.

QUADRIFOLIUM ALBUM dicitur ratione floris, ratione autem foliorum dicitur QUADRIFOLIUM FUSCUM, LOTUS QUADRIFOLIA, vierblätterichter Steinklee/ TREFFLE a QUATRE FEUILLES.

Eſt ſpecies trifolii, nempe

Trifolium phæum fuſcum luxurians, quaternis, quinis & ſenis foliis. Moriſ. Hiſt Oxon. part. 2. 135. Quadrifolium hortenſe album. C. B. Pin. 327. Quadrifolium phæum fuſcum hortorum. Lob. Icon. 33. Trifoliis affine quadrifolium phæum. Lobelii. I. B. 2. 380.

Locis umbroſis provenit, colitur in hortis.

JASMI-

Virtute gaudet detergente humectante & refrigerante. A matronis nobilibus ſummo ſtudio colitur in hortis pro præſentaneo remedio purpureæ puerorum febris. Adhibetur in decocto.

QUAMO-

QUAMOCLIT.

Quamoclit I. B. planta eſt anadendras foliis prodiens oblongis, & latiuſculis, initio binis ſibi invicem connatis, quæ diu durant etiam ſeſe perticæ involvente jam ipſa planta, reliqua folia myriophyllo alteri apud Matthiolum ſimilia ſunt, ac tenuia admodum, ut convolvulus tenuifolius vocari poſſit. Sapor ipſius herbæ eſt ſubdulcis & modice nitroſus.

Jasminum Folio Millefolii, Jasminum Indicum Rubrum Myriophylli Folio, Jasminum Americanum, Gelseminum Indianum Pennatum Flore Sanguineo, Convolvulus Pennatus Exoticus.

Quamoclit eſt plantæ genus flore monopetalo infundibuliformi & multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, ſeminibus fœtum utplurimum oblongis: a Convolvulo differt floris forma.

Quamoclit foliis tenuiter inciſis & pennatis Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 1. g. 1. Convolvulus pennatus exoticus, Quamoclit. Col. part. 1. LXXIII. Quamoclit. I. B. 2. 177.

Sponte naſcitur in America, colitur in hortis, floret Auguſto.

Τράγος

Virtute gaudet aperitiva.

TRAGUM.

Sunt Tragi ſpinoſi Matthioli ſive Kali ſpinoſi I. B. folia, per caules craſſos, ſucculentos atrovirentes, multis alis bracchiatos crebra, longitudinis uncialis, craſſa ſalſuginoſo ſucco prægnantia, in aculeum rigidum pungentem deſinentia.

Τράγος, σκόρπιον τράγανος, TRAGUS, TRAGON MATTHIOLI. Meerſtachelkrauth/ Scorpionkrauth.

Eſt ſpecies Kali, nempe

Kali ſpinoſum, foliis longioribus & anguſtioribus. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 14. Tragus ſpinoſus Matthioli ſive Kali ſpinoſum. I. B. 3. 706. Tragon Matthioli. Lob. Icon. 797.

In locis maritimis regionum calidiorum provenit.

ABUTILON

Gaudet virtute aperitiva & diuretica, laudatur ad calculum & ſabulum.

PLANTÆ CONSTANTES PARTICULIS AQUOSIS CRASSIS.

Abutilon.
Aloe Americana.
Aloe paluſtris.
Alſine triphyllos cærulea.
Amaranthus globoſus.
Anacampſeros minor.
Aralia.
Aſperugo.
Balſamina fœmina.
Borrago ſylveſtris
Braſſica campeſtris.
Braſſica maritima.
Bugloſſum folio Borraginis Hiſpanicum.
Campanula Perſicifolia.
Carduus pratenſis.
Cauda murina.
Chondrilla.
Cichorium Verrucarium.
Damaſonium.
Echinopus.
Ephemerum Matthioli.
Epimedium.
Geranium triſte.

Glaux.

Glaux.
Gramen floridum.
Lactuca marina.
Lactuca ſylveſtris.
Lactuca ſylveſtris odore viroſo.
Lapathum acutum criſpum.
Lentibularia.
Linum ſylveſtre.
Lychnis coronaria.
Lyſimachia Chamænerion.
Malva criſpa.
Medica.
Melochia.
Millefolium aquaticum pennatum.
Morſus Ranæ.
Opuntia.
Papaver ſpinoſum.
Papyrus.
Pinguicula.
Potamogeton.
Rapiſtrum.
Sabdariffa.
Sedum Africanum foliis orbiculatis.
Sedum minus.
Sedum minus teres.
Sedum ſerratum.
Sedum Tridactylites tectorum.
Solanum verticillatum.
Vermicularis.
Viola aquatica.

ABUTILON.

Sunt folia Althææ Theophraſti flore luteo C. B. Pin. ex caule foris tomento molli toto obſito, & pingue quid attrectantibus manibus illinente, nullo ordine nata, lanugine incana & inſigniter molli obducta.

 Emollit

ABUTILON vocatur etiam MALVA ITALICA LUTEA, ALTHÆA FLORIBUS LUTEIS, MALVA vel ALTHÆA THEOPHRASTI, welſche gelbe Papplen / Sonnen-Papplen. ABUTILON.

Abutilon eſt plantæ genus flore Malvæ, fructu vero capitellum quodammodo referente, e plurimis vaginulis conſtante, axi ita circumhærentibus, ut ſingulæ ejus ſtriæ capſulam ſuam quaſi articulatione quadam excipiant, bivalvem, ſeminibus fœtam non raro reniformibus.

Abutilon. Dod. Pempt. 656. Althæa Theophraſti flore luteo. C. B. Pin. 316. Althæa Theophraſti flore luteo quibusdam Abutilon. I. B. 2 958.

Colitur in hortis, copioſe occurrit in Italia: floret Julio & Auguſto & ſerius.

ALOE

Emollit hæc planta, glutinat atque conſolidat vulnera. Concordat cum althæa. Semen adhibent contra dolores calculorum. Exhibent ad ʒj. usque ex vino. Turcis in uſu eſſe ad ſomnum conciliandum pondere ℥j. refert CAMERARIUS IN HORT. Med. addens eos, ſi rurſus aliquem velint excitare nares aceto fricare.

ALOE AMERICANA.

Sunt Aloes folio in oblongum aculeum abeunte C. B. Pin. folia, viſu peramœna, ſex pedes plus minus longa, in ima parte quandoque pedem craſſa, atque inde ad ſupremum ſeſe magis magisque diminuentia, parumper in ſummitate flexibilia, natura tamen ſemper nonnihil arcuatim recta ſurſum vergentia, in imo pedem & ultra lata, ibique latiſſima atque ſua craſſitie triangularem quaſi rotunditatem comprehendentia, deinde multo anguſtiora, tum demum in medio latiora, tandemque in acutum mucronem deſinentia, canali-

naliculatim diſpoſita, mutuo ſeſe amplectentia, ſucculenta, guſtu parum amara, acida atque acria, marginibus tenuibus planis, quibusdam tamen prominentiis undulatim diſpoſitis exornatis, quibus variæ innaſcentes, parvæ, tenaces acutiſſimæ lata baſi donatæ, tam recta tendentes, quam in hanc vel illam partem ſeſe incurvantes, coloreque ex obſcuro rubeſcentes ſpinulæ conſpiciuntur, prædita; omnia tamen in mucronibus ſpina quadam maxima, ultra articulum longa, firmiſſima, tenaciſſima, acutiſſima, horrida, atque colore ex obſcuro ſpadiceo fulgente obſita, donata, externe colore e viridi cæruleo quaſi lurida, vel pellicula quadam (qua ſublata gratiſſima foliorum viriditas herbacea cernitur) tuliparum inſtar e viridi cineracea parchamenacea tenui, præcedentium etiamnum impreſſa foliorum faſtigia, ſpectabili miraque ſerie diſpoſita, diu retinente tecta, interne vero omnino alba, atque innumerabili alborum ibidem rotundorum, tenuium, tenaciſſimorumque filamentorum varias in tenuiſſimas partes crinium inſtar facile diviſibilium, nec non prædictæ ſpinæ mucronatæ maximæ inhærentium multitudine prædita.

Aloe Americana. Aloe Mucronato Folio Americana ſive Spinosa. Ab Indis Metl, Mangey vel Allaguey, ab Hiſpanis vero Cardon, ob aculeorum pungentium multitudinem, & Hylo y Aguja, quod filum denotat & acum, quod extremæ ac maximæ foliorum ſpinæ acus, filamentoſæ vero interiores fibræ filorum vicem præbeant a Franciſco Hernandez, novi quondam orbis Medico Quametl ſive Mguei Montanum dicitur.

Aloe Americana folio in oblongum aculeum abeunte. C. B. P. 286. Aloe Americana muricata. I. B. 3. 701. Aloe ex America. Dod. Pempt. 359. Aloe Americana florida. Ald. Hort. Farn. 94.

In horto noſtro Academico Argentoratenſi quoque excolitur

Aloe Americana muricata limbo eleganter ex pallido flaveſcente.

Hæc planta vera eſt orbis Americani indigena, exinde in Hiſpaniam translata, nunc in plurimis hortis ornatus & curioſitatis gratia colitur ſpecioſa hæc Aloes. Gratulatus mihi quam maxime fui, quod eo ipſo anno, quo officium Profeſſoris Botanici obire cæpi, flores ſuos multorum cum admiratione imo ſtupore oſtenderit, cujus hiſtoriam hac occaſione tradere non omnino injucundum erit.

Anno, ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, vigeſimo in horto Medico Argentinenſi Aloe Americana, annos circiter quadraginta aut quinquaginta agens die 3. Maji horis matutinis certum indicium futuri floris præbuit, dum antecedente nocte folia interiora ab invicem ſeceſſerunt, & caulis initium conſpiciendum præbuerunt. An cum fragore & ſtrepitu diſſilierit, ut quidam volunt, aſſeverare non poſſumus, cum nemo in horto ea nocte adſtiterit. Quamprimum itaque rara hæc curioſitas Univerſitatis Proceribus denunciata fuit, ii omnes tulere ſuppetias, ut mihi licuerit adeo eſſe felici ſpectaculum hoc ſtupendum toti urbi & multis exteris integrum & perfectum conſpiciendum præbere. Ita autem excrevit.

A die prædicto usque ad diem vigeſimum quartum caulis altitudinem nactus eſt quinque pedum & octo pollicum. Die 25. Maij crevit 6. digitos, quos & die 26. adhuc adæquavit. Die 27. caulis auctus 10. digitis. d. 28 8. pollices attigit. Die 29. altitudo 7. digitis augmentata fuit. Die 30. idem augmentum ſumſit. Die 31. octo pollices additi fuere. Die 1. Junii circa meridiem caulis erat decem pedum. Die 2. ad octo pollices excrevit. Die 3. idem augmentum obtinuit. Die 4. auctus eſt caulis ſeptem digitis. Die 5. acceſſerunt ſex pollices, die 6. eodem modo auctus eſt caulis. Die 7. crevit quinque digitos: die 8. idem acceſſit augmentum. Die 9. augmentum erat trium tantummodo digitorum. Die 10. nonniſi duobus digitis adauctus fuit, ut & die 11. Die 12. augmentum obſervabatur trium pollicum. Die 13. accedebant quatuot digiti, id quod etiam die 14. contingebat. Die 15. crevit tres digitos. Die 16. augebatur caulis quatuor digitis. Simile augmentum die 17. obſervatum fuit. Altitudo jam caulis erat ſedecim pedum & duorum pollicum. Die 18. acceſſerunt tres digiti. Die 19. totidem & die 20. etiam totidem. Die 21.

caulis

caulis augmentum quatuor pollicum obtinuit; quale etiam die 22. notatum fuit. Acceſſerunt die 23. quinque digiti & etiam totidem die 24. Die 25. crevit quatuor pollices & ſimiliter die 26. die 27. die 28. & die 29. ſingulis diebus augmentum ſe habuit. Die 30. tres in augmento numerati fuerunt pollices; & totidem acceſſerunt die 1. Julii, quo tempore altitudo caulis a baſi, ubi ex terra exibat, erat viginti pedum cum 7. pollicibus. Die 2. crevit quatuor digitos & totidem die 3. Die 4. augmentum fuit 3. digitorum, quale continuabat die 5. & 6. Dies 7. 8. & 9. quilibet dedit quatuor pollices. Die 10. acceſſerunt. 3. pollices die 11. 12. 13. 14. & 15 ſingulis diebus augmentum fuit 4. digitorum. Die 16. 17. & 18. ſingulis diebus acceſſerunt tres digiti. Die 19. & 20. quolibet augmentum tantummodo fuit. Die 21. 22. 23. 24. 25. 26. acceſſerunt ſingulis diebus nonniſi duo pollices. Die 27. 28. 29. 30. & 31. quovis die augmentum erat unius pollicis. Die 1. Auguſti acceſſit altitudini pollex unus & die 2. pollices duo in augmento numerati fuere. Die 9. Auguſti altitudo caulis univerſa erat pedum viginti & octo cum dimidio.

Die 13. Junii primus in altitudine tredecim pedum circiter proſiliit, die 17. cernebantur quinque rami, Die 24. obtinebat decem ramos. Die 28 aderant rami duodecim. Die 1 Julii numerabantur quindecim rami. Die 6. conſpiciebantur rami viginti. Die 12. propullarant rami viginti & quinque. Die 16. triginta ſpectandos ſe præbebant rami. Die 2. Auguſti quadraginta tandem rami excreverant, cui poſtea adhuc unus acceſſit Poſtquam defloruerat caulis ramorum diſtantia atque longitudo ſequens deprehendebatur. Primus ramus a baſi diſtabat 13. ped. & 9. digit. longus erat unum pedem & novem digitos. Secundus a primo diſtabat 1. ped. longitudo erat. 2. ped. 4. dig. tertius diſtabat. 4. dig. long. 2. ped. 4. dig Quarti diſtantia erat, 9 dig. longitudo 2. ped. 4. dig. Quintus diſtantiam obtinebat 7. poll. longitudinem 2. ped. 9. dig. Sextus diſtans erat 5. dig. longus 2. ped. 9 dig. Septimus diſtabat 7. poll. longus erat 2. ped. 5 dig Octavi diſtantia erat 7. dig longitudo 2. ped. 2. poll. Noni 6. dig. diſtantis longitudo cernebatur 2. ped. 9. dig. Decimus diſtantiam obtinuit 5. dig. longitudinem 2 ped. 10. dig. Undecimus diſtabat 7 dig. longus erat 2. ped. 8 dig Duodecimi 7. dig. diſtantis a præcedenti longitudo deprehendebatur 2 ped. 10. poll. Decimus tertius diſtabat 6. dig longus erat 2 ped 7. dig. Decimus quartus diſtare obſervabatur 8. dig. longitudinem obtinebat 2. ped. 7. poll. Decimi quinti

di-

diſtantia erat 10. dig. longitudo 2. ped. 7. dig. In decimo ſexto diſtantia erat 7. dig. longitudo 2. ped. 6. dig. Decimus ſeptimus diſtans erat 5. dig. longus vero 2. ped. 5. poll. Decimus octavus diſtabat 8. dig. longitudo ejus erat 2. ped 4. poll. Decimi noni diſtantia obſervabatur 7. dig. longitudo vero 2. ped, 4. dig In vigeſimo diſtantia deprehendebatur 7. dig. longitudo 2 ped. 4. dig. Vigeſimus primus diſtans hinc erat 5. dig. longus 2. ped. Vigeſimus ſecundus diſtabat 6. dig longitudinem habebat. 1. ped. 11. poll. In vigeſimo tertio diſtantia erat. 6. dig longitudo. 1. ped. Vigeſimus quartus diſtabat 4. dig. longus erat 1. ped. 8. dig. Vigeſimus quintus diſtantiam obtinebat 5. dig. longitudinem 1. ped 6 dig. Vigeſimi ſexti diſtantia erat 5. dig. longitudo 1. ped 5. dig. In vigeſimo ſeptimo diſtantia obſervabatur 5. dig. longitudo 1. ped. 4. poll. Vigeſimus octavus hinc diſtabat 4. poll. longus erat 1. ped. 4 poll. Vigeſimi noni diſtantia erat 5. poll. longitudo 1. ped. 3. dig. Trigeſimi 5. dig. diſtantis longitudo deprehenſa fuit. 1. ped 4 dig Trigeſimus primus diſtans erat 4. poll. longus 1. ped. 3. dig. Trigeſimi ſecundi diſtantia erat 3. dig. longitudo 1 ped. Trigeſimus tertius diſtabat 5. poll. longus erat 4. ped. Trigeſimus quartus diſtans obſervabatur 3. dig. longus 1. ped. Trigeſimus quintus diſtantiam obtinebat 3. dig. longitudinem 9. poll. Trigeſimus ſextus diſtare obſervabatur 3. poll. longitudo cernebatur 8 poll. Trigeſimus ſeptimus diſtabat 3. dig. longitudinem obtinebat 7. poll. Trigeſimum octavum diſtantem deprehendebamus 2. dig. longum 6. dig. In trigeſimo nono diſtantia erat $1\frac{1}{2}$. dig. longitudo $4\frac{1}{2}$. poll Quadrageſimus diſtabat hinc 1. dig. longus 3. poll. Tandem quadrageſimi primi diſtantia erat 1. dig. longitudo $2\frac{1}{2}$. dig. Rami formam calami, qualem candelabrum penſile aut potius quod parietibus affigi ſolet, incurvati repræſentabant. Scapum verſus nempe deorſum incurvabant ſe ſenſim, extremitatibus vero ſurſum ſe ferentes, habebant utriculos floriferos inſtar digitorum in manu erectos; alii plures, alii pauciores. Folliculi tandem ab anguſtis in latitudinem ſe laxantes flores prodiderunt; Florem primum decimus tertius menſis Auguſti dies conſpiciendum præbuit. Defloruit autem totaliter die vigeſimo primo inſequentis Septembris. Flores erant liliacei monopetali veluti tubulati in ſex partes ſecti colore pallido virides, cum ſtaminibus apices colore luteolo reſplendentes ſuſtinentibus. Ipſi flores odore non vigebant, aſt ſuccus dulcis, qui in floris tubulati fundo reperiebatur vix non paucarum horarum ſpatio in talem abiit putrilaginem, ut deli-

delicatioribus præſertim fœtore ſuo nauſeam moveret. Florum numerus ad ſex mille trecentos & ſeptuaginta tres flores excurrebat. Circa caulem notandum ipſum ad baſin habuiſſe craſſitiem 8. circiter digitorum in medio 4. dig. in apice vero unum.

Poſtquam defloruit ſucceſſive marceſcendo emortua eſt tota planta relicta unica ſobole ex radice propullulante. Ut autem ſpectatoribus ſpecioſa hæc planta melius conſpicienda atque examinanda exhiberetur, acceſſus per ſcalas in domuncula affabre concinnata, facilitatus fuit. Ut autem curioſis anſa exhibeatur de inæquali caulis accretione judicium ferendi, ideo haud inconſultum duxi ſi ſimul obſervationes Barometrales & Aeris conſtitutionem concernentes, quas cognatus meus DN. JOH. HAHN, Med. Dr. & Practicus celeberrimus, eo tempore fecit, hic ſubnecterem.

Barometri altitudo.				1720. Obſervationes Barometrales a 12. Maij coeptæ atque ad 12. Septembr. continuatæ.
Dies.	Mane	Veſperi.	Venti	Aëris conſtitutio.
12.	gr. 8. inf.	9. ſup.	W.	Pluvia tenuis per totum fere diem decidit.
13.	9. med.	10. ſup.	W.	Eadem aëris tempeſtas.
14.	10. ſup.	---	W.	Uti die heſterno.
15.	----	11. med.	W. S W. S. Veſperi NW.	Toto tempore matutino pluit, veſpertino vero pluere ceſſavit, coelo permanente obſcuro.
16.	11. ſup.	12. med.	W. N.	Coelum ante meridiem nubilum exiſtens, poſt meridiem varium, veſperi vero a nubibus depuratum apparet.
17.	12. ſup.	----	NO. NW. NO.	Eadem profuſus aëris conſtitutio, qualis heſterna.
18.	----	12. med.	W. N. O.	Cœlum a nubibus ubique fere depuratum apparet.

Dies:	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio:
19.	12. med.	11. ſup.	O. S.	Coelum tempore matutino ſerenum, poſt meridiem vero nubilum exiſtit.
20.	12. inf.	12. ſup.	W. N. O.	Coelum mane clarum apparens, mox nubilum redditur; Circa meridiem pluvia tenuis; Veſperi vero nubes iterum diſparuere.
21.	13. inf.	12. ſup.	N. NO.	Vagantur hinc inde nubes: Poſt horam 4 veſpertinam orta eſt tempeſtas cum pluvia larga per 2. horas continuans, inſequens nox vero iterum clara fuit
22.	12 med.	11. ſup.	N.	Nubes craſſiores hinc inde; apparent; inſequente ſerenitate.
23	11. inf.	----	W.	Coelum exiſtit obſcurum: Verſus II. matutinam orta eſt tempeſtas, tonitru & fulgure permixta. Circa Solis occaſum pluvia mediocris rediit.
24.	12. med.	13. inf.	W. NW. N.	Coelum mane nubilum apparens, veſperi inclaruit.
25.	12. med.	12. ſum.	O. S.	Nubes hinc inde vagantur: quoad maximam tamen partem coelum eſt clarum atque æſtuoſum.
26.	12. ſum.	13. ſum.	O. S.	Serenitas continuat: Poſt meridiem vero verſus 5. orta eſt tempeſtas cum tonitru, fulgure & pluvia larga. Nox obſcura.
27.	14. med.	14. ſum.	W. SW O.	Coelum ante meridiem nubilum, poſt eam vero ſerenum apparet.
28	14. med	13. med.	N.	Coelum conſpicitur ſerenum.
29	13. inf.	12. med.	NO.	Idem, æſtuoſum valde.
30	12. med	----	N. NO	Heſterno die prorſus ſimilis.
31	12. ſum.	13. med	N. NO	Serenitas continuat cum aëre ſquallido.
				JUNIUS.
1.	13. inf	14. med.	NO. O.	Coelum ubique ſerenum conſpicitur.
2	14. med.	13. ſum	O. S.	Nubilum coelum circa meridiem inclaruit, usque ad noctem ita permanens.

Sere-

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
3.	13 ſum.	13 inf.	N.	Serenitas continuat, aëre exiſtente æſtuoſo.
4.	13. inf.	12 med	N. O.	Coelum ſerenum circa meridiem nubibus aliquatenus offuſcatur quod tamen verſus noctem iterum inclaruit.
5.	12 med.	12. inf.	NO. O.	Serenum apparet coelum: Circa meridiem vero tenues apparent nubes, quæ tamen rurſus diſſipatæ, circa veſperam recurrerunt, hora 10. e longinquo conſpiciebantur fulgura, nulla vero inſecuta eſt pluvia.
6.	11. ſup.	11. inf.	W.S.O.	Coelum nubilum verſus meridiem parum inclaruit. Poſt eam vero pluvia aliquoties decidit, e longinquo fulgura cernebantur.
7.	11. inf.	----	W.	Trans Rhenum hoc die grandines agros devaſtarunt. Coelum nubilum ſubinde etiam pluvioſum. Media nocte tonitru cum imbre.
8.	11. inf.	----	W. SW.	Tempus pluvioſum continuat.
9.	11. inf.	13. med.	NW. N. NO.	Pluvia tempore matutino continuat; ceſſavit tamen poſt meridiem coelo permanente nubilo.
10.	13. ſum.	----	NO. O.	Nubes diſſipantur, coelumque quoad maximam partem apparet ſerenum.
11.	13. ſum.	12. med	NO.	Coelum ubique exiſtit ſerenum.
12.	12. inf.	10, med.	NO. SW.	Ad meridiem usque coelum fuit ſerenum, poſtea nubes coelum obduxerunt, inſequente verſus 4. veſpertinam tempeſtate tonitru & fulgure permixta.
13.	10. ſum.	----	S.	Vagantur adhuc hinc inde nubes craſſiores, quæ verſus noctem aggregatæ pluviam fuderunt.

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
14.	10. med.	11. inf.	W.S.	Coelum ante meridiem pluvioſum, poſt eam vero nubilum.
15.	11. inf.	11. med.	S.	Coelum apparet nubilum intercurrente ſereno. Poſt meridiem vero aliquoties larga cecidit pluvia.
16	11. med.	----	W.S.	Tempus pluvioſum continuat.
17.	11. ſup.	12. ſum.	W.	Pluvia continuat: Circa meridiem radii quidam Solares apparuere, qui tamen mox iterum a nubibus ſubſequentibus abſorpti fuerunt.
18.	13. med.	13. ſum.	NW.N.	Nubilum adhuc conſpicitur coelum, poſt meridiem pluvia tenuis decidit.
19.	14. inf.	----	NW.N.	Coelum a nubibus depuratum poſt meridiem ubique fere ſerenum exiſtit.
20.	13. inf.	12. med.	S. SW.	Nubilum iterum eſt coelum, inſequente pluvia per integrum fere diem durante.
21.	13. med	13. ſum.	NW.N.	Nubes diſruptæ hinc inde errant; poſt meridiem ſerenitas rediit.
22.	13. med	12. inf.	N.	Coelum ante meridiem ſerenum exiſtens, poſt meridiem iterum fit nubilum.
23.	11. ſum.	12. inf.	W. SW.	Per totum diem iteratis vicibus pluit. E longinquo tonuit quoque.
24.	11. ſup.	13. inf.	NW.	Coelo primo mane exiſtente ſereno, nebula poſt ſolis ortum orta illud iterum nubibus obducit, ex quibus poſtea aliquoties pluvia deſtillavit.
25.	13. inf.	12. inf	N.O.	Per integrum diem coelum caliginoſum apparet.
26.	11. inf.	11. ſup	SW. W.	Coelum nubilum poſt meridiem parum inclaruit. Ventus fortiter ſpirabat.
27.	12 med	----	SW. O.	Coelum ubique fere exiſtit ſerenum.
28.	12. med.	11. med.	ONO. S	Serenitas continuat, cum aere æſtuoſo.

Eadem

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
29.	11. inf.	10. med.	S. N. NO.	Eadem coeli conſtitutio qualis heſterna.
30.	10. med.	12. inf.	S.	Coelum nubibus obductum apparet, nulla tamen decidente pluvia; Veſperi poſt horam 9. e longinquo cernuntur fulgura.
				JULIUS.
1.	12. med.	12. ſup.	S. SW.	Coelum nubilum apparet; pluvia tenuis etiam tempore matutino decidit.
2.	12. ſup.	----	S. N.	Obſcurum adhuc apparet coelum pluviaque inſtar nebulæ deſtillat, verſus meridiem ceſſavit, radiique ſolares inter nubes effulgent.
3.	12. ſup.	----	NW. NO.	Primo mane pluvioſum adhuc eſt coelum, poſt meridiem vero inclaruit.
4.	13. inf.	12. ſup.	O.	Coelum apparet ſerenum.
5.	12. ſup.	12. med.	O.	Continuat.
6.	12. med.	12. inf.	NO.	Idem.
7.	12. inf.	----	NO. O.	Obfuſcatum apparet coelum, & e longinquo audiebatur tonitru, rurſus tamen inclaruit: Circa 3. veſpertinam parva decidit pluvia inſequente ſerenitate.
8.	12. ſup.	----	O. NO.	Totus dies fuit ſerenus ſed ſimul calidus; Noctu e longinquo fulgurat.
9.	12. ſup.	----	NO.	Coelum iterum apparet ſerenum.
10.	12. ſup.	12. inf.	O. S.	Serenitas usque ad meridiem continuat: Circa 5. veſpertinam vero orta eſt tempeſtas cum tonitru, fulgure, largaque conjuncta pluvia, quæ poſt 9. veſpertinam rediit.
11.	11. ſup.	12. inf.	W. NW.	Tempus pluvioſum continuat; audiebatur quoque poſt meridiem tonitru.
12.	12. inf.	12. med.	NW. S N.	Tempore matutino pluit; Veſperi vero coelum inclaruit.
13	12. ſup.	13. inf.	NO. O.	Serenitas rediit.

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
14.	12. ſup	13. inf.	NO.	Continuat.
15.	13. inf.	12. inf.	O.	idem.
16.	11. inf.	11. ſup.	S.	Primo mane pluvia decidit cum inſequente tonitru atque imbre, poſt meridiem pluere ceſſavit, coelo tamen permanente obſcuro.
17.	12. inf.	----	W. NW.	Nubibus hinc inde vagantibus coelum adhuc eſt refertum, quæ tamen poſt meridiem quoad maximam partem fuerunt diſſipatæ.
18.	12. inf.	12. med.	W.	Pluvioſum eſt coelum, quod tamen poſt meridiem multum inclaruit.
19.	12. med.	12. ſum.	W. N.	Coelum mane nubilum exiſtens, poſt meridiem ſerenat.
20.	12. med.	11. ſum.	Venti per totum Hemiſphærium circulum abſolverunt. Veſper. S.	Per integrum diem coelum ubique ſere clarum apparuit.
21.	11. med.	12. inf.	W. O.	Pluit per tempus matutinum, poſt meridiem vero ceſſavit.
22.	12. med.	----	NO. O.	Tempus nubilum per integrum fere diem continuat, nox ſerena.
23.	12. med.	12. inf.	NO. S. W.	Nebula primo mane oborta coelum obfuſcavit, circa meridiem vero radii quidam ſolares apparuere, qui tamen mox iterum diſparuerunt, & imbre frequentes ſubſecuti ſunt.
24.	11. ſup.	----	S. W.	Tempus pluvioſum continuat; Veſperi copioſus cecidit imber.
25.	12. ſum.	13. med.	W. N.	Copioſus imber circa. 8. matutinam decidit; nubes tamen verſus meridiem fuerunt ſeparatæ, inſequente circa Solis occaſum ſerenitate.

Coe-

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
26.	13. med.	----	S.	Coelum nubibus rarioribus eſt refertum, intercurrente ſereno: Verſus noctem pluvia tenuis decidit. Nox vero inclaruit.
27.	13. med.	----	W.S.	Coelum æſtuoſum quoad maximam tamen partem ſerenum, ſimul tamen nubibus craſſioribus hinc inde refertum.
28.	12. ſup.	12. med.	S. O.	Nubes hinc inde vagantur intercurrente ſereno; poſt meridiem vero coelum inclaruit.
29.	12. med.	----	O.	Coelum rurſus apparet ſerenum.
30.				Serenum ſimulque æſtuoſum eſt coelum, verſus noctem apparuerunt nubes & e longinquo tonitru audiebatur.
31.				Totus dies pluvioſus fuit; poſt meridiem quoque tempeſtas, cum tonitru & fulgure conjuncta, orta eſt.
				AUGUSTUS.
1.				Nubes hinc inde adhuc vagantur, quæ veſperi plane fuerunt diſſipata.
2.	12. med.	11. ſum.	O.	Coelum nubilum poſtea inclaruit.
3.	11. inf.	10. med.	O. NW.	Obfuſcatum apparet coelum: Circa meridiem aliquoties tonitru audiebatur; Hora 2. veſpertina rediit tempeſtas admodum fortis copioſum ſimul imbriem effundens.
4.	11. inf.	11. ſup.	S. W. Nw.	Coelum quoad maximam partem eſt ſerenum, nubibus craſſioribus hinc inde quoque refertum.
5.	12 inf	12. med	NW N.	Eadem aëris conſtitutio.
6	12. med	11. inf.	O.	Fortiſſima hodie mane apparet nebula, quam tamen radii Solares diſſiparunt, coelumque verſus meridiem inclaruit,

poſt

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aëris conſtitutio.
				poſt meridiem vero nubes craſſiores hinc inde vagantur, ex quibus veſperi fulgur atque pluvia.
7.	10. ſup.	11. ſup.	S.W.	Coelum nubilum quandoque etiam pluvioſum.
8.	12. med.	13. inf.	N.	Nubilum mane apparens coelum poſt meridiem inclaruit.
9	13. inf.	12. ſup.	N. NO.	Coelum ſerenum.
10.	12. ſup.	12. inf.	O.	Obſuſcatum a nubibus tenuioribus coelum poſt meridiem ſerenat.
11.	11. inf.	----	O. S.	Diſpoſitio ad pluviam, quæ etiam paulo poſt inſecuta eſt, atque per integrum diem ſæpius rediit.
12.	11. inf.	11. ſup.	S. O.	Pluvia continuat interruptis vicibus, verſus noctem vero coelum ſerenat.
13.	11. ſup.	11. med.	O. S.	Nubibus ubique depuratum exiſtit coelum, recurrunt tamen poſt meridiem, pluviamque largam effuderunt.
14.	11. med.	----	S.	Nubilum adhuc eſt coelum, poſt meritiem vero pluvia tenuis decidit, cui poſt horam 3. veſpertinam tempeſtas cum tonitru& pluvia intermixta, inſecuta eſt. Nox rurſus inclaruit.
15.	11. inf.	----	S.	Coelum quoad maximam partem clarum exiſtit: Veſperi e longinquo videbantur fulgura.
16.	10. med.	12. inf.	N. W.	Coelum nubilum & per totum tempus matutinum pluvioſum poſt meridiem tamen rurſus inclaruit.
17	12. inf	10. ſub.	W.	Coelum ſerenum poſt meridiem nubibus obducitur: Circa 4. veſpertinam orta eſt tempeſtas ſatis fortis per $1\frac{1}{2}$. horũ cum tonitru & fulgure continuans.
18.	10. ſum.	11. med.	SW. S.	Pluvia per totum tempus matutinum durat, poſt meridiem vero coelum inclaruit.

Inter

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aeris conſtitutio.
19.	11. ſum.	----	S.	Inter nubes craſſiores hinc inde vagantes ſerenitas emicuit.
20.	12. inf.	11. ſum.	S.	Coelum ſerenum poſt meridiem nubibus obducitur parvam effundentes pluviam.
21.	11. med.	12. inf.	SW. S.	Ante Solis ortum imber decidit usque ad horam 7. matutinam continuans poſtea nubes diviſæ coelum varium exhibent, verſus noctem vero ſerenat.
22.	12. ſum.	---	W. N.	Nubilum conſpicitur coelum intercurrente ſerenitate.
23.	12. med.	11. inf.	S.	Coelum quoad maximam partem exiſtit nubilum; Veſperi pluvia tenuis.
24.	10. med.	----	SW. W.	Ante Solis ortum largiſſimus cecidit imber, per diem repetitis vicibus recurrens; Veſperi procella.
25.	11. med.	12. med	SW. S.	Per totum diem pluvia larga diverſis vicibus decidit.
26.	12. med.	----	S.	Coelum toto die exiſtit pluvioſum. Verſus noctem vero parum inclaruit.
27.	12. inf.	10. med.	S. NW.	Obfuſcatum primo mane coelum poſtea parum inclaruit. Poſt 4. veſpertinam orta eſt tempeſtas cum magno imbre.
28.	10. ſup.	----	S.	Coelum exiſtit pluvioſum.
29.	11. inf.	11. ſum.	S. W.	Coelum diverſum, quoad maximam tamen partem ſerenum.
30.	12. inf.	11. inf.	S. O.	Coelum ſerenum circa meridiem nubilum redditur, usque ad noctem ita permanens.
31.	11. inf.	12. med.	NO.	Pluvia per integrum diem ſæpius decidit
				SEPTEMBER.
1.	13. med.	14. med.	N. NO	Coelum mane nubilum, aliquoties etiam pluvioſum, circa meridiem varium, verſus noctem vero quoad maximam partem ſerenum apparet.

Dies	Mane	Veſperi	Venti	Aeris conſtitutio.
2.	14. med.	----	N. NO.	Coelum ſerenum circa meridiem diverſum conſpicitur. Poſtea vero rurſus inclaruit.
3.	14. ſum.	14. med.	O.	Coelum per integrum diem exiſtit ſerenum.
4.	14. inf.	13. inf.	NO.	Nebula ſatis denſa ad 11. fere continuans apparet, quæ tandem a radiis ſolaribus fuit diſſipata, inſequente ſerenitate.
5.	13. inf.	12. ſup.	O.	Serenum per totum diem apparet coelum: Veſperi nebula terram obtegit.
6.	12. ſup.	12. inf.	S.	Serenitas continuat cum aere calido.
7.	12. inf.	13. med.	W.	Poſt mediam noctem tempeſtas cum tonitru & larga pluvia: quæ adhuc aliquoties tempore matutino rediit: poſt meridiem vero rurſus inclaruit coelum.
8.	13. inf.	12. med.	W.	Coelum mane apparet clarum, circa meridiem vero obſcurum, poſt eam vero pluvia repetitis vicibus decidit.
9.	12. inf.	----	W. NW.	Coelum pluvioſum circa meridiem iterum diverſum apparet. Rediit vero pluvia poſt meridiem uſq; ad noctem continuans.
10.	12. inf.	----	W. N.	Per totum tempus matutinum pluvia adhuc decidit poſt meridiem vero cœlum ad ſerenitatem ſe componit.
11.	12. ſup.	----	W.	Varium conſpicitur coelum tempore matutino, quod vero verſus meridiem nubilum redditur, inſequente verſus noctem pluvia ad 10. uſq; continuans.
12.	12. med.	----	NW. N.	Non ſolum per integram noctem ſed & per tempus matutinum aliquoties adhuc pluvia decidit. Veſperi vero coelum inclaruit.

De

De uſu hujus elegantiſſimæ plantæ, MUNTINGIUS in ALOIDARIO ita diſſerit. Succus ejus alvum leniter purgat, urinam ciet, veſicam ac renes purificat, calculos frangit, menſes movet, nec non ambuſtis medetur, teſte Nardo Antonio.

Integra planta vel craſſiora foliorum fruſta aut folia tota vivis carbonibus, vel ſub calido cinere ſufficienter aſſata, palato pergrata ſunt, vulnera præſertim recentia efficaciter conſolidant, ulceraque ſordida curant, vitiato & affecto impoſita loco convulſiones adimunt atque torpidos reddunt mortales, quæ omnia & ſuccus calide quoque expreſſus inſtillatusque præſtat, Abſinthii etiamnum in tepidis Americæ partibus creſcentis ſucco probe permiſtus ſerpentum, viperarumque morſibus venenatis utiliſſime applicatur.

Ex eodem præterea ſucco Saccharum Americani Orbis indigenæ, aut Mel, Syrupum, Vinum, Acetum, aquam & oleum aliaque plurima ad miſerrimæ vitæ humanæ ſuſtentationem pertinentia parare norunt: fit enim decoctione aut deſtillatione ſuccus idem ſpiſſior & ſolito ſuavior, tandemque depuratione facta in melleam ſaccharaceamque ſubſtantiam ſapore facile convertitur.

Deinde ex eodem ſucco & aqua fontana, & aurantiorum citrorumque malorum, corticibusque aliorum commiſtis Vinum Americæ incolis admodum uſitatum, minus tamen ſalubre conficitur, quoniam illorum anhelitus impuræ ſentinæ vel cadaveris inſtar peſſime fœtet, & capita illorum vehementer affligit; quo potus genere Indi brutorum more ſe ingurgitant. Rurſum ex ſaccharo ſupra dicto in aqua ſcilicet communi diſſoluto ac per dies aliquot intecto Soli expoſito Acetum, atque e novis germinibus foliolisque tenerrimis conſerva corruptioni valde obnoxia efficitur.

Præter haſce facultates uſusque medicos innumerabiles propemodum alii e variis ejus partibus ingenioſe deſumpti reperiuntur. Hæc enim tota Hortorum & agrorum ſepiendorum, lignorumque vicem ſupplet, caules autem tignorum; Folia vero tegendi ædes tegularum, lancium, & chartæ in quotidianum ſacrificiorum pictorumque commodum, nec non filorum Cannabis more paratorum non tamen muliebri manu, verum provido ipſius Naturæ beneficio venuſte ductorum uſum præbent, e quibus reſtes, funes ſtoreæ calceamentorum genera Alpergates Hiſpanis dicta, Chlamides, Cingula, Capiſtra, Lintea, reticula induſia aliaque veſtium genera conficiuntur, quæ hiſce in oris e Lino Cannabe Goſſipio, aliiſque hujusmodi pluribus ſtudioſe noſtratibus parantur.

Præterea e ſuperioribus validiſſimis acutiſſimisque foliorum cuſpidibus conficiuntur acus, aciculæ, militares tribuli nec non raſtilla pectendis ſubtegminibus idonea, item aculei & clavi, quibus ſubulorum vice ad corpus leviter vulnerandum Indorum Sacerdotes aureſque atrociter perforandas demonum cultui vacantes utuntur.

Præparantur porro e radicibus etiamnum firmiſſimæ atque ad plurima reſtes aptiſſimæ. Fit quoque foliorum cinere lixivium ad multa idoneum.

Morbum denique Gallicum hac planta vi eliciendi e corporibus ſudoris pollente Americanos curare poſſe feliciter, atque induſia e foliorum majorum fibris artificioſe contexta Hiſpali venalia proſtare ſcriptis CAROLUS CLUSIUS promulgavit. Hæcce de uſu Aloes Americanæ MUNTINGIUS tradidit.

ALOE PALUSTRIS.

Sunt Aloes paluſtris C. B. Pin. folia Aloes ſimilia, ſed breviora & minora, per ambitus duris quibusdam brevibus aculeis ſpinoſa.

AIZOON PALUSTRE, STRATIOTES ſive MILITARIS AIZOIDES, STRATIOTES AQUATICA, STRATIOTES POTAMIOS, SEDUM AQUATILE. Waſſer-Aloe/Sichel-Krauth.

DN. de GUNDELSHEIMER, referente JOHRENIO, novum genus, ad quod referatur, ſtabiliendum putat, ſub titulo ſequenti.

Stratiotes eſt plantæ genus flore roſaceo, tribus nempe petalis, roſæ modo diſpoſitis, conſtante, cujus calyx abit in fructum in ſex loculamenta diviſum, ſeminibus fœta, in una ſpecie longis & teretibus, in altera rotundis.

Aloe paluſtris. C. B Pin. 286. Aloe ſive Aizoon paluſtre. I. B. 3. 777. Stratiotes ſive militaris aizoides. Lob. Sedum aquatile Dod.

Reperitur in ſtagnantium aquarum lacubus & foſſis vel pigre fluentibus, maxima foliorum parte una cum floribus ſuperante, reliquis ipſius ſtirpis partibus ſub aquis conditis, unde cognomentum inditum.

Junio Julio & ſubinde Auguſto floret.

ELATI-

Facultatem habet hæc planta refrigerandi & humores condenſandi exterius applicita. Fibras radicis longas rotundas candidas, craſſiores, lyrarum fidibus aut lumbricis longis perſimiles, ſcelerati Agyrtæ in aqua plena phiala, quo majores appareant, mulierculis oſtentatas impudenter mentiuntur, vermes eſſe, quos medicamentis ſuis ex inteſtinis eduxerint, teſte DODONÆO.

ALSINE TRIPHYLLOS CÆRULEA.

Sunt Alſines triphyllæ cæruleæ C. B. Pin. folia, in aliquot profundas lacinias cæſa, alia integra potiſſimum inferiora, pinguiuſcula.

ELATINE TRIPHYLLOS, ALSINE TRIDACTYLITES CÆRULEA, ALSINE PARVA, RECTA FOLIO ALSINES HEDERACEÆ, ALSINE RECTA RUTÆ FOLIA, Hünerrauthen/ Händleinskrauth.

Eſt ſpecies Veronicæ nempe

Veronica verna trifido vel quinquefido folio. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 6. g. 4. Alſine triphyllos cærulea. C. B. Pin. 250. Alſine folio profunde ſecto, flore purpureo ſive violaceo. I. B. 3. 367. Alſine parva recta, folio Alſines hederaceæ ſed rutæ modo diviſo. Lob. Icon. 464.

Floret Aprili in arvis.

AMA-

Vim habere refrigerantem & humidam auctor eſt TRAGUS, poſſeque citra noxam utrinque corpori adverſus inflammationes uſurpari, quemadmodum & Anagallides; eſſe autem facultatibus portulacæ ſimilem.

AMARANTHUS GLOBOSUS.

Sunt Amarantho affinis Indiæ Orientalis floribus glomeratis Ocymoidis folio Breyn: folia, ſubtus dilute vireſcentia, bina ex adverſo reſpondentia, non raro quoque plura ſimul ad ramorum divaricationes prodeuntia, magnitudine & forma varia; quæ ortu ſunt prima, majora latiora & obtuſa, longioribusque pediculis fulta, ſuperiora autem minora,

nora, breviora, anguſtiora mucronata omniſque diviſionis ignara, breviſſimis pedicellis fulta, ſaporis fatui.

Amaranthus Globosus a floris forma. Peculiare genus TOURNEFORTIUS conſtituit ſub nomine Amaranthoidis.

Amaranthoides eſt plantæ genus flore floſculoſo, in capitulum ſquamatum collecto: axi enim ſquamatim innaſcuntur bina folia imbricata, chelarum cancrorum æmula, & floſculum complectentia, multifidum, calyce obvolutum, e cujus fundo ſurgit piſtillum infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, calyptra obvolutum: hoc autem deinde abit in ſemen ſubrotundum plerumque aduncum.

Amaranthoides Lychnidis folio capitulis argenteis majoribus. Tourn. App. I. R. H. Amarantho Affinis Indiæ Orientalis, floribus glomeratis, Ocymoidis folio. Breyn. Cent 1. 109. Icon. 51.

Amaranthoides Lychnidis folio, capitulis purpureis. Tourn. l. c. Amarantho affinis altera ſpecies ſive flore purpureo. Breyn. 1. 110.

Sponte naſcitur in incultis & ſabuloſis Indiæ Orientalis. Colitur in hortis ob ſingularem florum elegantiam. Floret Autumno.

Aralia

Tuſſim fauciumque dolores lenire hæc folia HORTI MALABARICI AUTHORES autumant.

ANACAMPSEROS MINOR.

Sunt Telephii repentis folio deciduo C. B. Pin. folia, ad Portulacæ folia quam proxime accedentia, magnitudine & circinata fere rotunditate.

Herba vulneraria eſt, & cum Craſſula majore ſymbolizat.

ARA-

ARALIA.

Sunt Araliæ Canadenſis Tourn. folia, ex rotundo in acumen gracileſcentia, ambitu ſerrato; ſaporis Panaci ſimilis, dulcis.

Aralia eſt plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, calyci inſidentibus, qui deinde abit in fructum mollem, ſeu baccam fere globoſam, ſucculentam, ſeminibus fœtam plerumque oblongis.

Aralia Canadenſis. Tourn. cl. 8. ſ. 8. g. 3. Panaces Κάρπιμον, ſive racemoſa Canadenſis. Corn. 74. Angelica baccifera vulgo.

Naſcitur in America præſertim Canada, ſolo macro, pingui, limoſo, etiam inter difficultates ſaxeas.

Oleraceam eſſe plantam & cibis aptam teſtatur CORNUTI.

ASPERUGO.

Sunt Bugloſſi ſylveſtris caulibus procumbentibus C. B. Pin. folia, duas uncias longa, utrinque reducta & anguſta quorum infima ſuperioribus obtuſiora, ſubrotunda, caulibus aſperis anguloſis, ad veſtes adhærentibus, per terram ſparſis, adnaſcentia, odoris & ſaporis ejusdem cum Borragine.

Elixam

ALYSSON GERMANICUM ECHIOIDES, CYNOGLOSSA TOPIARIA REPENS. ASPERUGO dicitur, quoniam tactu eſt aſpera.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, infundibuliformi & multifido; ex calyce pelviformi, (qui deinde ſponte comprimitur) ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem

dem ſemina utplurimum oblonga , quæ matureſcunt in calyce ipſo longe ampliato, cujus partes tunc adeo comprimuntur, ut ſibi mutuo adhæreſcant.

Aſperugo vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 4. g. 3. Bugloſſum ſylveſtre caulibus procumbentibus. C. B. Pin. 257. Cynogloſſa forte topiaria Plinio, ſive Echium lappulatum quibuſdam. I. B. 3. 590. Aſperugo ſpuria. Dod. Pempt. 356.

Sponte occurrit in Belgio, rarius in Anglia in Italia colitur in hortis.

Elixam hanc plantam quidam mandunt. Virtute gaudet vulneraria & deterſiva, ſanguinem quoque mundificat.

BALSAMINA FOEMINA.

Sunt Balſaminæ fœminæ C. B. Pin. folia Saligna aut Perſicæ, acuminata, per ambitum ſerrata, ſucculenta, Sapore amaricante prædita.

Pu-

BALSAMINA quaſi diceres herbam, quæ Balſamum ſuppeditat. BALSAMINA PERSICI FOLIA. BALSAMINA ALTERA. Balſamkrauth Weible. BALSAMINE.

Characterem vide ſub Balſamina lutea.

Balſamina fœmina. C. B. Pin. 306. Balſamina. Dod. Pempt. 671. Balſamina fœmina Perſicifolia vel Salicis folio. I. B. 2. 909.

Balſamina fœmina flore candido. H. L. Bat.

Balſamina fœminaflore partim candido partim rubro. H. L. Bat.

Balſamina flore majore ſpecioſo. Tourn. I. R. H. cl. 11. ſ. 1. g. 1. Balſamina fœmina foliis amplioribus flore majore, amoene purpuraſcente. Schol. Bot.

Balſamina flore majore candido, Tourn. l. c.

Balſamina Indica flore ex albo & ſuave purpuraſcente colore elegantiſſime variegato. Breun. Prodr.

Balſamina fœmina flore incarnato magno ſimplici.
Balſamina flore magno coccineo.
Balſamina fœmina flore albo pleno.
Coluntur hæ aliæque Balſaminæ ſpecies in hortis: floret æſtate & etiam ſerius.

Putant iisdem gaudere virtutibus cùm Balſamina Momordica.

BORRAGO SYLVESTRIS.

Sunt Bugloſſi ſylveſtris minoris C. B. Pin. folia Echii, magis hiſpida, ſpinoſa, ſapore fatuo, ad Borraginem accedente.

SYLVESTRE BORRAGINIS GENUS, BUGLOSSA SYLVESTRIS, ERRATICUM BUGLOSSUM ASPERUM ECHIOIDES.

Bugloſſum ſylveſtre minus. C. B. Pin. 256. Echium Fuchſii ſive Borrago ſylveſtris. I. C. 3. 581. Bugloſſa ſylveſtris. Dod. Pempt. 628.

Reperitur in hortis inter olera, frequenter etiam in agris frumentum ferentibus, æſtivis menſibus vigens.

BRAS-

TRAGUS hac Borragine ſylveſtri pro ſativa, ubi id neceſſitas poſtulabat, ſæpe numero uſus eſt.

BRASSICA CAMPESTRIS.

Sunt Braſſicæ campeſtris perfoliatæ flore albo .C. B. Pin. folia non diviſa, oblonga, ſubrotunda Napi colore glauco, rigidula, pinguia, fragilia, a caule quaſi tranſadigi viſa, ſapore oleraceo.

Ejus

BRASSICA AGRESTIS, PERFOLIATA SILIQUOSA, PERFOLIATA NAPIFOLIA, wilder Durchwachs / Durchwachs mit Steckruben-Blättern.

Braſſica campeſtris perfoliata flore albo. C. B. Pin. 112. Perfoliata ſiliquoſa. I. B. 2. 835. Braſſica campeſtris. 1. Clus. Hiſt. CXXVII.

Inter ſegetes provenit, floret Junio.

Ejus acrimonia proxime ad Braſſicæ facultates hanc plantam accedere indicio eſt authore CLUSIO, & forſan illa valentiorem eſſe.

BRASSICA MARITIMA.

Sunt Braſſicæ maritimæ monoſpermæ C. B. Pin. folia ampla, lata, craſſa, circa margines undulata & veluti criſpa, fragilia, pediculis craſſis inſidentia, colore cæſio, ſeu ex viridi, cinereo, ſaporis non ingrati.

Verno

Μονόσπερμος vocatur a ſemine, BRASSICA ANGLICA, BRASSICA MARINA SYLVESTRIS MULTIFLORA MONOSPERMOS, Engliſch Köhlkraut.

Ad peculiare genus nempe Cramben a TOURNEFORTIO refertur.

Crambe eſt plantæ genus, flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam unicapſularem, bifariam dehiſcentem, ſemine fœtam utplurimum oblongo.

Crambe maritima Braſſicæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 1. g. 5. Braſſica maritima monoſpermos. C. B. Pin. 112. Braſſica monoſpermos Anglica. I. B. 2. 830. Braſſica marina ſylveſtris multiflora monoſpermos. Lob. Icon. 245.

In arenoſis maris littoribus circa Angliam ubique fere reperitur.

Verno tempore pro olere eſtur.

BUGLOSSUM FOLIO BORRAGINIS HISPANICUM.

Sunt Bugloſſi latifolii ſemper virentis C.B.P. folia Borraginis rugoſa & aſpera, ſpinis mollioribus quam in Borragine & Bugloſſo, interdum longo alias nullo pediculo donata, acuta præſertim in caulibus, quæ vero prope terram infima ſunt, rotunda exiſtunt, albisque punctis maculoſa.

Folia hæc imbecilliora ſunt radice: adſtringunt tamen quoque & reſiccant: In vino pota alvum ſiſtunt.

CAMPANULA PERSICIFOLIA.

Sunt Campanulæ anguſtifoliæ cæruleæ & albæ I. B. folia ſtricta, non multum culmo latiora palmo longiora, rigida, leviter denticulata.

φύτευμα, PHYTEUMA MATTHIOLI & DIOSCORIDIS CAMPANULA ANGUSTIFOLIA. CAMPANULA ANGUSTIFOLIA CÆRULEA vel ALBA MAJOR, Rapunculus γηριόφυλλος, Waldglöcklin/ Waldcymblen/ Waldglocken/ Waldrapuntzel.

Campanula Perſicæ folio, Clus. Hiſt. CLXXI. Campanula anguſtifolia cærulea, I. B. 2. 803. Rapunculus Perſicifolius magno flore. C. B. Pin. 93.

Campanula Perſicæfolio flore albo. Eyſt. Campanula anguſtifolia alba. I. B. 2. 803.

In collibus & frutetis Junio & Julio floret, utplurimum tamen horti voluptatis cauſa habent.

Ἀγρία

In olere mandi poteſt hæc planta juxta SCHWENCKFELDT.

CAR-

CARDUUS PRATENSIS.

Sunt Cardui pratenſis latifolii C. B. Pin. folia pallidè virentia, alia cubitum longa, alia palmum, alia ſatis profunde laciniata, alia duntaxat ſerrata, mollia & tenera.

Ἀγρία ἄκανθα, CARDUUS PRATENSIS, quod in nonnullis pratis naſcatur. HERBA CARDUACEIS FOLIIS ACANACEISQUE CAPITULIS, ACANTHUS SYLVESTRIS, CARDUUS PRATENSIS TRAGI ACANTHI FACIE, BRASSICA GRAMINEA, BRASSICA PRATENSIS, gelbe Diſteln/Wieſenköhl/ Graßköhl.

Eſt ſpecies Cnici juxta TOURNEFORTIUM.

Cnicus pratenſis Acanthi folio flore flaveſcente. Tourn. I. R. H. cl. 12. ſ. 2. g. 8. Carduus pratenſis latifolius. C. B. Pin. 376. Carduus pratenſis Tragi. Lob. Icon. 11. & I. B. 3 42.

Carduus hic omnium fere tenerrimus ſi Spinas conſideres molliuſculas in pratis uliginoſis & humidis item in pratis montoſis nonnihil humectis Julio & Auguſto floret. Aprili menſe quotannis nova candida folia e capillata exeunt radice.

Folia tenerrima a mulieribus in cibis, ut reliqua olera, expetuntur.

CAUDA MURINA.

Sunt Holoſteo affinis Caudæ Muris C. B. Pin. folia multa graminea, trium quatuorve unciarum anguſta admodum, guſtu plantaginis aut hydropiperis.

Re-

Μυὸς οὐρὰ ἢ μυὸς οὖρος CAUDA MURIS vel MURINA a clava floribus ſuccedente duarum triumve unciarum tereti, mucronata, granulis multis compactili, caudam murinam affabre mentiente; MYOSUROS, CORONOPUS SYLVESTRIS TRAGO. HOLOSTIUM

 DIO-

DIOSCORIDIS, DENTICULA CANIS RUELLII, GRAMEN MOLLE LONICERO. Mäußſchwäntzlin/ Mäußgraß/ Tauſendkorn. QUEUE DE SOURIS.

Eſt ſpecies Ranunculi juxta TOURNEFORTIUM.

Ranunculus gramineo folio flore caudato ſeminibus in capitulum ſpicatum congeſtis. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7. g 3. Holoſteo affinis cauda muris. C. B. Pin. 190. Myoſuros. I. B. 3. 512. Cauda murina. Dod. Pempt. 112.

Pinguibus agris & pratis gaudet. Floret Aprili.

Refrigerat, nec multum a plantagine viribus differt. Adſtringit & exſiccat, conducit in alvi fluxibus. Adhiberi poterit in decoctis & in gargariſmatibus.

CHONDRILLA.

Sunt Chondrillæ vimineæ I. B. folia, dum primum pullulant per terram in orbem ſparſa, magna, Hedypnoidis laciniis glabra, quæ in caulem ſurgente planta marceſcunt.

Χονδρίλλη, CHONDRILLA quoniam ſuccus facile coagulatur CHONDRILLA JUNCEA, CHONDRILLA VIMINEA, Aecker-Chamillen geel Feldwegwart. CONDRILLE.

Chondrilla eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus & calyce veluti tubulato ac cylindriformi comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum; Chondrilla differt a Soncho cæteriſque calycis forma.

Chondrilla juncea, viſcoſa, arvenſis, quæ prima Dioſcoridis. C. B. Pin. 130. Chondrilla juncea viminea arvenſis. Tabern. Icon. 178. Chondrilla viminea. I. B. 2. 1021.

Ad margines agrorum Junio & Julio floret.

Parem cum Cichorio vim obtinet, humectat, mitigat, temperat atque aperit.

Chon-

Chondrilla a voce græca χόνδρος, grumus quaſi diceretur planta in qua grumi concreſcunt. Circa enim ipſos ramulos (ut ait DIOSCORIDES) gummi reperitur Maſtiches ſimile, fabæ magnitudine, quod quidem cum Myrrha tritum & in linteo inſtar Olivæ appoſitum menſes trahit.

CICHORIUM VERRUCARIUM.

Sunt Zacinthæ ſive Cichorii verrucarii Matth. folia oblonga, dentis Leonis, laciniata, multa per terram ſparſa, in ramis pauca.

Mira hujus plantæ facultas eſt ad tollendas verrucas. Siquidem ſcimus (inquit ex CALZOLARIO MATTHIOLUS) nos nonnullos, quorum manus verrucis admodum numeroſis ſcatebant, ſanatos eſſe, devoratis in acetario ſemel tantum hujuſce Cichoraceæ plantæ foliis. Illita quoque conducit ad easdem verrucas. Cæterum ſanguinem purificat & urinam ciet.

DAMASONIUM.

Sunt Plantaginis aquaticæ ſtellatæ C. B. Pin. folia plantaginis aquaticæ æmula, multo minora & ad pediculi inſertionem pinnata, interdum vero minime.

Vi

Plantago Aquatica Stellata vocatur a loco natali & a fructu ſtelliformi, Alisma Pusillum Angustifolium Muricatum, Plantago Aquatica Minor Altera.

TOURNEFORTIUS peculiare genus conſtituit ſub nomine Damaſonii.

Damaſonium eſt plantæ genus flore roſaceo, tribus petalis in

orbem

orbem poſitis conſtante ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſtelliformem, multicapſularem, ſeminibusque fœtum utplurimum oblongis.

Damaſonium ſtellatum Lugdun. 1058. Damaſonium ſtellatum Dalechampii. I. B. 3. 779. Plantago aquatica ſtellata, C. B. Pin. 190.

Humidis & aquoſis locis gaudet.

Vi gaudet detergendi, adſtringendi atque refrigerandi. Mammis impoſita lactis productionem impedit.

ECHINOPUS.

Sunt folia Echinopi majoris I. B. oblongâ tota, tactu glutinoſa, profunde laciniata, ſuperne atrovirentia, inferne incana, utrinque piloſa, multis tamen numeris magis inferne quam ſuperne.

ECHINOPUS a forma capitum echino ſimilium, CARDUUS SPHÆROCEPHALUS ob eandem cauſam. CARDUUS ECHINATUS, SPINA PEREGRINA, SPINA ALBA QUIBUSDAM, CROCODILIUM. Jungfraudiſtel/ Biſemdiſtel.

Echinopus eſt plantæ genus, flore floſculoſo globoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus, ſinguli autem floſculi calyce ſquamoſo donantur, thalamo affixo. Embryo vero abit deinde in ſemen in involucro, quod floris calyx fuit, reconditum.

Echinopus major. I. B. 3. 69. Carduus ſphærocephalus latifolius vulgaris. C. B. Pin. 381. Carduus Sphærocephalus, Dod. Pempt. 722.

Echinopus minor. I. B. 3. 72. Ritro floribus cæruleis. Lob. Icon. 8.

Colitur in hortis, floret Julio.

EPIME-

Gaudent hæ plantæ virtute aperitivâ atque ſudorifera, lau-

laudantur ad pleuritidem, Rheumatiſmos, malum Iſchiadicum & ad calculum. Decoctum cum caule & ſeminibus prodeſt in dolore dentium.

EPHEMERUM MATTHIOLI.

Sunt Ephemeri Matthioli I. B. folia oblonga, lata, duriuſcula, veluti Iſatidis, ſed tamen minora.

Folia hæc in vino decocta & cataplaſmatis inſtar impoſita, tumoribus atque apoſtematibus medelam afferre dicuntur.

EPIMEDIUM.

Sunt folia Epimedii Dod. hederacea ex rotundo oblonga, rigidula, acuminata, nervoſa, averſa parte glauca, ſuperius ex viridi palleſcentia, juxta pediculum pinnis duabus ſubrotundis, quarum altera altera longior, donata, circumcirca mitibus denticellis crenata.

EPIMEDIUM dictum putant ex ἐπὶ & μήδιον id eſt ſupra triphyllum, quaſi diceres magnum trifolium, quoniam folia magna terna juncta habet.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis tubulatis conſtante. Ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam unicapſularem, bivalvem, & ſeminibus fœtam.

Epimedium. Dod. Pempt. 599. Epimedium quorumdam, I. B. 2. 395.

In regionibus calidioribus in humidis naſcitur. Colitur in hortis, floret Majo.

γλαῦξ

Vim obtinet humectantem atque refrigerantem.

GERANIUM TRISTE.

Sunt Geranii triſtis Cornuti folia, initio humi jacentia ſubhirſuta, pluribus ſegmentis diviſa, forma filipendulæ, breviora tamen, pinguiora, molliora & ampliora multo, quorum medius nervus purpuraſcit, cætera atroviréſcunt, ſapore acido.

Herba hæc palatum belle afficit, unde inter olera recenſeri poteſt, vim namque poſſidet alimenti refrigerantis & humectantis compotem.

GLAUX.

Sunt folia Glaucis maritimæ C. B. Pin. per articulos in puſillis & gracilibus coliculis ſubinde reptantibus diſpoſita, Herniariæ, bina contrario ſitu reperiunda.

γλαῦξ καὶ γάλαξ ἢ γλάξ, Milchkrauth / HERBE AU LAIT,

Eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi vel patente, vel clauſo & multifido, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam, utplurimum globoſam, apice dehiſcentem, ac ſeminibus fœtam exiguis, placentæ affixis.

Glaux maritima. C. B. Pin. 215. Glaux exigua maritima. I. B. 3. 373. & Lob. Icon.

Locis maritimis & depreſſis aquaticisque ad mare naſci toto littore zelandia alibive, florere autem Junio & Julio dicitur.

Ἀγρώ-

Uſurpata, juxta JOH. BAUHINUM, in cibis & juſculis copiam lactis auget, quare nutricibus lactis penuria laborantibus utiliſſimam eſſe DODONÆUS perhibuit.

GRAMEN

GRAMEN FLORIDUM.

Sunt folia Caryophylli arvenſis glabri, flore majore C.B. Pin. graminea, acuta & rigida.

Ἀγρώστις λευκάνθεμος GRAMEN LEUCANTHEMUM, ὁλόστεον, GRAMEN FLORIDUM, GRAMEN VIRGINEUM, EUPHRASIA CANDIDA & NORICA, EUFRASIA VIRGINEA. Blumen-Graß/ Jungfrauen-Graß.

Refertur a TOURNEFORTIO ad Alſinem.

Alſine pratenſis gramineo folio ampliore. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 8. Caryophyllus arvenſis glaber flore majore. C. B. Pin. 210. Gramen Fuchſii ſive Leucanthemon. I. B. 3. 361. Gramen floridum majus. Tabern. Icon. 232.

Paſſim in convallibus muſcoſis & humidis dumetis Majo & Junio floret.

Refrigerandi vi pollet & ſiccandi juxta JO. BAUHINUM. Quare inflammationibus oculorum adhibetur recens contuſum & emplaſtri loco impoſitum. Idem ſuccus præſtat, ſi lintea in eo madefiant & applicentur. Alii ad dictas oculorum inflammationes aquam e floribus deſtillant.

LACTUCA MARINA.

Sunt Muſci marini Lactucæ folio C. B. Pin. folia, maris ſinubus innatantia, ab uno veluti pede prodeuntia, membranacea, lævia & cum exſiccantur quaſi papyracea, pellucida invicem incumbentia, complicataque & corrugata, colore herbido dilutoque, Lactucam aut Intybum criſpam quodammodo repræſentantia.

Com-

Βρύον θαλάσσιον, MUSCUS MARINUS, MUSCUS MARINUS LA-

CTUCÆ FOLIO, FUCUS MARINUS, MUSCUS MARINUS VIRENS LATIFOLIUS, MOUSSE MARINE A LARGE FEUILLE.

Eſt ſpeciea fuci juxta TOURNEFORTIUM.

Fucus Lactucæ folio. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2. g. 1. Muſcus marinus Lactucæ folio. C. B. Pin. 364. Lactuca marina ſive Intybacea. I. B. 3. 801. Muſcus marinus latifolius. Dod. Pempt. 477.

Hinc inde reperitur in mari.

Commodius hæc planta applicatur arthritidi quam Corallina. Refrigerandi virtute pollet. CAMERARIUS easdem pene vires, quas pulmonariæ arborum, adſcribit, niſi quod propter ſalſuginem magis extenuare dicat. Ea propter utiliſſimam prædicat applicatam calidis tumoribus & podagræ a bile ortæ.

LACTUCA SYLVESTRIS.

Sunt Lactucæ ſylveſtris Dod. folia Sonchi diviſura laciniata & ſerrata, ſpinis ſecundum coſtam averſa parte donata, amaro lacte prægnantia,

Θρίδαξ ἀγρία, SERRIOLA per duplex r. quod Serræ modo acutas ſpinas folii coſta a tergo habeat, wilder Lattich / LAITUE SAUVAGE.

Characterem vide ſub Lactuca

Lactuca ſylveſtris coſta ſpinoſa C. B. Pin. Lactuca ſylveſtris ſive Endivia multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo. I. B. 2. 1003. Lactuca ſylveſtris. Dod. Pempt. 646.

Naſcitur ſecus vias agrorum & pratorum margines, tum & juxta ſcrobes, reperitur & in vineis ac hortis, in quibus olera ſeruntur; facillime autem, ubi ſemel ſata eſt, ſingulis annis recurrit.

Θρι-

Recentior ætas, ut DODONÆUS perhibet, loco Intybi

tybi hac non infeliciter utitur. Nam ad jecinoris inflammationes & morbum regium confert, calorem ſi quidem contemperat, & meatus expurgando aperit.

LACTUCA SYLVESTRIS ODORE VIROSO.

Sunt Lactucæ ſylveſtris odoris viroſi C. B. Pin. folia, infima quidem lata, Intybo ſativo proxima, nigricantia in ambitu levibus ſpinulis quaſi ſerrata, ſuperiora Lactucæ ſylveſtris modo ſinuata, qua terram ſpectant ſpinulis per coſtæ longitudinem hiſpida amara.

θρ αχίνη, Lactuca Odore Opii.

Lactuca ſylveſtris odore viroſo. C. B. Pin. 123. Lactuca ſylveſtris lato folio, ſucco viroſo. I. B. 2, 1002.

Lapidoſis ſaxoſisque locis naſcitur, nonnunquam ex rupium ipſarum rimis exilit.

Mille-

Viribus, aliquantulum papaveri ſimilis eſt, inquit DIOSCORIDES, unde lacteum ejus ſuccum aliqui Meconio (ſive Opio) permiſcuerunt. Aquam per alvum elicit potus in aceto mulſo ſuccus ad duos obolos: argema caliginemque repurgat, contra aduſtiones efficaciter illinitur cum lacte muliebri. In ſumma ſomnum allicit, doloris levamentum præſtat, menſes trahit, ac contra ſcorpionum & Phalangiorum ictus bibitur. Sanat oculorum vitia cum lacte muliebri. Arcet nubeculas, cicatrices aduſtionesque omnes præſertim caligines.

LAPATHUM ACUTUM CRISPUM.

Sunt Lapathi folio acuto criſpo C. B. Pin. folia, anguſtiora

ſtiora foliis Lapathi vulgaris, folio obtuſo, longiora, obſcurius virentia, per margines criſpa & ſinuata, præſertim prope pediculos, ſaporis aciduli.

Folia hæc chartam cœruleam, authore TOURNEFORTIO, fortius rubedine tingunt quam radix, adeoque majorem copiam ſalis aciduli continere videntur. Symbolizant cum radice ratione virium.

LENTIBULARIA.

Sunt Millefolii aquatici lenticulati C. B. Pin. folia ramoſa ramo ad exortum hincinde inſigniori: Tum folium reliquum, juxta RAJUM, tum rami ramulos ab hoc & illo latere emittunt, in tenuia & capillacea ſegmenta ſubdiviſos, quibus accreſcunt veſiculæ pellucidæ, aqua plenæ, quæ cum vetuſtiores ſunt, nigricant & fragiles evadunt, velut turbinatorum teſtæ.

Iisdem

MILLEFOLIUM LENTICULATUM, vocavit C. BAUHINUS, quia veſiculæ parvæ lenticulares non tantum ultimæ foliorum parti adhærent, ſed infinitæ omnibus foliorum partibus ſubjiciuntur. MEUM AQUATICUM, FOENICULUM AQUATICUM GALERICULATUM, Waſſerhelm Krauth.

a TOURNEFORTIO ad nullum refertur genus, a RAJO ad herbas anomalas; a RIVINO ad herbas flore irregulari Monopetalo.

Lentibulariæ flos perſonatus eſt in duo ſegmenta diviſus, quorum ſuperius galeæ, inferius labelli lati figuram obtinet, & inter utraque palatum floris eminentia quadam velut in Linaria, ſed minus diviſa & quaſi cordiformis, occupat; ulterius flos calcari donatur & calicem bifolium habet. Vaſculum ſeminale ſimplex tenue membranaceum, continet globulum ſeminum minutiſſimorum Hæc DILLENIUS.

Millefolium aquaticum lenticulatum. C. B. Pin. 141. Millefolium aquaticum flore luteo galericulato. I. B. 3. 775. Meum aquaticum & Lentibularia, Geſn.

In

In paluſtribus & juxta rivos ſed rarius provenit, floret Julio & ſerius.
Iisdem cum aliis Millefolii aquatici viribus gaudet.

LINUM SYLVESTRE.

Sunt Lini ſylveſtris latifolii hirſuti cærulei C. B. Pin. folia, ſemunciam circiter lata, paulo longiora, acuminata, piloſa, venoſa.

Linum Sylvestre Latifolium, Linum Latis foliis Hirsutis, Linuum ἄγριον, wilder Flachs.
Linum ſylveſtre latifolium hirſutum cæruleum C. B. Pin. 214.
Linum ſylveſtre latifolium hirſutum, flore cæruleo I. B. 3. 453.
Linum ſylveſtre 1. latifolium. Clus Hiſt. 317.
In campeſtribus incultis locis & ſecus itinera Junio & Julio floret

Herba cum floribus cæruleis decocta & butyro recenti illita, tumores reſolvit & inflammationes lenit, quin etiam induratos emollit, addita Althæa radice & gallinaceo adipe.

LYCHNIS CORONARIA.

Sunt Lychnidis Coronariæ vulgo I. B. folia ex adverſo poſita, ſalviæ paria, aut paulo majora, oblonga, obtuſa, craſſiuſcula, mollia, ſupra infraque denſo villo caneſcentia, cum floribus parum odoratis, coloris rubri albi & ex carneo candidoque mixti.

Hujus

Lychnidis nomen accepiſſe contendunt hanc herbam παρὰ τὸ λύειν νύχιος ἤγουν σκότος quod tenebras ſolvat: vel quod tomentoſis ejus foliis veteres ad lucernarum uſum pro ellychniis uterentur. Placet aliis nomen Lychnidis datum non a frondium tomento, ſed a flammeo rutilanteque floris colore, Lychnis ergo

quaſi

quaſi lucidus luculentusque flos. λύχνις, λύχνις ςεφανωματική. LYCHNIS, LYCHNIS CORONARIA SATIVA, διὸς ἄνθος, ROSA MARIANA, JOVIS FLOS, LUCERNULA, ROSULA COELI, FLOS COELI, DOMINARUM ROSULA, ÆSTATIS ROSA, OCULUS CHRISTI, OCULUS DEI, Margenröſzlein/ Marienroſen/ Himmelröſzlin/ Himmelblümlein/ Veilroſen/ Sammetröſzlin. OEILLETS & OEILLETS DE DIEU, PASSE FLEURS, PASSEROSES.

Lychnis eſt plantæ genus flore caryophyllæo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, plerumque cordiformibus duobus aut tribus foliolis donatis corollam effigiantibus, ex calyce tubulato emergentibus. Piſtillum autem ex eodem calyce ſurgit, abitque deinde in fructum utplurimum in conum deſinentem, apice dehiſcentem calyce ipſo involutum, ſæpe unicapſularem, ſeminibus fœtum ſubrotundis vel angulatis interdum reniformibus placentæ affixis.

Lychnis coronaria Dioſcoridis ſativa flore dilute rubente. C. B. Pin. Lychnis coronaria vulgo. I. B. 3. 340. Lychnis coronaria. Dod. Pempt. 170.

Lychnis Coronaria Dioſcoridis ſativa alba. C. B. Pin. Lychnis coronaria alba. Tabern. Icon. 291.

Lychnis coronaria flore incarnato punctato. Eyſt.

Lychnis coronaria ſativa multiplex. C. B. Pin. 204. Lychnis coronaria flore pleno. I. B. 3. 341. Lychnis altera rubra. Lob. Icon. 334.

Seritur in hortis & fictilibus, floret æſtivis præſertim menſibus.

Hujus herbæ appoſitu Scorpiones torpeſcere & ineptos prorſus reddi aſſerunt. Bilem per alvum trahere vulneraque recentia glutinare dixit SCHWENCKFELDT. Radicum porro ſuccum naribus ſternutamenta ciere cerebrumque efficaciter purgare fertur. Semen quoque cum vino potum a Scorpione ictis auxiliatur.

LYSI-

LYSIMACHIA CHAMÆNERION.

Sunt Lyſimachiæ Chamænerion dictæ C. B. Pin. folia, ad Salicis aut Nerii folium accedentia, oblonga, mediocriter anguſta, acuminata, utrinque glabra, rara quædam per ambitum crenatim veſtigia oſtendentia, ſapore ſubadſtringente & glutinoſo, non ſine aliqua obſcura acrimonia.

Virtute hæc folia gaudent vulneraria detergente & glutinante.

MALVA CRISPA.

Sunt Malvæ foliis criſpis C. B. Pin. folia palmaribus & dodrantalibus pediculis, altera parte hirtis altera glabris, appenſa, latitudine memorabili, brevibus pilis donata, non tantum laciniata, verum etiam crebro flexu reflexuque per oram criſpa.

Malva foliis criſpis. C. B. Pin. 315. Malva criſpa. I. B. 2. 952. Malva criſpatis oris. Lob. Icon. 651.

Colitur in hortis floret Julio & Auguſto.

Huic præ aliis malvis magnam emolliendi vim tribuit CAMERARIUS.

MEDICA.

Sunt Trifolii ſiliquæ cornutæ ſive Medicæ C. B. Pin. folia terna, oblonga, per extremam oram, quæ obtuſa eſt, crenata.

Refe-

Μηδική, Medica natales ſuos ipſo nomine fatetur, locumque unde venerit vocabulum indicat, a Medis enim eſt advecta,

FOENUM BURGUNDIACUM, TRIFOLIUM BURGUNDIACUM, LUSERNE. SAIN FOIN, FOIN DE BOURGOGNE.

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum cochleæ æmulum, ſeminibus fœtum utplurimum reniformibus.

Medica major erectior floribus purpuraſcentibus. I. B. 2. 382. Trifolium ſiliqua cornuta ſive Medica. C. B. P. 330. Medica legitima. Clus. Hiſt. CCXLII.

Medica hæc non modo in variis Hiſpaniæ locis ſponte oritur, ſed etiam diligenter colitur in pecudum pabulum ſed maxime equorum, vice fœni communis, quippe quod propter ubertatem ſingulis annis pluries demeti poſſit. In meridionalibus Galliæ regionibus præſertim, ut & aliis locis pluribus rigua prata ejus ſeminibus conſeruntur; ter quater imo ſexies ſecatur hoc fœnum, reſtibili radice & inexhauſta fœcunditate; agro pingui & bene ſtercorato delectatur.

CORA-

Referunt nullo cibo tam viridi quam arido magis lætari, ſaginari & pinguefieri jumenta, pecusque omne; parcius tamen dari, quoniam inflet & multum ſanguinem creet, quem deducere poſtea neceſſe ſit, adeo ſuavis interim & nutriens eſt herba, ut pecus arcere neceſſe ſit, ne vel diſrumpatur, aut ſanguinem detrahere oporteat. Animalium vitiis plerisque medetur. Ad maciem mularum nulla res tantum quantum Medica prodeſt.

Herba hæc decocta & pota ardorem ſanguinis aliorumque humorum temperat & urinam ciet.

MELOCHIA.

Sunt folia Corchori ſive Melochiæ I. B. Cynocrambes fere vel Mercurialis majora duarum aut trium unciarum longitudine, ſeſcuniam lata, per ambitum ſerrata, quæ parte

parte ima barbulam utrinque unam ſeu apophyſin ligulæ inſtar tenuem poſſident.

CORCORUS, Κόρκορος; Κόρχορος, OLUS JUDAICUM.

Eſt planta flore roſaceo plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante; ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum cylindri æmulum, quinque capſularem, quinquefariam dehiſcentem ſeminibusque fœtum utplurimum angulatis. His notis addenda ſunt folia alterno ordine in caulium nodis naſcentia

Corchorus ſive Melochia. I. B. 2. 982. Melochia. P. Alp. Exot. 39.

Ægypti indigena eſt hæc herba.

ςτρα-

De uſu hujus Melochiæ ita diſſerit ALPINUS. Melochia facultate plane ſimilis Althææ videtur, proinde ad ſuppurandos vel concoquendos atque emolliendos tumores duros ejus maximus uſus eſt, habet etiam majorem viſciditatem ejus mucilago, quam Althea. In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius vel gratius; decoquunt enim in aqua vel jure carnium, ut nos betam elixare ſolemus. Convivia carentia Melochiæ ferculis ab his parum reputantur; cibus quidem illis populis melochia eſt familiariſſimus; ex quo multi tamen male ſe habent, nam parum nutrit, & ſuccum viſcidum gignit, ex quo in difficiles obſtructiones viſcerum, qui eam in cibo frequentant, incúrrunt, nihilominus melochiam in cibis non omittunt; præcipueque viſcoſiorem mucilaginem facientem avide omnes eſitant. Eſt tamen totius plantæ vel maxime foliorum decoctum pectori amicum: ipſum enim humectat, ex quo ſiccis aſperisque tuſſibus præſentaneum cum ſaccharo cando eſt auxilium atque ægre ſpirantibus. Veslingius dicit quod ferculum ex decocta Melochia paratum omnino plebeum ſapiat, viſcidum,

guſtui fatuum, niſi a multo (ut ſolet) limonum ſucco condimentum accedat.

MILLEFOLIUM AQUATICUM PENNATUM.

Sunt folia Millefolii aquatici pennati ſpicati C. B. Prodr. terna vel quaterna, quaſi ſtellatim circumjecta, tenuiter inciſa, pennam & forma & tenuitate referentia, colore fuſco prodeuntia cum ſpica purpuraſcente in cauliculorum ſummitatibus, ubi ex aqua recti attolluntur.

στρατιότης ποτάμιος, MYRIOPHYLLUM, aut MARATRIPHYLLUM PALUSTRE, FOENICULUM AQUATICUM, Waſſer-Fenchel.

Eſt potamogeton, nempe

Potamogeton foliis pennatis, Tourn. I R. H. cl. 5. ſ. 8. g. 1. Millefolium aquaticum pennatum ſpicatum. C. B. Prodr. 73. Millefolium pennatum aquaticum. I. B. 3. 783.

Paluſtris eſt planta & aquis imprimis non fluitantibus familiaris.

NYM-

Deſiccatoriæ, ut loquitur SCHWENCKFELDT, eſt facultatis ut vulnera glutinet, atque recentia ab inflammatione vindicet.

MORSUS RANÆ.

Sunt Nymphææ albæ minimæ C. B. Pin. folia circinatæ rotunditatis, tenera, uncialia, interdum duplo majora, Aſari foliis fere ſimilia, guſtu Nymphææ aut Lenticulæ paluſtris.

Vires

Nymphæa Alba Minor, Viola Paluſtris Morſus Ranæ, Froſchbiß/ groſſe Waſſer-Linſen.

TOURNEFORTIUS ad ſuum genus non reduxit, GUNDELSHEIMERUS autem putat, quod idem genus agnoſcat, quod Aloe paluſtris.

Stratiotes Aſari folio Gundelsheim. Nymphæa alba minima C. B. Pin. 193. Nymphæa minor ſive Morſus ranæ. I. B. 3. 765.

In lacuſtribus, ſtagnantibus torpentibusque aquis, ubi ranæ lubentius ſtabulantur unde nomen, æſtate floret.

Papyrus

Vires obtinet refrigerandi atque humectandi, ut Nymphæa & Lenticula palluſtris.

OPUNTIA.

Sunt folia Opuntiæ vulgo herbariorum I. B. magna, longitudine interdum plusquam pedali, latitudine ſesquipalmari, ex oblongo rotundata pollicem craſſa, infima etiam craſſiora durioraque ſupremis, foris membrana tecta plurimis tuberculis aſperata, e quibus ſpinulæ albæ acutæ facile contrectanti adhærentes, infixoque aculeo ſtationem nativam deſerentes, ſucco intus turgentia colore herbaceo, tactu viſcido, ſalivoſo, qui exſiccatus granuloſus, arenæ tenuiſſimæ inſtar attritu digitorum diſſolvitur: folia ex aliis foliis jucundo connexu ſuccreſcunt, quibus etiam plurimum pro caudice utitur hæc planta & in bracchia diducitur: folia porro hæc cum tempore incraſſantur & fiunt rotundiora, imo ligneam tandem ſubſtantiam aſſumunt, præſertim inferiora, tumque & ſpinas magna ex parte amittunt.

Quæ de hujus Opuntiæ foliis dicuntur, valent etiam de aliarum Opuntiæ ſpecierum foliis.

 Æque

Æque ac fructus refrigerant & humectant hinc & eorum ſuccus febres ardentes extinguit & ſitim explet: Succus plantæ aut aqua ſtillatitia admirabilis eſſe dicitur adverſus bilioſas febres. Experientia conſtare ajunt folia eorumve ſuccum vulnera recentia mirabiliter ſanare. Tumores etiam & apoſtemata, quæ nautis plerumque accidere ſolent in Americam trajicientibus potenter diſcutiunt. D. HUGHES ex relatione RAJI folia charta madefacta involuta & ſub cineribus toſta apoſtematis cataplaſmatis forma applicare ſolebat, ſucceſſu ſupra ſpem & expectationem proſpero, ut nullum vel præſtantiſſimum medicamentum compoſitum ad hunc uſum æque commodum ac proficum fuerit.

Gummi hujus plantæ referente prædicto RAJO, renum & urinæ calorem temperat.

Speciei hujus Opuntiæ cuidam vermiculos Cochinillæ dictos familiares eſſe ſuo dicetur loco.

PAPAVER SPINOSUM.

Sunt Papaveris ſpinoſi C. B. Pin. papaveris corniculati inſtar laciniata, non hirſuta, ſed mollia & nitida, medium caulem amplectentia, tres quatuorve uncias longa, parte quidem ſuperna viridia, at nervis, quaſi tenui pulvere aſperſo, albicantibus: parte inferna caneſcentia, & nervis ex minimis aculeis exaſperatis.

Folia hæc, ſuccum flaveſcentem fundunt, ut tota planta, laudantur externe ad mitigandam oculorum inflammationem, & ad conſolidanda vulnera.

PAPYRUS.

Aſſurgit, ut loquitur VESLINGIUS, ab arundineis fibroſisque

ſisque radicibus (CÆSALPINUS radices lignoſas, craſſas harundinis modo geniculatas, numeroſa ſobole, in obliquum tendentes, ſapore & odore Cyperum æmulantes, ſed infirmius, ſubrufas Papyro Sicilianæ attribuit) circa Nili ſtagnantis ripas caule numeroſo triquetro, non raro ſeptem cubitorum menſuram ſpecioſa proceritate tum æquante tum ſuperante. Folia circa utrumque ſcapi extremum inferius ampliora Sparganii Cyperive inſtar repanda, ſuperne minora, quæ radiatum veluti calicem innaſcenti jubæ ſubjiciunt. Denſo ſtaminum ordine ſtipatum caulis faſtigium cæſariem exprimit, & circa ſummum hujus prominuli florei apices obligatum circumplicata hedera thyrſum effingunt. JOH. BAUHINUS ſic floream comam deſcribit: floribus eſt perquam ſpecioſis & luculentam in ambitu cæſariem effigiantibus, numeroſis gracilibus thyrſulis, denſo & æquabili comarum ſtipatu & apicibus prominentibus, ferulæ in modum collectis non ut cyperi ſparſis: nimis ornate & minus clare. Cæſalpinus comam lotam, ex numeroſis parvis junciis triangulis conſtantem, in quorum ſummo flocci ruffi ei adſcribit: magis perſpicue.

Ex

Papyrus niſi nomen peculiare ſortita eſſet, ob caulem triquetrum Cypero potuiſſet accenſeri.

PAPYUS NILOTICA. I. B. Papyrus Nilotica ſive Ægyptiaca. C. B. Pin. Papyrus Syriaca vel Siciliana Ejusd.

Papyrus quam CÆSALPINUS in horto Piſano aluit ex Siciliæ paluſtribus delatam, quam eodem authore in Sicilia vulgo Piperum vocant; quam JOH. BAUHINUS in horto dicto CÆSALPINI benevolentia vidit, RAJO non aliter differre videtur a Papyro Nilotica veterum quam magnitudine aliisque accidentibus a loci diverſitate ortis: neque JOH. BAUHINUS aut etiam CÆSALPINUS ipſe diſtinguunt aliter quam magnitudine.

PIN-

Ex Papyro olim chartæ fiebant ad ſcribendi uſum, ut PLINIUS docet, acu in prætenues ſed latiſſimas phyluras dividendo. Hæc Papyrus porro ante repertas fruges Ægyptiis alimentum (omnes enim Ægypti incolæ & crudam & elixam & aſſam manducabant & ſuccum devorabant, manducamentum autem expuebant) ſtragulas, navium contextum, vaſorum utenſilia, florem ad coronandos Deos & calceos horum ſacerdotibus præbebat. Radix in uſum ligni cedebat. Chirurgi, referente ALPINO, foliorum medulla utuntur ad ulcerum ora dilatanda. Ex ſcapi combuſto cinere recentia ulcera curant, qui etiam maligna augeri (ſi ſæpe aſpergatur) non ſinit. Ex ſcapis recentibus aquam deſtillant ad oculorum caligines, ſuffuſiones ac obſcuritates maxime proficuam.

Chartæ ex Papyro in deſuetudinem abierunt: novo chartarum artificio circa an. 1470. (quo tempore ex Gallicia duo Viri ANTONIUS & MICHAEL in Germaniam & Baſileam venerunt, & ſecum illam artem antea Germanis ignotam attulerunt) invento; Lintea ſcilicet uſu detrita & flaccida tandiu tundunt machinis aqua motis, donec in ſuccum diſſolvantur; hunc optime aqua diſſolutum non ſine glutine & conturbatum cribris excipiunt, qui ſucci craſſitiem retinentes, paginam reddunt ſuper ſtramenta ad uſum parata, quæ ad prioris imitationem Papyrus quoque nominatur eo quod eumdem nobis uſum præſtet, quem olim Ægyptis Papyrus præſtabat.

PINGUICULA.

Sunt folia Saniculæ montanæ flore calcari donato C. B. P. per terræ ſuperficiem ſparſa ſex aut ſeptem aut interdum plura,

plura, pallide ex luteo viridia, pinguiuſcula & nitida, ac ſi oleo aut butyro oblinerentur, binas uncias longa, unciam circiter lata, per extremum nonnihil obtuſa, marginibus æqualibus & minime crenatis, ſaporis pinguis ſubamari.

PINGUICULA dicitur GESNERO, quod folia ad tactum pinguia ſint ac ſi oleo aut butyro oblinerentur. Butter-Wurtz/ Schmer Wurtz / Butter-Krauth. GRASSETE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo anomalo, utrimque patente, ſed Violæ formam æmulante, veluti bilabiato & in caudam deſinente: ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam bifariam dehiſcentem, ſeminibus fœtam exiguis, placentæ affixis.

Pinguicula Geſneri. I. B. 3. 546. Sanicula montana flore calcari donato. C. B. Pin. 243. Pinguicula. Cluſ. Hiſt. 310.

Pinguicula flore albo minore calcari breviſſimo Raji Hiſt. 752.

In paluſtribus humidis & montoſis udis, ubi aquæ ſcaturiunt, ſæpius occurrit floret vere. Difficulter colitur in hortis elegantiſſima hæcce planta.

POTA-

De uſu pinguiculæ ita diſſerit KOENIG. Saporem habet pinguem ſubamarum, abſtergentem, glutinantem, mundificantem modice calefacientem: hinc uſus ejus præcipuus in tabe, Phthiſi; pectus lenit, vulneraria eſt, a Camerario ad ramices ſpecialiter etiam commendata: præcipue autem paſtores circa montis Juræ tractum habitantes ſucco ejus pingui & butyroſo plagas ſibi & vaccarum uberum ſanant, imo quia ſuccus hic lentus ſpiſſus & glutinoſus eſt, ut gummi ceraſorum, in eo peculiare quid contra morbos pectoris & renum latitabit. Simonem Pauli Ruſtici docuere, quod recentis pinguicolæ foliola & radices contuſæ inunctæ capillis illos flaveſcere faciant. In ſpiras conſtrictam aut con-

tortam comam non ſinit hiſcere hæc planta. Plebs Wallica Syrupum ex ea conficit teſte RAJO, quo ſe ſuosque purgant, quin & herbam juſculis incoquunt in eundem uſum. Purgat enim pituitam ſatis ſtrenue. Præterea unguentum ex ea conficiunt ad obſtructiones hepatis utiliſſimum. Dalechampius aſſerit radicem piſtam & pro malagmate impoſitam tertio die curare Iſchiadicos, eandem tritam & impoſitam locis dolore affectis quosvis dolores ſanare. Aſt radix, inquit RAJUS, nimis parva eſt quam ut pinſi poſſit in hunc uſum.

Vinum medicatum antiphthiſicum Muralti in Chir. laudatur.

POTAMOGETON.

Sunt folia Potamogetonis nunc rotundiora nunc longa & ſerrata, nunc lata & ſplendentia, nunc criſpa, coloris viridicantis diverſi.

POTAMOGETON ποταμόγειτον a vocibus ποταμὸς fluvius & γείτων vicinus: Nomen enim (ut ait DIOSCORIDES ex eo inditum eſt, quod in paludibus & aquoſis locis naſcatur) Vocatur etiam σταχίτης, STACHITIS, quaſi ſpicata, ob caulem quem floribus & ſemine ſpicatum ex ſe mittit. Alii FONTALEM & FONTINALEM quoque nominant. Seeſalden/ Samkrauth/ Seeſoldenkrauth/ EPI D'EAU.

Eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante, & calycis experte. Hujus autem piſtillum abit in quatuor ſemina utplurimum oblonga, & in capitulum quoddam collecta.

Potamogeton rotundifolium, C B. Pin 193. Potamogeton rotundiori folio. I. B. 3. 776. Potamogeiton ſpicata. Tabern. Icon. 739.

Potamogeton longo ſerrato folio. C. B. Pin. 193. Lapathum fluitans longo ſerrato folio. I. B. 2. 988. Potamogeton altera, Dod,

Dod. Pempt. 582. Oxylapathum aquaticum Dalechampii. Lugd. 603.

Potamogeton foliis latis ſplendentibus. C. B. Pin. 193. Potamogeton altera Dodonæi. I. B. 3. 778. Potamogeton tertia. Dod. Pempt. 582.

Potamogeton foliis criſpis ſive Lactuca ranarum. C. B. Pin. 193. Fontinalis criſpa. I. B. 778. Tribulus aquaticus minor, quercus floribus. Gerard. emac. 824.

In aquis ſtagnantibus, fluminibus tarde fluentibus, rivulis, fluviis, piſcinis, proveniunt, florent Junio & Julio.

Refrigerat & adſtringit hæc planta, convenit pruriginibus ac depaſcentibus vetuſtisque ulceribus. Ex vino dyſentericis & cœliacis medetur, Cruribus vitioſis utilia ſunt folia, & contra ulcerum nomas cum melle vel aceto valent.

RAPISTRUM.

Sunt folia Rapiſtri flore luteo I. B. rapitia, ſed quæ attrita non acri illo ſinapis odore nares feriant, ſed oleraceo penitus.

Era-

RAPISTRUM ARVORUM, ARMORACIA QUIBUSDAM, Sinapi ſylveſtre, LAMPSANA MATTHIOLI, RAPHANUS SYLVESTRIS, Hederich/ geel Hederich/ Heidenrettich/ Schnödſenff/ Wildſenff.

Ad Sinapi pertinet, Eſt nempe

Sinapi arvenſe præcox ſemine nigro. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 216. Rapiſtrum flore luteo foliis inciſis vel ſinuatis. C. B. Pin. 95. & I. B. 2. 844. Rapiſtrum arvorum. Lob. Icon. 198. Sinapi arvenſe præcox ſemine nigro foliis integris. Tourn. I. R. H. cl. 5. ſ. 4. g. 9. Rapiſtrum flore luteo foliis non inciſis. C. B. Pin. Rapiſtrum. Dod. Pempt. 675.

Plurimum inter ſegetes hordeaceas & rapaceas invitis Agrico-

lis luxuriat, ut interdum totos agros cooperiat, Majo & Junio &c. floret.

E raporum ſylveſtrium cenſu eſt Rapiſtrum, ut loquitur SCHWENCKFELDT. Acrimonia pollet ut Naſturtium. Reſiccantem, extergentem & nonnihil digerentem facultatem obtinet. GALENUS apud DIOSCORIDEM hanc plantam eſam malos ſuccos procreare ſcribit; DIOSCORIDES vero plus alere ait, quam rumicem & ſtomacho utiliorem. Coquuntur autem eodem auctore caules foliaque & in cibum recipiuntur.

SABDARIFFA.

Sunt Alceæ Indicæ magno flore C. B. Pin. folia, pediculis longis ſesquipalmaribus hærentia, nonnihil rubentia, glabra, in tres lacinias ſerratas diviſa, quorum priora nulla penitus, quædam exigua diviſura ſuperne a prædictis variant, cum floribus Alceæ Venetæ majoribus.

ALCEA INDICA, ALCEA AMERICANA, SABDARIFFA.
Eſt ſpecies Ketmiæ cujus characterem, vide ſub Abelmoſch.
Ketmia Indica vitis folio ampliore. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 6. g. 6.
Alcea Indica magno flore. C. B. Pin. 317. Bamiæ aliquatenus affinis Sabdariffa, I. B. 2 690. Alcea Americana. Clus. Hiſt. XXVI.
Sponte naſcitur in India Orientali & Occidentali. Colitur in hortis, floret Septembre.

Juxta

Tota planta dicitur gaudere virtute emolliente, reſolvente pectorali atque aperitiva. Dolores mitigat. In nephritide ſabulo & calculo prodeſt. Medetur urinæ retentioni. Adhibetur in decocto.

SEDUM

SEDUM AFRICANUM FOLIIS ORBICULATIS.

Sunt Sedi Africani fruteſcentis incani foliis orbiculatis H. L. B. folia orbiculata, craſſa, ſucculenta, aliquando volæ manus amplitudine, glauca, ambitu nunc rubente nunc palleſcente.

Juxta TOURNEFORTIUM pertinent ad Cotyledonem: flores ejus ita deſcribit HERMANNUS, ex calyce quinquefoliato dependent flores oblongi, pentanguli, quinque rubentibus ſeu incarnatis petalis (rectius cum TOURNEFORTIO unico petalo) oris ſurſum reflexis, cum totidem e medio ſeſe exerentibus ſtaminibus apiculatis flaveſcentibus conſtructi.

Cotyledon Africana fruteſcens, foliis orbiculatis, limbo purpureo cinctis. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 5. g. 1. Sedum Africanum fruteſcens incanum, foliis orbiculatis. H. L. Bat. Sedum arboreſcens Promontorii bonæ ſpei. Stapel. 335. & Breyn. Prodr. 47. Sedum majus arboreſcens Africanum alterum, foliis rotundioribus glaucis, limbo purpureo cinctis. Breyn. Prodr. 47.

Locis maritimis aridis glareoſis ad promontorium Bonæ Spei fruticis altitudine aſſurgit. Colitur nunc in hortis, ſed non ſingulis annis floret.

SEM-

Tota planta, ut loquitur HERMANNUS, aquoſo viſcidoque gaudet ſucco, conſimilique virtute, qua cæteræ Sedi ſpecies.

SEDUM MINUS.

Sunt folia Sedi minoris flore luteo I. B. craſſa, pinguia, acuminata, ſurſum ſpectantia, crebra.

Sempervivum Minus, Crassula Minor, Sedum Minus Hæmatodes, Aizoum Minus, Aizoum Hæmatodes, Vermicularis & Illecebra Major. Kleine Haußwurtz/ kein Donnerbarth/ klein Haußwurtz Männlin/ Katzen-Träubel/ Hüner-Träubel. Triquemadame.

Eſt Sedum minus luteum folio acuto. C. B. Pin. Sedum minus flore luteo. I. B. 3. 692. Aizoon hæmatoides. Lob. Icon. 378.

Colitur in hortis, ſponte quoque in muris & maceriis provenit.

In acetaria multis locis recipitur, in quibus & ſapit & palato gratum, æſtuanti ventriculo confert.

SEDUM MINUS TERES.

Sunt folia Sedi minoris teretifolii albi C. B. Pin. pinguibus caſeorum putreſcentium vermibus ſimillima, atrovirentia, vel punctis rubris guttata.

Sempervivum Minus Album, Aizoon Minus Albo Flore, Crassula Minor ſive Vermicularis, Illecebra Major. Katzen-Träubel/ kleine Haußwurtz/ Klaffenkrauth / klein Donnerbarth / Taubenweitz / Hünerbeer / Hünerträubel / Knorbelkrauth/ Petite Joubarbe, Joubarbe a Petite Feuille.

Sedum minus teretifolium album. C. B. Pin. 283. Sedum minus folio longiuſculo tereti flore candido. I. B. 3. 690. Vermicularis craſſula minor officinarum & Illecebra minor. Lob. Icon. 377.

Paſſim in veteribus muris, circa aggeres, ſepimenta agrorum, locis apricis exit, menſibusque æſtivis floret.

Aizoum

SOLENANDER ſedum hoc inter ea medicamenta recenſet, quibus dolentes cum calore, rubore, ardore, & pruritu,

ritu hæmorrhoides haud difficulter curari poſſunt. Succus, inquit, Vernicularis linteolis ſæpius madefactus, applicatus bene facit. Mitius eſt, ſi cum hoc ſucco unguentum populeum miſceatur, appliceturque ita dolorem ſedat & pruritum tollit.

℞. Sedi minoris teretifolii albi man. ij. ſemperviv. major. man. j. Butyri inſulſi ℥j. miſc. fiat unguentum ad hæmorrhoides.

SEDUM SERRATUM.

Sunt Sedi ſerrati I. B. folia plurima per terram ſparſa, rarius humo ſe tollentia, Sedi pinguia, oblonga, extremo rotundo, ac etiam quædam nonnihil in acutum deſinentia, unciam unam vel duas longa, colore glauca, argutiſſimis in ambitu denticulis rigidis reliquoque folio candidioribus crenata, ſapore ſtrenue adſtringente.

AIZOUM SERRATUM a foliis, CRASSULA SERRATA. COTYLEDON MINOR SEDI FOLIO. COTYLEDON MINOR MONTANA ALTERA; SEDIFOLIA, UMBELLIFERA FLORIBUS ALBIS PUNCTULIS RUBRIS ASPERSIS. UMBILICUS VENERIS MINOR PALMARIA.

Pertinet juxta TOURNEFORTIUM ad Saxifragam

Saxifraga Sedi folio anguſtiore ſerrato. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 3. g. 2 Cotyledon media foliis oblongis ſerratis. C. B. Pin. 285. Sedum ſerratum. I. B. 3. 689. Umbilicus Veneris minor. 1. & 2. Tabern. Icon. 847. Aizoum ſerratum. Cord. Hiſt. 92.

In Alpibus & aliis montibus reperitur.

SEDUM

Tota herba adſtringit, ut loquitur JOH. BAUHINUS, ſed folia efficacius.

SEDUM

SEDUM TRIDACTYLITES TECTORUM.

Sunt] Sedi tridactylitis tectorum C. B. Pin. folia Rutæ, bifida interdum trifida, inciſura, eademque magnitudine quadantenus, priora, oblonga, ſimplicia, alia vero ſine pediculo cauli appoſita, pinguia ſive ſucculenta, pallida, hirſuta, tactu glutinoſa, in tria ſegmenta ceu digitos diviſa vel quina.

SEDUM FOLIIS LACINIATIS. PARONYCHIA ALTERA. PARONYCHIA RUTACEO FOLIO, PARONYCHIA LACINIATA. DACTYLIOBOTANUM ALTERUM. ALSINE PETRÆA RUBRA. Hendel-Krauth.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies ſaxifragiæ.

Saxifragia verna annua humilior. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 3. g. 2. Sedum tridactylites tectorum. C. B. Pin. 285. Tridactylites tectorum flore albo, I. B. 3. 762. Paronychia altera. Dod. Pempt. 112.

In parietinis locisque umbroſis & petroſis naſcitur. Exeunte Hieme, primo fere floſculos edit, deinde minimo æſtu, marceſcit, ut nusquam toto anno compareat. Variat ratione loci, quæ enim in tectis provenit major eſt & ramoſior, altera vero in arenoſis & ſiccis proveniens minor multo. Flore aliquando eſt niveo, communiter pallide purpuraſcente.

Vocatur

TRAGI judicio binæ plantæ vim habent refrigerantem & humidam, poſſuntque citra noxam utrinque adverſus inflammationes uſurpari Intrinſecus quidem cum cæteris in acetariis Portulacæ ad modum, cui facultatibus parem ſtatuit. Extrinſecus vero ut Anagallides.

SOLANUM VERTICILLATUM.

Sunt Solani ſomniferi verticillati C. B. Pin. folia alternata,

Priapeæ

Priapeæ foliis proxima, minora tamen ex rotundo leviter in acumen deſinentia, hirſuta, pediculis uncia brevioribus hærentia,

Vocatur ϛρύχνον ὑπνώτικον, ϛρύχνος ὑπνώδης. Δίρκαιον, ἁλικάκαβον, HALICACABON, MORION, SOLANUM SOMNIFERUM.

Eſt ſpecies Alkekengi, & quidem

Alkekengi fructu parvo verticillato. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 7. g. 3. Solanum Somniferum verticillatum. C. B. Pin. 166. Solanum verticillatum. I. B. 3. 610. Solanum Somniferum. Dod. Pempt. 455.

Colitur in hortis, floret menſe Junio & Julio.

Juxta JOH. BAUHINUM foliis hujus Solani contuſis emplaſtri modo ad calidas inflammationes utuntur, atque illitis ex ipſorum ſucco fronte temporibus ac aliis corporis partibus, in quibus pulſus ſentiuntur, vel iisdem contuſis emplaſtri modo appoſitis ad ſomnum familiariſſime utuntur, non minusque ad exuſtiones.

VERMICULARIS.

Sunt Sempervivi minoris vermiculati acris C. B. Pin. folia exigua admodum, denſitate cum longitudine fere pari, ſaporis fervidi urentisque.

Sedo

Ἀίζοον, AIZOUM ACRE, SEDUM MINIMUM, SEMPERVIVUM MINIMUM, VERMICULARIS, ILLECEBRA, HERBA ARTHRITICO SCORBUTICA, PIPER MURORUM vel MURALE, quod ſcilicet in muris proveniat, guſtuque acre ſit, ut PIPER, Maur-Pfeffer/ Stein-Pfeffer/ kleinſte Hauß-Wurtz/ Blattloß/ quaſi foliis deſtitutum Juden-Träubel/ Katzen-Träubel/ UVÆ JUDAICÆ.

Sedum parvum acre flore luteo. I. B. 3. 694. Sempervivum minus vermiculatum acre. C. B. Pin. 283. Sedum minus viij. cauſticum. Clus. Hiſt. LXI.

Ab hoc partibus multo exilioribus minoribusque & imprimis ſapore diſcrepat.

Sedum minimum luteum non acre. I. B. 3. 695. Sempervivum minus vermiculatum inſipidum. C. B. Pin. 284.

Naſcitur utrumque paſſim in tectis muris & petris, in aggeribus, ſalebroſis & aridis locis, tenui gramine oblitis; adeo autem vivax, ut tenuiſſima ramulorum fragmenta facillime radices agant. Æſtivis menſibus cum floribus reperitur. IN

Sedo acri videtur, juxta TOURNEFORTIUM ineſſe Sal corroſivum ſimile nonnihil ſpiritui Nitri mitigato nonnihil ſulphure. Calefacit vehementer & foris admotum rubificat, & veſicas excitando tandem exulcerat. Nihilominus tamen interne uſurpatur: interne, inquit ETTMULLERUS, cum aliis antiſcorbuticis tanquam ſingulare & maxime expertum remedium in cura Scorbuti & mali hypochondriaci adhibetur, ita ut in Scorbuto curando D. MICHAELIS nunquam potuerit ſatis commendare.

FUCHSIUS jubet, ut incoquatur lacti & ut ſcorbuto laborans ſingulis mane jejuno ſtomacho hauſtum aſſumat. Quidam in febribus ſcorbuticis chronicis recipiunt plantulam hanc, & cum aceto vini contundunt pro exprimendo ſucco, quem uſurpant ante paroxyſmum, ita ut aliquando ſuccedat vomitus, quo facto liberantur a febre. In aliis non per vomitum, ſed per ſudorem & inſenſibilem operationem eædem profligantur: Si ergo vomitus non ſequatur expectetur ſudor. SIMONE PAULI teſte vomitum movet ſuccus propinatum, qui ingratus quidem eſt medicamentum, ſed vulgo & ruſticis notiſſimum. Commendatur etiam adverſus venena. Externe ſuccus hic cum pauco melle vel

aliis

aliis ſubactus contra ſcorbutum oris & gingivarum eſt egregium, putredinem gingivarum laxarum corrigit & gingivas firmat & conſolidat. Decoctum quoque multum prodeſt in laxitate & putredine gingivarum ſcorbutica corrigenda. Planta porro hæc de collo ſuſpenſa aut ſub axillis geſtata pro amuleto ceu experimentum inſigne in febribus intermittentibus chronicis in ſpecie, tertianis commendatur.

Sedum vermiculatum non acre adſtringit vehementer.

℞. Vermicularis acris man. j. contund. & addito aceto exprim. ſuccum, qui hora una & circiter ante paroxyſmum febris tertianæ intermittentis euporiſtos eſt injuncto ſudore.

℞. Vermicularis acris man. viij. coqu. in Cerevis. ℔viij. propinetur in ſcorbuto.

℞. Vermicularis acris man. jß. Camphoræ ʒj. vel ʒij. Mſc. pro amuleto in febribus.

IN OFFICINIS QUIBUSDAM PROSTAT.

Aqua Vermicularis, Katzenträubel-Waſſer/ quæ ad dolores arthritico ſcorbuticos laudatur; ulcera quoque antiqua mundificat & cruentationi gingivarum medetur.

℞. Aquæ vermicularis ex ſucco deſtillatæ ℥iv. Succ. Limon. ℥j. Commendatur in colica nephritica ad arenulas, pus, aliasque impuritates eliminandas.

VIOLA AQUATICA.

Millefolium aquaticum ſeu Violam aquaticam caule nudo C. B. Pin. vocant aquarum Amaſiam plantam, cui radices longæ, ſubinde obliquo actu ſe propagant ſeſquipalmares, e quibus orti pediculi trium quatuorve unciarum, foliorum pinnatim adnexis ſegmentis uncialibus anguſtis, caulis re-

ctus, inanis, ſtriatus, geniculis aliquot per ſumma nodoſus, ad quorum unumquodque quini aut ſeni verticillatim naſcuntur, flores pulchri, majuſculi, Leucojis ſimiles, quinquefoliis albis, apicibus in medio luteis conſtantes, pediculis uncialibus & ſeſcuncialibus hærentes, odorati. Florem calycis vice obvallant foliola oblonga, viridia: ipſisque pediculis appoſita foliola aliquot longiora, acuta, radiata.

MYRIOPHYLLUM ALTERUM, MYRIOPHYLLUM EQUISETIFOLIUM FLUVIATILE, STRATIOTES FLUVIATILIS, VIOLA PALUSTRIS. Waſſer Veyel/ GYROFFLE'E D'EAU.

a TOURNEFORTIO ad certum genus non fuit relata hæc planta.

Millefolium aquaticum ſen Viola aquatica caule nudo. C. B. P. 141. Millefolium aquaticum dictum Viola aquatica I. B. 3. 774.

Aquarum reſidum & rivulorum vadoſis innaſcitur lubens. In lacubus & aquis ſtagnantibus aut pigrius fluentibus Junio flores prodit; tota herba authore Dodonæo ante caulis proventum ſub aquis conditur atque tunc ei innatans novella videtur abies; caulis vero ubi excreverit, una cum floribus ſuperficiem ſuperat ac ſupra aquat eminet.

Refrigerantis & ſiccantis naturæ eſt hæc planta.

PLANTÆ TERREIS CONSTANTES.

Adrachne.
Amaranthus Tricolor.
Bangue.
Bugula Luſitanica.
Carlina ſylveſtris quibusdam Atractylis.
Carpinus.
Chamædrys Alpina.
Cotonaſter.
Cotoneaſter.

Criſta

Criſta Galli.
Equiſetum majus aquaticum.
Ferrum Equinum.
Geranium Columbinum.
Geranium ſanguineum.
Guayava.
Hedera Poetica.
Hieracium Macrorhizon.
Hieracium Sonchites.
Hieracium ſtellatum.
Hordeum Murinum.
Labruſca.
Lamium luteum.
Limonium.
Lunaria botrytis.
Lythophyton.
Madrepora.
Marrubium aquaticum.
Mollugo.
Muſcus terreſtris & hortenſis.
Onagra.
Odontitis lutea.
Oleaſter.
Ornithopodium tuberoſum.
Oxycoccus.
Paliurus.
Paronychia.
Pedicularis flore rubro & albo.
Pentaphyllum flore rubro.
Phalangium.
Phlomis.
Polygonum Knauel.
Polygonum tenuifolium.
Quinquefolium fragiferum.
Sagitta.
Scabioſa minor.
Serratula.
Sophia Chirurgorum.
Spiræa.

Spongia.
Statice.
Thymus inodorus.
Tribulus terreſtris.
Trifolium bituminoſum.
Tuberaria.
Tubularia.
Verbaſculum Salvifolium.
Verbena ſupina.
Vitis Idæa fructu rubro.
Vitis Idæa magna.
Xeranthemum ſive Ptarmica.

ADRACHNE.

Sunt Adrachnes Theophraſti Clus. folia Laurinis ſimilia, ut ſolo odore dignoſcantur, nam Adrachnes folium odore caret.

Ἀνδράχνης, Ἀδράχνης. ANDRACHNE.

Eſt ſpecies Arbuti, nempe,

Arbutus folio non ſerrato. C. B. Pin. 460. Adrachne Theophraſti. Clus. Hiſt. 48.

Creſcit in montibus, præſertim in Candia.

AMA-

Folia hujus arboris venenis reſiſtere dicuntur. Lignum, cujus materies duriſſima eſt, fragilis tamen, quia flecti non poteſt, igni ſtruendo ſervit, & ad verticilla conficienda mulierum fuſis appendenda.

AMARANTHUS TRICOLOR.

Sunt Amaranthi Tricoloris Lobel. folia Bliti, alternatim vi-

viridi, roſeo & luteo colore picta, ſic ut in ſingulis foliis adultis & perfectis, ea coloris varietas Pſitaccorum plumas referens jucundiſſimum intuentibus præbeat ſpectaculum, ſaporis Bliti.

AMARANTHUS TRICOLOR, BLITUM MACULOSUM, HERBA MIRABILIS ob excellentem & admirandam coloris in foliis varietatem. SYMPHONIA PLINII DALECHAMPIO. HERBA PAPAGALLI, HERBA PSITTACI. Papagey-Federn. AMARANTE DE TROIS COULEURS, JALOUSIE, quaſi diceres plantam ſumme expetendam & invidendam.

Amaranthus folio variegato colore hilariori qui fœmina. C. B. Pin. 121. Symphonia Dalechampio ſive Amaranthus tricolor. I. B. 2. 970. Amaranthus tricolor. Lob. Icon. 252.

Planta eſt inviſcans atque adſtringens, quare ad hæmoptyſin & alvi fluxus commendatur in decoctis.

BANGUE.

Bangue planta eſt Cannabi haud abſimilis, niſi quod hujus ſemen Cannabino minus eſt, nec ita candicans ut illud, deinde hujus ſtolones lignoſi, nullo fere cortice veſtiti, contra quam Cannabini, auctore GARCIA, qui ab ACOSTA in quibusdam diſcrepat. Bangue ſimile fere eſt, ait hic, Cannabi: caulem habet quinque palmorum altitudine, quadrangulum, colore dilutius virente, fractu contumacem, nec adeo concavum ut cannabinus caulis, cujus cortex non minus quam illius in fila diduci poteſt: folia Cannabina ſuperne virentia, inferne incana lanugine pubeſcentia, guſtu terreſtri & inſipido.

Indi

Sunt qui Authore GARCIA Bangue Indorum ab opio non differre

differre putant. ACOSTA autem dici refert Arabibus AXIS, Turcis ASARATH, Perſis DECAN plurimarum aliarum regionum Incolis BANGUE, quod plurimam affinitatem habere videtur CLUSIO cum Turcarum Conſtantinopoli degentium MASLAC. Ad Cannabim reducitut propter foliorum & corticis in fila ductilis ſimilitudinem. HANS SLOANE excelſum illud Medicinæ ſidus autem RAJO aſſeveravit Bangue a Cannabe plantam eſſe ſpecie diſtinctam. a TOUR-

Indi, inquit Acoſta, foliis & ſemine veſcuntur cum ut validiores in re venerea fiant, tum ad excitandam cibi appetentiam. Fit ex hoc Banque compoſitio vulgaris admodum uſus in iis regionibus ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, ut laborum obliti ſecurius & liberius dormiant, ſeminis & foliorum in pulverem redactorum, quantum videtur, ſumunt, illique addunt Arecam ſive Avellanam Indicam viridem & Opii nonnihil pro arbitrio, omnia ſaccharo excepta devorant: Si vero in ſomno varias rerum ſpecies ſibi obverſari cupiunt addunt ſelectiſſimam Camphoram, Caryophyllos Nucem moſchatam & Macin; ſi vero hilares eſſe volunt & faceti & præſertim in Venerem procliviores, Ambaro & Moſcho additis excipiunt, & electuarium faciunt.

BUGULA LUSITANICA.

Sunt Bugulæ odoratæ Luſitanicæ Corn. folia longa, hirſuta, atrovirentia, duabus aut tribus laciniis recurvum dentem referentibus utrimque diviſa, quo inferiora ac terræ propiora eo ampliora, quo remotiora eo breviora & anguſtiora, ut fere tandem capillari tenuitate appareant, iis in partibus, in quibus floribus interpoſita ſunt. Tota planta odoratiſſima eſt jucundiſſimique aſpectus.

Mira,

a TOURNEFORTIO ad Clinopodium refertur.

Clinopodium Luſitanicum ſpicatum & verticillatum. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 3. g. 5. Bugula odorata Luſitanica. Corn. 46.

Provenit ſponte in Luſitania. Colitur in hortis, floret Julio.

Mira, ut CORNUTI ait, ejus vis eſt, ſi cum cæteris ſpeciebus addatur potionibus vulnerariis.

CARLINA SYLVESTRIS QUIBUSDAM ATRACTYLIS.

Sunt Carlinæ ſylveſtris vulgaris Clus. folia ſemipalmaria & palmaria ac etiam majora, aculeata, laciniosa criſpa, infra villoſa, albida, ſupra viridantia, nitida. Echini plantæ laxa foliorum ſpinoſorum compage horrent, juglandis fere magnitudine, e quibus nitor radiatorum florum aureo colore fulgentium emicat.

CARLINA SYLVESTRIS, CARDUUS SUARIUS, CARDUUS TRIUM SURCULORUM, Saudiſtel/ Dreydiſtel.

Cnicus ſylveſtris vulgaris. Clus. Hiſt. CLVI. Cnicus ſylveſtris ſpinoſior. C. B. Pin. 378. Carlina ſylveſtris quibusdam aliis Atractilis. I. B. 3. 81.

Reperitur hinc inde.

CAR-

Viennenſes Rhizotomæ (ut docet JOH. BAUHINUS) Satkrauth/ nominant ab effectu, quia non modo illius ſiccæ ſive recentis geſtatione, ſed etiam intuitu, den Sat/ (ſitim & faucium accenſionem ex nimia crapula & bilis regurgitatione ortam eſſe putat CLUSIUS) ſiſti, vulgus iſtic ſibi perſuadet, & experimento probatum aſſerit. Certe aliquando obſervavit CLUSIUS nobilium Virorum famulos in equis heris ſuis præeuntes, hujus herbam in pileis geſtantes, ut per-

perpetuo nimirum illam Heri in conſpectu haberent,& ſi corriperentur eo vitio, ab illo liberarentur.

CARPINUS.

Sunt Carpini Dod. folia, per ramos Ulmea, ſerrata, ſed longiora, minus criſpa.

CARPINUS dicitur etiam, OSTRYS ſive OSTRYA THEOPHRASTI, FAGUS SEPIUM, ORNUS TRAGI. Steinbuchen/ Haynbucheu/ Hahenbuch. CHARME.

Carpinus eſt plantæ genus flore amentaceo, plurimis nempe foliolis conſtante, axi ſquammatim affixis, quibus ſingulis ſubſunt multa ſtamina: embryones autem in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur inter folia ſpicæ, abeuntque in fructum oſſeum plerumque umbilicatum, compreſſum, ſtriatum, nucleo fœtum e rotundo acuminatum.

Carpinus Dod Pempt. 481. Oſtrya Ulmo ſimilis, fructu in umbilicis foliaceis. C. B. Pin. 427. Fagus ſepium vulgo Oſtrys Theophraſti. I. B I. 146.

Creſcit ad margines ſylvarum, & floret Majo.

CHAMÆ-

Convenit dyſentericis foliorum decoctio, & colicam & epilepſiam ſanat.

Lignum hujus arboris candidum eſt, ſolidum ac firmum, unde ad rotas molendinares cochleaſque ac trochleas aliaque inſtrumenta, quæ magnis ponderibus ſuſtinendis inſerviunt, expetitur. Vere vulnerata hæc arbor lachrymam extillat non ſecus ac Betula.

Commendatur alias hæc arbor ad ſepes tonſiles pro ambulacris in hortis & viridariis.

CHA-

CHAMÆDRYS ALPINA.

Sunt Chamædryos Alpinæ Ciſti flore C. B. Pin. folia, nullo ordine naſcentia, Chamædryos verioris foliis ſimilia, minora, duriora, rugoſiora, ſerrata, inferne incana ſuperne atrovirentia, guſtu adſtringente.

CHAMÆDRYS MONTANA FRUTESCENS DURIOR, LEUCAS QUORUMDAM, HERBA CERVI HELVETORUM, Hirtzwurtz.

Ad Caryophyllatam refertur a TOURNEFORTIO.

Caryophyllata Alpina Chamædryos folio. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 432. Chamædrys Alpina Ciſti flore. C. B. Pin. 248. Chamædrys Alpina flore fragariæ albo. I B. 3. 290. Chamædrys iij. ſive montana. Clus. Hiſt. 351.

Sponte naſcitur in ſummis Alpium Helveticarum & Tyrolenſium jugis. Floret Julio & Auguſto in hortis.

Chamædryn montanam ad ventris profuſiones, menſium abundantiam, ſanguinis effluxiones, & vomitiones immodicas Alpini, referente JOH. BAUHINO, commendant, ſed ad dyſenterias præcipue: hujusque frondes Damas avidiſſime carpere narrant, in locis hujus plantæ feracibus degere conſuetas.

COTONASTER.

Sunt Cotonaſtri folio oblongo ſerrato C. B. Pin. folia oblonga, alia palmum longa, ſemunciam lata, alia ſeſcunciam aut unciam longa, ſemunciam lata, utralibet in acumen deſinentia, per ambitum ſerrata, utrinque glabra, nervoſa, atrovirentia, pediculo ſatis brevi hærentia, ſaporis adſtringentis.

a TOURNEFORTIO refertur ad Cratægum.

Cratægus folio oblongo ſerrato utrinque virente. Tourn. I. R. H. cl. 21. ſ 8. g 3. Chamæmeſpilus. I. B. 1. 72. Cotonaſter forte Gesneri. Clus. Hiſt. 63. Cotonaſter folio oblongo ſerrato. C. B. Pin. 472.

Creſcit in Alpibus.

PEDI-

Virtute gaudent hæc folia adſtringente.

COTONEASTER.

Sunt Cotoneaſtri I. B. folia Mali Cydoniæ, averſa parte candicantia & lanuginoſa, adverſa vero nervoſa & virentia, minime per ambitum ſerrata ſinuatave, pediculo brevi hærentia.

Folia hæc gaudent vi adſtrictoria.

℞. Folior: Cotoneaſt. Quercus, Meſpil. Muſc. prunor. ſylveſtr. ana man. j. rad. torment. Symphyt. Biſtort. ana ℥ß. Alum. ℥j. fiat ſacculus applicandus pubi, vel incoquatur balneo in uteri procidentia.

CRISTA GALLI.

Sunt folia pedicularis pratenſis luteæ ſive Criſtæ Galli maris C. B. Pin. ſine pediculo ad exortum latiuſcula, ſenſim in mucronem deſinentia, altius crenata, Galli criſtam æmulantia, circum plantæ ſummitatem magis quam in fœmina albicantia, ſapore nullo inſigni: in ſummo ramorum aut caulis ex foliorum alis flores una cum folliculo compreſſo hirſutoque & laciniato, e quo prominent, gallinam glocientem incubantemque exprimunt.

Fri-

PEDICULAREM LOBELIUS ſcribit vocari hanc herbam quod facultatibus ſit viroſis, pratis infeſta & pediculis hoſtis, Contra DODONÆUS pedicularem ab effectu nominat, quod Pecori ac jumentis, quæ in pratis, ubi hæc provenit, paſcuntur, pediculorum copiam gignat. Mihi, inquit RAJUS, hujuſce herbæ folia pediculi tergo rugis ſuis perquam ſimilia ſunt & inde forte nomen. RUTA PEDICULARIS, FISTULARIA ab effectu, CRISTA GALLI, CRISTA GALLINACEA ALECTOROLOPHOS, Rödel / Rödelkrauth / Läußkrauth / Hahnenkamm Taſchenkrauth. PEDICULAIRE, CRETE DE COQ.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, anomalo, perſonato, in duo labia diſtincto, quorum ſuperius galeatum eſt, inferius vero plerumque tripartitum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum bifariam dehiſcentem in duo loculamenta diviſum ſeminibus fœtum oblongis vel compreſſis & marginatis.

Pedicularis pratenſis lutea vel Criſta Galli. C. B. P. Criſta Galli fœmina. I. B. 3. 436. Criſta Galli. Dod. Pempt. 556.

Pedicularis pratenſis lutea erectior calyce floris hirſuto. Tourn. I. R. H. cl. 3. ſ. 4. g. 4. Criſta Galli mas. I. B. 3. 436. Pedicularis lutea. Tabern. 791.

Fœmina humilior eſt caule minus robuſto, foliis anguſtioribus floribus multo minoribus, ſummitatibus minus albeſcentibus, utriculis glabris.

Exit paſſim in arvis & non raro pratis etiam ſiccioribus, utrobique inutilis & vitioſa, plurima æſtatis parte floret.

SCHWENCKFELDT putat æſtate pluvioſa & humida Secale in hanc plantam degenerare, ſed male.

Frigida, ſicca & adſtringens cenſetur. Creditur ut purpurea fiſtulis & ſinuoſis ulceribus valde prodeſſe, nec non menſes & aliunde profluentem ſanguinem in vino auſtero decocta potaque ſiſtere. Semen coloris fuſci Siligini permixtum panem obfuſcat & atram reddit, ſaporeque amarum.

DE-

DEMETRIUS pedicularis grana tria cribrata, tribus carnis adjectis partibus accipitri dat, per quadraginta dies, ut nunquam deſtillatione laboret, neque geſtatus neque incluſus.

EQUISETUM MAJUS AQUATICUM.

Equiſetum paluſtre longioribus ſetis C. B. Pin. aſparagos primum protrudit palmares, & cubito altiores, internodiis longioribus, pyxidata inſertione diſtinctos, ſtriatos, inanes, quorum ſummo faſtigio clavatum inſidet capitulum, veluti nucamentum, cujus divulſis dehiſcentibusque commiſſuris floſculi apparent. Caules hi plerumque nudi interdum radiata ex geniculis folia producunt non explicata ut Polygoni fœminæ, ſed fiſtuloſa, & ex pluribus articulis aptata, longe illis longiora, interdum pauca interdum multa, modo brevia, modo longa.

Cor-

Ἵππουρις ἄφυλλος, HIPPURIS SINE FOLIIS, HIPPURIS NUDA, EQUISELIS, HERBA EQUINALIS, SALIX EQUINALIS, TRIMACHIUM, ANABASIS, EPHEDRA, EPHEDRUM, GIS, SCHOENIOSTROPHUM, CAUCUM, SATURNI NUTRIMENTUM & SALPINGIUM. CAUDA EQUINA, CAUDA CABALLINA, EQUICAUDA, COLUS COLUMBINA, ASPERELLA EQUISETA & EQUISETUM, ARCONTILLA, CENACELLA, CUNICELLA, HERBA CABALLINA, HIPPOSETA. Roßſchwantz/ Roßwadel/ Roßzagel/ Katzenſchwantz/ Katzenzagel/ Katzenwadel/ Pferdsſchwantz/ Katzenhelm/ Schafftheu/ Kantenkrauth/ Taubenrocken/ QUEÜE DE CHEVAL, QUEÜE DE CHAT, PRELE.

Equiſetum paluſtre longioribus ſetis. C. B. Pin. Equiſetum majus aquaticum. I. B. 3. 728. Hippuris. Lob. Icon. 793.

In Scrobibus ac locis aquas habentibus ſubinde & in pratis humentibus ac riguis reperitur, Aprili & Majo prodit.

FER-

Correſpondet viribus cum Equiſeto arvenſi. Refrigerat, ſiccat, ſanguinem e naribus & vulneribus erumpentem reprimit. Ruptis, veſicam & inteſtinorum diſſectionibus & Enterocelis utilis. Contra Scorbutum efficax.

FERRUM EQUINUM.

Sunt Ferri Equini C. B. Pin. folia Securidacæ minoris pinnatim digeſta, & per extremam oram lateſcentia, leviterque in corculi morem fiſſa.

Vires

FERRUM EQUINUM, SOLEA EQUINA, SFERRA CAVALLO, FERRO CAVALLO, FERRO DE CAVALLO a figura ſeminis ſoleam equinam referente. Quidam putant Equos ſi ſuper herba hac ambulent amittere ferramenta. SECURIDACA MONTANA, SECURIDACA MINOR ALCHIMISTIS LUNARIA. Huffeyſenkrauth.

Eſt plantæ genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam compreſſam, articulis diſtinctam lunatis aut Ferri Equini æmulis, ſemine fœtis ejusdem formæ.

Ferrum Equinum ſiliqua ſingulari. C. B. Pin. 349. Solea Equina. I. B. 2. 347. Ferrum Equinum vulgare. Col. Cart. 1300. Ferrum Equinum. Lob. Icon. 82.

Ferrum Equinum Germanicum ſiliquis in ſummitate. C. B. Pin. 349. Ferrum Equinum capitatum. Col. part. 1. 301. Ornithopodio affinis vel potius Soleæ vel ferro equino herba. I. B. 2. 348.

Ferrum Equinum ſiliqua multiplici. C. B. Pin. 349. Ferrum Equinum alterum πολυκέρατον. Col. part. 1. 300.

In Italia Gallo provincia & Delphinatu ſponte naſcitur, floret Junio & Julio in hortis.

γερά-

Vires ejus non adeo cognitæ, inquit KOENIG, videtur tamen

tamen vi alcalina traumatica pollere, unde extus in ulceribus aqua deſtillata uſurpari poterit. Adhibetur in potionibus traumaticis. Roborare quoque dicitur ventriculum, obſtructiones tollere & venenis reſiſtere. Chymiſtæ hac planta tantum ex argento vivo argentum purum fieri fabulantur.

℞. Alum. Roch. Alum. Sacchar. Mercur. ſublim. Ærug. Sal. Armon. Sacch. alb. ana ℈j. coqu. in ſ. q Aquæ Ferri equini ad tertias & coletur. Valet ad omnia ulcera cancroſa & phagædenica.

GERANIUM COLUMBINUM.

Sunt Geranii folio Malvæ rotundo C. B. Pin. folia, rotunda, nunc magis nunc minus inciſa.

γεράνιον ἕτερον, GERANIUM ALTERUM, GERANIUM MALVACEUM, PES COLUMBINUS, PES COLUMBÆ, PULMONIA, GRUINA, Taubenfuß/ Schartenkrauth. PIED DE PIEGON.

Geranium folio Malvæ rotundo, C. B. Pin. 318 Geranium folio rotundo multum ſerrato, ſive Columbinum. I. B. 3. 473. Pes Columbinus. Dod. Pempt. 61.

Secus itinera, campis incultis cœmiteriis & hortis oleraceis notum, floret plurima æſtatis parte.

HEDERA

Mediocriter, ut cum SCHWENCKFELDT loquar, calefacit & ſiccat cum levi adſtrictione. Uſus ejus eſt ad vulnera & fracturas, fiſtulas & ulcera ſananda. Balneis percommode ad inteſtinorum tormina additur. RONDELETIUS in enemate præſcribit ad Hydropem. Herba eſt, juxta TABERNÆMONTANUM, valde vulneraria, potionibus addita, aut etiam in pulvere ſumpta. Adhibetur exterius

vel

vel in vino aut aqua decocta, vel emplaſtris, balſamis, & unguentis additur. Fotu articulorum dolores juvat.

GERANIVM SANGVINEVM.

Sunt Geranii ſanguinei maximo flore C. B. Pin. folia, circumſcriptione rotunda, ſed in quinque lacinias trifidas plurimum profunde ad pediculum fere diſſecta, hirſuta, superne virentia ſubtus caneſcentia, ſicco & adſtringente ſapore prædita.

Ad ſanguinem undique manantem compeſcendum imprimis commendatur. Cæterum, referente J. BAUHINO, Sclavonicæ mulieres hujus decoctum ex profluente aqua mirifice commendant in capitis gravedine, ſi ſynciput, ubi dolor eſt, eo abluatur, deinde herba decocta ſuperimponatur, poſtremo (quod ſuperſtitione non caret,) in profluentem, unde aqua hauſta, abjiciatur.

GUAYAVA.

Sunt Guayavæ Cluſii folia craſſa, oblonga, acuminata, & nonnihil criſpa, inferne ſcabra ſeu aſpera, ſuperne nequaquam, coloris ex atro vireſcentis, longitudinis duorum trium vel quatuor digitorum, latitudinis ſesquidigiti, aut duorum digitorum. acida & adſtringentia, odorata.

Balneis multum ſunt dicata. Addit HERNANDEZ folia in lotionibus ſcabiem curare: corticis decoctum tumentibus cruribus opem ferre & fiſtuloſis ulceribus mederi, ſurditati quoque conferre & dolores ventris tollere fertur. E foliis fit Syrupus utiliſſimus adverſus fluxum alvi.

HEDERA POETICA.

Sunt Hederæ Poëticæ C. B. Bin. folia, ex congeneribus nigris minus atra, minime anguloſa, craſſa, carnoſa, venoſa in acumen faſtigiata, nec admodum denſa.

HEDERA DIONYSIAS aut BACCHICA aut POËTICA, quod ex ea Poëtarum coronæ conſuerentur. HEDERA CHRYSOCARPOS a fructus colore aureo.

Hedera Poëtica. C. B. Pin. 305. Hedera Dionyſias Dalechampii. Lugd. 1419. & I. B. 2. 113.

Raro in Gallia provenit; nec rarius puto, inquit RAJUS, in aliis regionibus: eſt enim, ut mihi videtur, varietas quædam Hederæ baccarum colore a vulgari differens.

Virtutibus cum hedera vulgari convenit.

HERACIUM MACRORHIZON.

Sunt Hieracii Dentis Leonis folio obtuſo, majoris C. B. Pin. folia pleraque omnia ex radice ſtatim oriunda, per terram ſparſa, Sonchi laciniati; interdum plus minusve laciniata, in obtuſum mucronem deſinentia, tenera, hirſuta, raris & longiuſculis pilis, nonnihil amara.

Vir-

HIERACIUM MINUS PRIMUM, INTYBUM AGRESTE, LACTUCA MINOR, HIERACIUM INTYBACEUM, HYPOCHÆRIS, PORCELLIA, klein Habichkrauth / Wegwarten Habichkrauth / Ferckleinkrauth.

Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo majus. C. B. Pin. Hieracium macrocaulon, Junceum ſive minus, primum. Dodonæo I. B. 2. 1031. Hieracium longius radicatum. Lob icon. 238.

Floret Majo in paſcuis & ad foſſarum margines quandoque.

HIERA-

Virtute gaudet humectante, refrigerante & ſubadſtringente.

HIERACIUM SONCHITES.

Sunt Sonchi repentis, multis Hieracii majoris I. B. folia, Sonchi lævis foliis ſimilia, palmaria & plusquam bipalmaria, non admodum lata, profundis laciniis inciſa, ſpinis mollicellis donata, colore fere glauco.

HIERACIUM MAJUS, INTYBI AGRESTIS SPECIES, ἱεράκιον τὸ μέγα, ἱεράκιον μέγα ἀπὸ τῶν ἱεράκων. Accipitres enim ejus lacteo liquore oculorum aciem acuere exiſtimantur. ACCIPITRINA, LACTUCA SYLVATICA, CICHOREA LUTEA, SONCHUS LÆVIS ALTISSIMUS, SONCHUS LÆVIS ANGUSTIFOLIUS, συγχίτης, LACTUCA ACCIPITRINA. Sonchenkraut/ Haſenköhl mit ſchmalen Blättern/ Baumſonchenkrauth/ groß Habichkrauth. GRANDE CHICOREE JAUNE.

Sonchi ſpecies eſt & lacte turget, nempe Sonchus repens, multis Hieracium majus. I. B. 2. 1017. Hieracium majus folio Sonchi vel Hieracium Sonchites. C. B. Pin. 126. Hieracium majus. Lob. Icon. 237.

Agrorum marginibus & pratis ſiccioribus frequens, floret Junio & Julio.

HIE-

Refrigerat, ut habet SCHWENCKFELDT, ſiccat, adſtringit, aperit, mordicat. Stomachum purgat, inflationes diſcutit, ructus lenes facit, concoctiones adjuvat, ſomnum conciliat, venerem inhibet, urinæ difficultati ſuccurrit. Ad ambuſta cum ſale recens illitum præſtat. Eruptiones papularum ex vino & polenta abſtergit. Succus oculorum ſanat vitia, ad nebulas, caligines & Epiphoras utilis.

HIERACIUM STELLATUM.

Sunt Hieracii ſiliquæ falcatæ C. B. P. folia primum erumpentis Hedypnoidis, & pingui ſolo palmari & plusquam ſeſquipalmari longitudine, ſextantali & quadrantali latitudine, nonnihil ſinuoſa, hirſuta.

HIERACIUM FALCATUM a ſiliquis dicitur, HIERACIUM STELLATUM a diſpoſitione ſeminis. HIERACIUM NARBONENSE FALCATUM aut SILIQUA FALCATA, HIERACIUM MONSPELIACUM. Habichkrauth von Mompelier oder Languedock.

TOURNEFORTIUS peculiare genus ſub nomine Rhagadioli conſtituit.

Rhagadiolus eſt plantæ genus, flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus, a cujus capillamento perfodi ſolet pars poſterior. Semifloſculi autem a calyce comprehenduntur, cujus folia deinde abeunt in totidem vaginas, utplurimum ſtellæ in modum diſpoſitas, ſemine fœtas plerumque longo & acuto.

Rhagadiolus alter. Cæſalp. 511. Hieracium ſiliqua falcata. C. B. Pin. 128. Hieracium ſtellatum. I. B. 2. 1014. Hieracium Narbonenſe falcatum. Lob. Icon. 240.

Abundat in Languedocia, circa Monſpelium, in Italia &c. Colitur in hortis, floret æſtate.

φ. I.

Virtute gaudet aperitiva & detergente, urinam ciet. Adhibetur in decocto.

HORDEUM MURINUM.

Hordeum murinum JOH. BAUHINI, fibroſis hordei radiculis & foliis donatum, culmos erigit cubitales, multo tenuio-

nuiores ſpicas quoque breviores, quam hordeum, & ariſtis mollioribus armatas , gluma tenui, quæ nullum , gramen tegit.

Φοῖνιξ. Phoenix, Herba Phoenicea, Hordeum Alterum, Hordei Vitium , Hordeum Spurium , Triticum Murinum, Gramen Hordeacum , Plinio Holcus a trahendo dictum, eo quod ariſtas e corpore educat. Mäußgerſt / Gerſtenwalch/ Baſtartgerſte/ Soucrion.

Gramen ſpicatum vulgare Secalinum. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 3. g. 8. Gramen hordeaceum minus vulgare. C. B. Pin. 9. Hordeum murinum. I. B. 2. 431. Hordeum ſpontaneum ſpurium, Holcus Plinii, Anguillaræ. Lob. Icon. 30.

In campis, areis hortorum, aggeribus nil frequentius.

Vi pollet ex mente SCHWENCKFELDT, refrigerandi ſiccandi & ſiſtendi. Ex vino auſtero potum omnis generis alvi fluxus compeſcit.

LABRUSCA.

Sunt vitis ſylveſtris Labruſcæ dictæ C. B. Pin. folia, Viti ſativæ ſimilia.

Folio

Ἄμπελος ἀγρία, wild Weinreb / Vigne Sauvage.

Vitis ſylveſtris, Labruſca, C. B. Pin. 299. Labruſca. 406.

Sylveſtris hæc vitis viti viniferæ per omnia, quoad caudicem, palmites, folia, floſculos & fructus fere conſimilis, niſi quod fructus ejus nunquam maturatur, ſemper durus manet. Proinde raro uvas profert hæc vitis eaque perpaucas multoque ſativæ vitis fructu minores. Inter Spiram & Argentinam frequentur occurrit, altiſſimas plerumque ſcandens arbores. Nonnullæ ex hoc genere Junio menſe, ut ſativa vitis, flores oſtendunt, ſed fructum raro edunt.

Folia hæc ut & uvæ atque pampini ventrem adſtringendi & omnis generis ſcabies ſanandi vim habent, ſed efficaciorem foliis & capreolis vitis viniferæ. Sunt qui ex fructu, Labruſcæ Acetum parant.

LAMIUM LUTEUM.

Sunt folia Lamii folio oblongo lutei C. B. Pin. bina, per intervalla oppoſita, viridiora, longiora & anguſtiora, quam in reliquis Lamiis, pediculis longiuſculis inſidentia.

URTICA INERS LUTEO FLORE, GALEOPSIS FLORE LUTEO, ARCHANGELICA LUTEA, geele Waldneſſel/ geele Hahnenkopff.

Eſt ſpecies Galeopſidis.

Galeopſis ſive Urtica iners flore luteo. I. B. 3. 323. Lamium folio oblongo luteum. C. B, Pin. 231. Urtica iners tertia, ſive Lamium luteo flore. Dod. Pempt. 153.

Naſcitur ad rivos, ad piſcinas, in montibus opacioribus & aliis locis humidioribus. In ſylvis opacis floret Majo & tota fere æſtate.

Ad vulnera, tumores, ulcera cæteris Lamiis cenſetur efficacior. Laudatur ad alvi fluxus, fluoremque album. Commendatur a quibusdam ad urinam ciendam, item ad affectus Lienis tum interne tum externe.

LIMONIUM.

Sunt Limonii maritimi majoris C. B. Pin. folia, Lapathi minora, læviora, politioraque minus atra, ſed hilari virore tincta.

Herba

LIMONIUM a voce græca λειμών pratum, naſcitur enim in pratis & paluſtribus locis. BEHEN RUBRUM quibusdam. Li-

Limonium eſt plantæ genus, flore caryophyllæo, plurimis ſcilicet petalis conſtante, e calyce infundibuliformi emergentibus. Piſtillum pariter ex eodem calyce ſurgit, abitque deinde in ſemen oblongum calyce ipſo ſeu capſula involutum. Occurrunt etiam ſpecies Limonii, quarum flores ſunt infundibuliformes multifidi, cæterarum ſpecierum flores mentientes.

Limonium maritimum majus, C. B. Pin. 192. Limonium majus multis aliis Behen rubrum. I. B. 3. App. 876. Valerianæ rubræ ſimilis pro Limonio miſſa. Dod. Pempt. 331.

Floret Auguſto & Septembri in hortis, ſponte vero provenit in maritimis & ſalſis.

Herba Limonii adſtringit, diarrhææ, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ & nimio menſium fluxui medetur. Vulneraria inſuper eſt & ſunt qui illam per urinam agere aſſerunt.

LUNARIA BOTRYTIS.

Sunt Lunariæ Botrytis I. B. folia falcata, craſſa, rotunda, hederæ fere forma, lævia, mollia, ſaporis ſubdulcis.

Ἡμιονίτης ἑτέρα, σεληνίτης, LUNARIA eorumque incurvatione, quæ cornua Lunæ quodam modo æmulantur a foliis, BOTRYTIS a plurimis racemulis utrinque thyrſo hærentibus & foliorum numerum æquantibus. LUNARIA RACEMOSA, RUTA LUNARIA RUTA JECORARIA, HERBA LUNARIS. Mohnrauten/ Mohnkrauth/ Leberrauthen / welſcer Wiederthon/ recht Wiederthon / Maytrauben / Wundkrauth / Treublätter / Erdſtern / LUNAIRE OU TAURE.

Eſt Oſmundæ ſpecies, nempe

Oſmunda foliis lunatis. Tourn. I. R. H. cl. 16. ſ. 2. g. 1. Lunaria racemoſa minor vel vulgaris. C. B. Pin. 354. Lunaria Botrytis. I. B. 3. 709. Lunaria. Dod. Pempt. 139.

In editioribus montium gramineis colliculis, Majo & Junio conſpicitur, & brevi perit. Sunt qui dicunt hanc plantam cum

Lunæ

Luna augeri & decreſcere, ita ut quot diebus ſupra terram Luna fuerit, tot etiam inciſuris diſſectum Lunariæ folium videatur.

Eſt ex plantis dorſiferis, quæ ſemen in ſolliculo rotundo recondit, qui dum noctu aperitur, adeo radios Lunares recipit, ut lucens ſtella videatur.

Multi præclare de Lunaria ſibi & aliis pollicentur, præſertim vero Alchymiſtæ, qui eam in arcanis habent, promittentes ejus ſucco argentum vivum coagulari. Non inepte autem KOENIG judicare videtur, quod illud, quod Alchymiſtæ de Lunaria dicunt, non de Vegetabili, ſed minerali Lunaria, Regulo ſcilicet Antimonii inſtar Lunæ ſplendente, ſit intelligendum.

Reſrigerat & ſiccat guſtu præſicca & adſtringens. Egregie vulneraria eſt. Pota intrinſecus corporis ſanat fracturas, & dyſenterias: extrinſecus illita magni eſt ad puerorum Enterocelas commodi. Albas uteri fluxiones ſupprimit. Plebecula ſimplex juxta SCHWENKFELDT ad quodvis faſcinum abigendum ſuperſtitioſe celebrat. Planta in pulverem contrita datur ad ʒß. &c. ad varios fluxus. Quidam commentrita dant in Epilepſia & caput atque memoriam roborandam. Ruſtici ad ulcera jumentorum ſananda adhibent. Carrichter affirmat ſe omnes mammillarum cancros cum ea curaſſe. Tauram vocant paſtores, Gesnero referente, quod Vaccæ ea deguſtata ad libidinem moveantur & requirant Taurum.

LYTHOPHYTON.

Nihil amoenius, inquit JOH. BAUHINUS, eſſe poteſt Coralloide fruticoſa, planta marina, ſive in eadem, ſive in diver-

diverſis plantis tantam colorum ſpectes varietatem, cornu cervinum imitatam, radicem vero ſcopulis apprimit lapideſcentem, trunco brevi ſtatim in infinitos ramulos diviſo, modo patulos modo ſurrectos & qua fors tulit huc illuc divaricatos, dodrantales & palmares, ſingulos thorulo corneæ duritiei & flexibilitatis; nec non coloris farctos, cruſta obductos, jam penitus nivea, jam cinerea, modo lutea, modo conchyliata, vivida: alias cinerea, alias lutea, rubra non raro, omnis coloris ſtigmatibus punctata.

Lithophyton a vocibus græcis λίθος & φυτὸν planta; quaſi dicam plantam lapideam, Lythophyton Marinum, Corallina, aut Coralloides Fruticosa, Quercus Marina, Muscus Marinus Fruticosus.

Lithophyton eſt plantæ genus ſubſtantiæ veluti corneæ, & lapidem inter ac lignum mediæ, cui plerumque adhæreſcit cortex vel fibris contextus vel tartari æmulus.

Litophyton marinum albicans. Geſn. de fig. lapid. 136. Corallina fruticoſa recta alba. C. B. Pin. 366. Coralloides fruticoſa planta marina rectior. I. B. 3. 806. Corallina alba. Lob. Icon. 252.

Lythophyton marinum rubri ſeu purpurei coloris. Geſn. de fig. Lap. 136. Corallina fruticoſa purpurea. C. B. Pin. 366. Corallina rubens antipathis facie. Lob. Icon. 252.

Lytophyton luteum punctatum. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2. g. 7. Corallina lutea punctata. I. B. 366.

In mari ſcopulis adnaſcitur.

Madre-

Virtute gaudet abſorbente & adſtringente, ſumitur in pulvere adverſus varios alvi fluxus. Doſis eſt ad ʒß. ad ʒj.

MADREPORA.

Coralliis affinis Madrepora, multis cannis ex uno truncō

prodeuntibus & circa ortum ſibi mutuo cohærentibus conſtat. Ergo favi formam quodammodo repræſentant. Subſtantia tubulorum oſſi ſpongioſo ſimilis eſt, in quorum extremis cavitas apparet radiis a centro ad ambitum protenſis firmo, in quorum medio ceu floſculus quidam conſpicitur ſegmento plano. Craſſities eorum digito parvo æqualis, ab ortu ad extrema usque eadem ſuperficietenus tranverſim rugoſi. Recenter exempti ſorde quadam purpurea obtecti ſunt, quæ temporis progreſſu nigricat. Datur etiam Madrepora ramoſa, cujus extrema ſunt plana, quemadmodum præcedentis. Sed in trunco & ramis magna eſt differentia, quippe primarius truncus denſus eſt & candidus ſicut Corallium. Sequentes qui velut annui adjuncti ſunt rari admodum ac debili ſubſtantia, colore, obſcuro & purpureo. Eadem ſubſtantia habet aliquid membranei.

MADREPORA, MILLEPORA, CORALLUM STELLATUM.

Madrepora Imper. 629. Coralliis affinis Madrepora. I. B. 3. 795. Corallis affinis Madrepora ſtellata, C. B. Pin 367.

Madrepora ramoſa Imper. 629. Corallinis affinis Madrepora ramoſa. I. B. 3. 807. & C. B. Pin. 367.

Madrepora eſt plantæ genus fere lapideum Coralli æmulum in ramulos plerumque diviſum, foraminibus pervium interdum ſtelliformibus.

MAR-

Tanquam corpora alkalina & terrea adſtringunt, virtute cum Coralliis ſymbolizant: laudantur ad fluxus alvinos & ad hæmorrhagias. Doſis ad ℈ß. ad ℈ij. ad ʒj.

MARRUBIUM AQUATICUM.

Sunt Marrubii paluſtris glabri C. B. Pin. folia bina ſemper

ex

ex adverſo poſita, Betonicæ foliis paria, profunde ſerrata, interdum laciniata, in acumen deſinentia, inferius nonnihil hirſuta, ſuperius glabra, breviuſculo pediculo hærentia, ſapore amaricante.

MARRUBIUM AQUATICUM vocatur etiam LYCOPUS, à vocibus græcis λύκος Lupus & πȣ̃ς pes, quaſi diceretur planta ad Lupi pedem accedens. MARRUBIUM AQUATILE, SIDERITIS MATTHIOLI, LANCEA CHRISTI GESNERI. Waſſer-Andorn/ Weyher-Andorn/ MARRUBE AQUATIQUE.

Eſt plantæ genus flore monopetalo, ſed labiato, & quodammodo campaniformi: labium enim ſuperius vix diſtingui poteſt a partibus labii inferioris, adeo ut primo aſpectu flos quadripartitus videatur. Ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum; & quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, in capſula, quæ floris calyx fuit, recondita.

Lycopus paluſtris glaber. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 2 g. 12. Marrubium paluſtre glabrum. C. B. Pin. 230. Marrubium aquaticum quorumdam. I. B. 3. 318. Marrubium aquatile. Dod. Pempt. 595.

Viget & floret æſtivis menſibus ad rivulorum margines & ſecus foſſas.

MOL-

Refrigerandi atque una valde adſtringendi virtutem habere videtur, unde in fluxibus alvi & hæmorrhagiis laudatur. Succus ejus, teſtante SCHWENCKFELDT, nigricante colore quævis inficit, adeo pertinaciter inhærens, ut elui aut abſtergi nequeat, adeo ut telæ lineæ hoc infectæ eum perpetuo retineant.

MOLLUGO.

Sunt Molluginis montanæ anguſtifoliæ vel Gallii albi la-

tifolii

tifolii C. B. Pin. folia, ſtellata Gallii, multa; coliculorum genicula ambientia, ſapore ſubacri.

Mollugo a foliorum reſpectiva mollitie dicitur. Mollugo Vulgatior Herbariorum, Gallium Album a floris colore, Galion Candido Flore. Groſſtern-Megerkrauth.

Gallium album vulgare, Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 9. g. 3. Mollugo montana anguſtifolia vel Gallium album latifolium. C. B. P. 334. Gallium album. I. B. 3. 721. Mollugo vulgatior herbariorum, Galion album quorumdam. Lob. Icon. 802.

In ſylvis apricis & ſecus fruteta ac margines pratorum occurrit.

Viribus cum Gallio convenit. Decoctum ejus ad fovendos & roborandos artus utile eſſe refert CLUSIUS.

MUSCUS TERRESTRIS & HORTENSIS.

Omnium vulgatiſſimus eſt hic mollicellus aſpergine madentibus ſaxis, terræque humidiori appreſſus repens, mollicellus ramis longis tenuibus, foliolis acuminatis coſtæ hærentibus, colore viridi, aut ex viridi flaveſcentibus,

Muscus Terrestris Vulgaris, Muscus Querno Vilissimo Vilior Saxis & udis terræ glebis adnaſcens Mooß/ Erdmooß/ Mousse.

Muſcus eſt plantæ genus floribus carens foliis vero formæ ſingularis.

Muſcus ſquamoſus major ſive vulgaris. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 1. g. 1. Muſcus terreſtris latioribus foliis major ſeu vulgaris Raji Hiſt. 122. Muſcus terreſtris & hortenſis. I. B. 3. 764.

Ubivis notus.

Ona-

Empirici hoc muſco, uti JOH. BAUHINUS loquitur, ad

ad ſiſtendum ſanguinem utuntur ab Urſis admoniti: hi enim quamprimum vulnerati ſunt, eo ſanguinem ſiſtunt. Uſum Muſci ii proinde etiam norunt, qui naves aquatica ædificia fabricant. Muſcus qui hortos & prata humecta obſidet, ita ut gramen ſupprimat, Martio menſe cinere aboletur, ſed eo quo lixivium fuerit confectum.

ONAGRA.

Sunt Lyſimachiæ luteæ corniculatæ C. B. Pin. folia longa anguſta, in caule crebra, alternatim poſita, ad margines ſinuata & obiter dentata.

ONAGRA quaſi OENAGRA ab οἶνος vinum & ἀγρὸς ager, quaſi diceres, VINUM AGRESTE, quoniam olim hoc nomen tribuebatur radici odorem vinoſum ſpargenti. Dicitur quoque LYSIMACHIA AMERICANA, LYSIMACHIA VIRGINIANA. ACHOCHIOTL HERNANDEZ.

Onagra eſt plantæ genus, flore roſaceo, quatuor plerumque petalis in orbem poſitis conſtante, calyci inſidentibus, e cujus ſuperiori parte, quæ fiſtuloſa eſt, ſurgit piſtillum parte inferiori in fructum abeunte, cylindraceum, in quatuor partes dehiſcentem & in quatuor loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum utplurimum angulatis, placentæ affixis.

Onagra latifolia. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 9 g. 5. Lyſimachia lutea corniculata. C. B. Pin. 245.

Indigena eſt Americæ. Colitur in hortis, floret æſtate.

Eſt

Hæc planta dicitur gaudere virtute adſtringente, deterſiva atque vulneraria. Conducit ad hæmorrhagias.

ODONTITIS LUTEA.

Sunt Perfoliatæ minoris, anguſtifoliæ Bupleuri folio C. B. Pin. folia incondita Linariæ.

Hujus

Eſt ſpecies Bupleuri, nempe

Bupleurum annuum minimum anguſtifolium. H. R. Monſp. Perfoliata minor anguſtifolia Bupleuri folio. C. B. Pin. 277. Perfoliatum anguſtifolium montanum. Col. part. 1. 247. Auriculæ Leporis affinis, Odontitis lutea Valerandi & Dalechampii. I. B. 3. 201.

Locis gaudet humidis.

Vocatur

Hujus decocto, ſi quis os colluat, dentium cruciatus ſedari ſcripſit DALECHAMPIUS.

OLEASTER.

Sunt Oleaſtri ſive Oleæ ſylveſtris. I. B. folia Oleæ ſativæ non diſſimilia figura, ſed minora.

Folia OLEASTRI, juxta DIOSCORIDEM, adſtringendi vi prædita ſunt, quæ trita & impoſita Eryſipelata, Herpetas, Epinyctidas, carbunculos, nomas, reduviasque cohibent. Cruſtas eadem emarginant cum melle illita. Quin etiam ulcera ſordida repurgant, panos & inflammationes cum melle impoſita diſcutiunt & cutim a capite avulſam glutinant. Oris etiam ulceribus & aphthis commanducata medentur; ſed & eorum ſuccus, ac ipſum etiam decoctum eosdem habent effectus. Admotus enim ſuccus ſanguinis eruptionem, fluxum muliebrem, oculorum ſtaphylomata puſtulasque inhibet: inſuperque ulcera veteresque defluxiones ſiſtit. Quapropter etiam in collyria additur ad palpebrarum eroſiones perquam utilis. Ad exprimendum vero ſuccum folia tundere oportet, & affuſo vino aut aqua exprimere, illumque Sole ſiccatum in paſtillos digerere. Eſt porro qui cum vino exprimitur tum valentior, tum ad recondendum aptior, eo, qui cum aqua expreſſus fuerit. Facit

cit & ad aures purulentas & exulceratas. Folia cum farina hordeacea illita cœliacis conveniunt. Uruntur autem cum floribus folia, ut ſpodii vicem præſtent, in olla cruda, cujus os luto ſit oblitum, uſque dum figlinum percoquatur: deinde vino reſtinguuntur, iterumque vino ſubacta eodem modo cremantur: poſtremo ceruſſæ modo lavantur & coguntur in paſtillos. Cæterum creduntur uſtionis ejusmodi ratione, in medicamentis oculorum, ſpodio minime cedere. Quare & iisdem viribus pollere cenſendum eſt. Hæc DIOSCORIDES. Folia quoque hæc decoquuntur ex melle, danturque cochlearibus contra ſanguinis excreationes.

ORNITHOPODIUM TUBEROSUM.

Sunt Ornithopodii radice tuberculis nodoſa C. B. Pin. folia, Viciæ minora, in ſingulis ramulis ex adverſo diſpoſita, numero imparia.

Vocatur a quibusdam HERNIARIA a virtute.
Ornithopodium radice tuberculis nodoſs. C. B. Pin. 350. Ornithopodium tuberoſum Dalechampii. Lugd. 486. & I. B. 2. 351.
Naſcitur in aridis & ſabuloſis.

Paro-

Omenti & inteſtini prolapſui mire auxiliatur hæc planta ſumpta & admota. Item experimentis conſtat totius plantæ decoctum ac pulverem, renum calculos frangere ac ejicere.

OXYCOCCUS.

Sunt vitis Idææ paluſtris C. B. Pin. foſia crebra, poſitu fere pinnato, ſerpilli foliis paria, ſuperius viridantia, ſubtus ex cinereo rubentia, ſaporis adſtringentis.

Fo-

Foliorum, ubi adſtrictione opus eſt, commodus uſus eſſe poteſt.

PALIURUS.

Sunt Paliuri Dod. folja Jujubinis tam ſimilia, ut nihil ſupra, quibus tamen nonnihil videntur minora, nec ita profunde per oras crenata, ſed minimum, ac interdum fere nihil.

Folia adſtringunt ventrem fluentem cohibent & Phymata curant.

PARONYCHIA.

Paronychia Hiſpanica Clus. aſpectu pulcherrima eſt planta, ſparſis per terram dodrantalibus aut vix palmaribus in adoleſcente herba cauſibus junceis, e quorum nodis alternatim prodeunt propagines unciales glomeratis ſquamulis confertiſſimis onuſtæ, præque glomerulorum denſitate vix conſpicua emicantibus ex ſcandularum commiſſura hinc inde raris foliis viridantibus, herniariæ paribus.

PARONYCHIA a παρὰ juxta & ὄνυξ unguis a colore reſplendente inſtar unguis. POLYGONUM MONTANUM MINIMUM, NIVEUM & SERICEUM. Bergweggraß.

Paronychia eſt plantæ genus, flore apetalo plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce ſurgentibus pelviformi & in quinque partes plerumque cucullatas ſecto. Piſtillum autem abit deinde in ſemen orbiculatum, in capſula quaſi pentagona, quæ calyx floris fuit, reconditum.

Paronychia Hiſpanica. Clus. Hiſt. 478. Paronychia Hiſpanica Cluſii ſive Anthyllis nivea. I. B. 3. 374. Polygonum minus candicans ſupinum, Bot. Monſp.

In

In Gallia Narbonenſi & Hiſpania ſponte provenit floret Majo & Junio.

Virtute adſtringente gaudere dicitur.

PEDICULARIS FLORE RUBRO & ALBO.

Sunt folia Pedicularis pratenſis purpureæ & albæ C. B. P. filipendulæ quadantenus ſimilia, at longe minora, minutiusque inciſa, colore viridi vel ſpadiceo.

PEDICULARIS CAMPESTRIS, FISTULARIA, braun Rödel/ Läußkrauth/ braun Läußkrauh.

Pedicularis pratenſis purpurea. C. B. Pin. 163. Pedicularis quibusdam criſta Galli flore rubro. I. B. 3. 437. Fiſtularia. Dod. Pempt. 556.

Pedicularis pratenſis floribus candidis. C. B. Pin. 163. Pedicularis quibusdam Criſta Galli flore albo. I. B. 3. 437.

Naſcitur in uliginoſis pratis, herba non ſolum parum utilis ſed & noxia ac pratorum ipſorum vitium, pabulumque pecori ingratiſſimum.

PEN-

Creditur, referente DODONÆO, ad fiſtulas & ſinuoſa ulcera utilis eſſe, nec non menſes & aliunde profluentem ſanguinem in vino auſtero decocta potaque ſiſtere.

PENTAPHYLLUM FLORE RUBRO.

Sunt Quinquefolii paluſtris rubri C. B. Pin. folia quina aut ſeptena, Pentaphylli vulgaris, ſed non eo ordine ſita, verum ceu in alam diſpoſita, ſubtus incana, hirſuta, ſuprema parte viridantia, profunde per ambitum ſerrata.

PENTAPHYLLUM PURPUREUM. PENTAPHYLLUM RUBRUM PALUSTRE. PENTAPHYLLUM PALUSTRE PLINII FRAGIFERUM EXISTIMATUM, QUINQUEFOLIUM PALUSTRE ſive AQUATICUM, Waſſerfünff Fingerkrauth/ Rothfünff-Fingerkrauth/ Siebenfünff-Fingerkrauth.

Eſt ſpecies pentaphylloidis, nempe

Pentaphylloides paluſtre rubrum. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7. g. 10. Quinquefolium paluſtre rubrum. C. B. Pin. 326. Pentaphyllon vel potius Heptaphyllon. I. B. 2. 398. Quinquefolium paluſtre ſive aquaticum. Tab. Icon. 122.

Uliginoſis putridis montium delectatur locis, ad piſcinas & paludes fruticans. Floret æſtate.

Adſtringentis, ut loquitur SCHWENCKFELDT, & ſiccantis facultatis eſt herba, cum fructu ſanguinis profluviis medetur.

PHALANGIUM.

Sunt Phalangii ramoſi & non ramoſi Dod. folia graminea, porraceis tenuiora anguſtiora, carinata, pede aliquando longiora, plus minusve latiora, ſaporis glutinoſi ac nauſeoſi.

Naturæ

φαλάγγιον, PHALANGIUM, PHALANGITES quod demorſis a Phalangiis, (aranei genere) auxilietur. LILIUM GRAMINEUM. ASPHODELI SYLVESTRIS SPECIES. CRINAGROSTIS. Graßlilgen/ Erdſpinnerkrauth.

Eſt plantæ genus flore liliaceo, ex petalis ſex compoſito, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum anguloſis. His notis addenda eſt radix fibrata, ut ab Ornithogalo facilius diſtinguatur.

Phalangium parvo flore non ramoſum, C. B. Pin. 29. Phalangium

gium pulchrius non ramoſum. I. B. 2. 635. Phalangium non ramoſum. Dod. Pempt. 106.

Phalangium parvo flore ramoſum. C. B. Pin. 29. Phalangium quibusdam parvo flore ramoſius. I. B. 2. 635. Phalangium ramoſum. Dod. Pempt. 106.

Hoc in pratis occurrit, floret vel Majo vel Julio. Gaudet tum locis montanis tum aquoſis.

Naturæ ſiccantis, inquit SCHWENCKFELDT & penetrantis exiſtit hæc planta in potu phalangiorum ictibus ventrisque torminibus medetur.

PHLOMIS.

Sunt folia Verbaſci latis ſalviæ foliis C. B Bin. rugoſa, incana, lata, apicibus ſubrotundis ſalviæ vulgaris foliis ſimillima, ſed majora, odoris non omnino ingrati.

Plan-

PHLOMIS a φλέγω uro, quoniam ruſtici olim caulibus pro ellychniis & candelis utebantur. SALVIA FRUTICOSA LATIFOLIA, VERBASCUM SYLVESTRE, das Salbeyblättige breite Wullkrauth.

Phlomis eſt plantæ genus flore monopetalo, labiato, cujus labium ſuperius, quod galeatum eſt inferiori totum incumbit tripartito & nonnihil extuberanti; ex calyce autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga, in capſula ſeu tubo pentagono, qui calyx floris fuit, recondita.

Phlomis fruticoſa Salviæ folio latiore & rotundiore. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 1. g. 1. Verbaſcum latis ſalviæ foliis C. B. Pin. 240. Verbaſcum jv. ſive ſylveſtre. Matth. 1146.

Creſcit in regionibus calidioribus, locis ſabuloſis & aridis,

 ſponte

ſponte quoque naſcitur in Palatinatu Rheni circa Heidelbergam. Colitur in hortis, floret Julio &c.

Planta hæc gaudet vi detergente exſiccante adſtringente & demulcente, medetur, ambuſtis, prodeſt in hæmorrhoidibus & fluxibus ſanguinis.

POLYGONUM KNAUEL.

Sunt Polygoni anguſtiſſimo & acuto ſive gramineo folio minoris repentis C. B. Pin. folia anguſtiſſima, acuta, medium digitum & amplius longa, cauliculis crebris notis geniculatis adnaſcentia, ſaporis dulcis.

POLYGONUM MINUS POLYCARPUM, POLYGONUM MINUS ALTERUM. Klein früchter Wegtritt / klein Knöderich/ CENTINODIA MINOR, Knauel/ SAXIFRGA ANGLICA.

Ex ſpecies Alchimillæ, nempe

Achimilla ſupina gramineo folio minore flore. Tourn. I. R. H. cl. 15. ſ. 2. g. 8. Polygonum anguſtiſſimo & acuto vel gramineo folio minus repens. C. B. Pin. 281. Polygonum minus polycarpon. Tabern. Icon. 834. Polygonum tertium Dodonæi ſive tenuifolium. I. B. 3. 377.

Alchimilla erecta gramineo folio, minore flore. Tourn. l. c. Poligonum gramineo folio majus erectum. C. B. Pin. 281. Polygonum minus alterum. Tabern. Icon. 835.

Sabuloſis & aridis paſſim obvium.

CA-

Easdem vires & uſus intus & extra uſurpatum poſſidet, quas Polygonum vulgare. Omnem calorem temperat, ſiſtit fluores alvi, dyſenteriam, menſes nimium fluentes, hæmorrhagiam narium, pellit calculum, arenulas & urinam. Ex aceto coctum vapore ejus ori immiſſo vermiculos dentium enecat, Plebeculæ experimento.

QUIN-

QUINQUEFOLIUM FRAGIFERUM.

Sunt Quinquefolii fragiferi C. B. Pin. folia terna, hirſuta, ſerrata, fragariæ æmula, longe minora, rurſumque eidem coſtæ una aut altera conſimilium foliorum conjugatio, quo longius a ſupremis illis abſint minora.

Gaudent iisdem cum radice viribus.

SAGITTA.

Sunt folia Sagittæ I. B. aquis innatantia raræ formæ, pulchræ alatæ ſagittæ mucronem æmulantia, fuſcis hinc inde in ſuperna parte maculis notata, quædam ex primis in acumen non deſinunt, ſed rotundantur, ſaporem obtinent nonnihil ſubdulcem, & viſcidum, cum veſtigiis obſcuræ acrimoniæ.

Re-

Πιςάνα, SAGITTARIA, SAGITTALIS a foliorum forma. Pfeilkrauth.

Eſt ſpecies Ranunculi, nempe

Ranunculus paluſtris folio ſagittato minori. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7 g. 3. Sagitta aquatica minor latifolia. C. B. Pin. 194. Sagitta. I. B. 3. 779. Sagitta minor. Tabern. Icon. 743. Klein Pfeilkrauth.

Ranunculus paluſtris folio ſagittato anguſtiori. Tourn. I. R. H. l. c. Sagitta aquatica minor anguſtifolia. C. B. Pin. 194. Sagitta minor anguſtifolia. I. B. 3. 780. & Tabern. Icon. 744. Spitzig Pfeilkrauth.

Ranunculus paluſtris folio ſagittato maximo. Tourn. l. c. Sagitta aquatica major. C. B. Pin. 194. Sagitta major. I. B. 3. 780. & Tabern. Icon. 743. Groß Pfeilkrauth.

Amnibus gaudet & leviter labentibus aquis. Junio ac Julio floret.

SCA-

Refrigerare, adſtringere, condenſare dicitur, & iiſdem cum plantagine aquatica viribus pollet. Herbam hanc potu & inſeſſu fœcundas reddere mulieres CAMERARIUS obſervavit.

SCABIOSA MINOR.

Sunt Scabioſæ capitulo globoſo majoris C. B. Pin. folia inferiora oblonga bellidis majoris fere, ſerrata, ſuperiora profunde ad coſtam inciſa, ſingulis ſegmentis ſerratis, pinguia, atrovirentia, ſapore lento & nonnihil acri,

SCABIOSA MINOR ſive COLUMBARIA, SCABIOSA FOLIIS BELLIDIS. PHYTEUMA DIOSCORIDIS, COLUMNÆ.

Scabioſa capitulo globoſo major. C. B. Pin. 270. Scabioſa minor vulgaris. I. B. 3. 3. Scabioſa v. Cluſ. Hiſt. ij.

In pratis ſiccioribus & arenoſis floret Julio.

σπει-

Calefacit, extenuat, abſtergit, aperit & craſſa lentaque expectorat. Herba ipſa in pulvere pota aut ſuccus ex melle delinctus pectus & pulmones abſtergit, craſſaque ac glutinoſa per os ejicit. Idem præſtat ejus decoctum potum ac ſcabiem ſanat. Id quod & ſuccus facit in unguentis additus. Folia cruda contuſa & peſtiferis carbunculis admota, mirifice eorum perniciem cœrcent. Datur utiliter eorumdem ſuccus quatuor unciarum pondere cum Theriacæ drachma peſtilentia affectis, prima ſtatim die, verum a potione ægros ſudare oportet, & iterum atque iterum medicamentum repetere. Datur item contra ſerpentum venenoſorum morſus: herba vero exterius imponitur. Illitus Scabioſæ ſuccus cum chryſocolla & caphuræ momento lentigines

tigines, alphos, impetigines & cæteras cutis affectiones abſtergit: oculorumque per ſe & cum ſucco fœniculi albugines delet.

SERRATULA.

Sunt Serratulæ I. B. folia alias integra, Betonicæ paria, alias Scaboſæ inſtar laciniata, utraque atrovirentia, hirſuta, arguto ſpinularum mitium agmine ſerrata

Herba hæc ruptis & ab alto devolutis prodeſt. In vino decocta æque ac radix ac deinde illita, ulcera mirifice mundat, carne replet & cicatrice obducit, hæmorrhoidum quoque dolores mulcet fotu adhibita, prodeſt ad contuſa, vulnera & hernias. Junio ad tinctorum uſum legitur.

SOPHIA CHIRURGORUM.

Sunt folia Naſturtii ſylveſtris tenuiſſime diviſi C. B Pin. abſinthii pontici officinis dicti foliis ſimilia, ſapore oleraceo, levi acrimonia prædita.

Quæ de Semine hujus plantæ dicta fuere valent quoque de foliis. Ventris fluores ſiſtunt, ſanguinisque profluvia reprimunt: uſurpantur vel in decocto vel in infuſo: ſuccus aut extractum foliorum & florum conducit ad hæmoptoën, fluorem album & hæmorrhagias uterinas. Herba hæc contuſa applicatur ad vulnera mundificanda.

SPIRÆA.

Sunt Spirææ Theophraſti folia frequentia, per ramulos ſparſa, longiuſcula, & anguſta, ſalignis proxima, per ambitum ſerrata ſuperne dilutiore viriditate prædita, inferne

veluti ærugine aſperſa, exſiccantis cum quadam amaritudine conjuncti guſtus.

σπειραία, SPIRÆA SALICIS FOLIO.

Spiræa eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, e cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ex plurimis ſiliquis compoſitum ſemine fœtis oblongo.

Spiræa Salicis folio Tourn. I. R. H. cl. 24. ſ. 1. g. 1. Frutex ſpicatus foliis ſalignis ſerratis. C. B. Pin. 475. Spiræa Theophraſti forte Cluſio. I. B. 1. 559. Speiræa Theophraſti forte. Cluſ. Hiſt. 84.

Colitur in hortis locis præſertim umbroſis.

Folia hæc adſtringunt detergendo, qualis virtus etiam floribus & fructibus adſcribitur.

SPONGIA.

Eſt ſubſtantia laxa, rara, poroſa, facile humiditates imbibens, coloris nunc albicantis flaveſcentis & ſpadicei, odore & ſapore carens.

Uſus

Σπόγγος παρὰ τὸ σπᾶν τὰ ὑγρὰ, quod humorem attrahat & imbibat, SPONGIA quoque dicitur FUNGUS MARINUS, SPONGIA MARINA, ad contradiſtinctionem fungorum ſeu ſpongiarum terreſtrium, ein Schwammen/ EPONGE.

Spongia eſt plantæ genus in aquis naſcens, molle & foraminibus pervium.

Spongia ad uſum præſtantiſſima, foraminibus exiguis pervica. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2. g. 9. Spongie Schiacchiate Imper. 636. Spongiæ compreſſæ Schiacciatæ. I. B. 3. 818.

Spongia compreſſa magna. C. B. Pin. 368. Sponchie Schiacchiate dell Oceano, Imper. 366. Spongia compreſſa Schiacciata Oceani

ani latiſſima. I. B. 818. Spongia marina alba & flava. Tab. 1119. & 1120.

Creſcunt in mari, ſaxis conchis, aliiſque concretis adhæreſcere obſervantur.

Dioſcorides duo ſpongiæ genera conſtituit marem atque fœminam. Marem denſioribus & minoribus foraminibus conſtare docet, fœminam majoribus & rotundis. Alii tertium addunt, in quibus lapides naſcuntur duriores. Plures adhuc ſpecies alii ſuggerunt, v. gr. globoſam Neapolitanorum littori propriam, Spongiam compreſſam magnam hircinam, velarem infundibuli facie, retiformem fruticoſam ramoſam &c. Spongiæ ramoſæ rami a quibusdam appellantur FLORES SPONGIÆ, FLEURS D'EPONGE.

Quæ veteres ARISTOTELES & PLINIUS, de vita, ſenſu, motu & contractione ſpontanea, eſca & alimento ſpongiarum tradunt partim pro incertis & ſuſpectis partim pro falſis habenda. Quis enim credere poteſt eas conchis ac piſce ali? eo ſcilicet argumento, quod conchæ minutæ in eis reperiantur: quaſi vero hæc animalcula non ultro irrepant in earum poros & foramina, ſeu ob tutelam ſive ob eſcam; facile enim credimus conchas marinas ſpongias depaſci, tantum abeſt ut ſpongiæ conchas. Quis intellectum iis ineſſe putet, quia nimirum ubi avulſorem ſenſere contractæ multo difficilius abſtrahuntur? Ego, inquit RAJUS nullam ejusmodi vim eis ineſſe conceſſerim, confictam ſuſpicor, quoniam Spongiæ compreſſæ & in anguſtum coactæ ultro reſiliunt & ſe dilatant vi quadam elaſtica, qua multa præterea inanimata pollent. Eſt ergo Spongiarum natura fungis proxima, de vegetabilium marinorum genere, quarum ſubſtantia velut ex lana compacta fiſtuloſa ſeu foraminata & undique mucagine quadam membranea veſtita. Vivunt Spongiæ, ſcopulis, teſtaceis & arenæ radice ſua affixæ. Avulſæ a ſua radice repullulant & ut aliæ plantæ recreſcunt. Earum proprium eſt facile conſtringi & in priſtinam amplitudinem dilatari: adhæc humoris eſſe ſitibundas, quem facile imbibant, & compreſſæ remittant.

Uſus ſpongiarum ad abſtergenda non tantum membra corporis, ſed alia quævis, ut menſas καὶ θρόνυς περικαλλέας. Uſus porro eſt ad ſanguinem aliumque liquorem imbibendum,

hinc Medicis Chirurgis & Mechanicis utiles ſunt. Adhibentur ad fomenta, longe nimirum diutius decocta ipſis inhærent quam linteis. Fracturæ & vulnera ſpongiis utiliſſime foventur. Ulcera quoque humida, & ſenilia impoſitæ ſiccant. Vulnerum inflammationibus imponuntur nunc ſiccæ, nunc ex aceto inſperſæ nunc e vino &c. Imponuntur & integris partibus ſed fluctuatione occulta laborantibus. Spongia nova non ſicut lana, aut linamentum materia duntaxat eſt, quæ humores irrigandos excipiat, ſed etiam manifeſte deſiccat. Quare vulnera glutinat, ſi aqua aut oxycrato aut vino admoveatur imbuta. Panarollus hunc uſum ſpongiarum profert. Præſervant a Lue Venerea meretrices, ſi immittatur poſt coitum intra vulvam ſpongiæ hujus particula, quæ nondum aliis uſibus eſt adhibita, ſed virgo adhuc hoc eſt ſalſedine marina ſcateat. Ad ulcera cava, nondum perfecte ſanata, dilatanda & quamdiu opus eſt aperte tenenda & ad putrida exſiccanda faciunt. Pro quo ſcopo præparari, ſequentem in modum ſolent: Conſcinduntur in fruſta minora & conjiciuntur in ceram flavam ad ignem liquatam commovendo bene cum ſpatula lignea, poſtmodum ab igne removetur mixtura, & cum fere refrigerata fuerit, prelo committitur; & poſtmodum in uſum trahitur.

STA-

IN OFFICINIS PROSTAT.

Spongia combuſta, gebrandter Schwamm / *Eponge brulé.* Dicitur habere virtutem aperitivam & antiſcorbuticam, doſis eſt ad ℈j. Imprimis autem adhibetur adverſus ſtrumas, ubi in majori doſi ad ℥ß. mane & veſperi Luna decreſcente aſſumitur.

Pulvis ſtrumalis, Kropff-Pulver / *Poudre contre les goëtres.* Luna decreſcente præſertim in uſum trahitur mane & ſero, duos cultri cuſpides vel drachmam, & quidem ſi fieri poteſt in forma ſicca deglutiendo. Confer quæ dicta ſunt de Sulphure.

Quer-

Quercetanus dicit antiquos calculi remedium docuiſſe ex ſpongia calcinata & in cineres aduſta. Sunt qui ad ocularia medicamenta & ubi quid extergere opus eſt adhibent.

STATICE.

Sunt Caryophylli montani majoris & minoris C. B. Pin. folia graminea, rigidiuſcula, plus minusve longa latave, glauca, ſimilia Caryophyllæis.

GRAMEN POLYANTHEMUM, GRAMEN MARINUM, CARYOPHYLLUS FLOS APHYLLOCAULOS, CARYOPHYLLUS MONTANUS, CARYOPHYLLUS MARINUS ſeu MEDITERRANEUS, Meergraß/ Graßnegelein/ Neglingras. Meernegslin/ Fleiſchblumen.

Eſt plantæ genus flore in capitulum fere ſphæricum collecto, calyce communi ſquamato donatum. Capitulum autem ex pluribus floribus componitur caryophyllæis, plurimis ſcilicet petalis conſtantibus e calyce proprio infundibuliformi emergentibus. Piſtillum pariter ex eodem calyce ſurgit, abitque deinde in ſemen oblongum, calyce ſeu capſula involutum.

Statice. Lugd. 1190. Caryophyllus montanus major flore globoſo. C. B. Pin. 211. Caryophyllæus flos aphyllocaulos vel junceus major. I. B. 3. 336. Gramen polyanthemum majus. Dod. Pempt. 564.

Statice montana minor. Tourn. I. R. H. cl. 8 ſ. 2. g. 1. Caryophyllus montanus minor. C. B. Pin. 211. Caryophyllæus flos aphyllocaulos vel junceus minor. I. B. 3. 336. Gramen polyanthemum minus. Dod. Pempt. 564.

Statice Alpina major flore albo. Tourn. l. c. Caryophyllus Alpinus major, flore albo globoſo. H. R. Par.

Reperitur tum montoſis, tum etiam in agris item in paluſtribus & haud procul a mari. Floret menſe Majo & Junio.

Thymus

Licet DODONÆUS, ut verbis utar JOH. BAUHINI, uſum in Medicina nullum habere teſtetur, ſed floſculos in

coronis ſolum gratiam aliquam obtinere dicat, DALECHAMPIUS tamen ſaporem totius plantæ adſtringentem perhibet ac facultatem habere ad miraculum usque deſicandi & erumpentium humorum impetum cohibendi, ſive trita admoveatur, ſive ſuccus ejus bibatur. Dyſenteriis ſuccurrere, menſium abundantiam, ſanguinis e naribus profluvium ſiſtere, ſanguinem excreantibus opitulari, denique vulnerariam eſſe & maligna ulcera ad cicatricem perducere dicunt.

THYMUS INODORUS.

Sunt Thymi inodori C. B. P. folia breviſſima, anguſtiſſima inodora, & plane inſipida.

Thymus inodorus. Tourn. I. R. H. cl. 4. ſ. 3. g. 7. Thymum inodorum. C. B. Pin. 219. & Prodr. 108.

In regno Valentiæ locis arenoſis in littore ad Alicanta copioſe provenit.

Vi gaudent adſtringente, docente J. BAUHINO.

TRIBULUS TERRESTRIS.

Sunt Tribuli terreſtris I. B. folia pinnata, Lenticulæ, incana, piloſa.

GALENO

Τρίβολος χερσαῖος, TRIBULUS TERRESTRIS ad differentiam Tribuli in aquis naſcentis dicitur. TRIBULE.

Tribulus eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum quodammodo cruciformem vel turbinatum, ex pluribus partibus plerumque compoſitum, muricatis, in capitulum collectis, & ſeminibus fœtis, utplurimum oblongis, in loculis nidulantibus.

Tri-

Tribulus terreſtris Ciceris folio, ſeminum integumento aculeato. Mor. Hiſt. Oxon. part. 2. 202. Tribulus terreſtris Ciceris folio fructu aculeato. C. B. Pin. 350. Tribulus terreſtris. I. B. 2, 352. & Dod. Pempt. 557.

Sub Maji finem exit, Julioque & Auguſto cum flore & ſemine in calidioribus regionibus, Gallia Narbonenſi, Languedocia, Italia atque Hiſpania paſſim conſpicitur.

Juxta

GALENO teſte dominatur in hoc tribulo terreum frigidum, & propterea ad inflammationes, dum adhuc generantur & omnino ad omnes influxiones commendatur. Salmanticenſes, teſte CLUSIO ejus decoctum ad pituitam craſſosque humores incidendos & evacuandos felici ſucceſſu clyſteribus injicere ſolebant, ad hæc planta cum melle fervida oris ulcera & tonſillas & putredines in ore ſanat & gingivas. Exprimitur & exinde ſuccus ad ocularia medicamina.

TRIFOLIUM BITUMINOSUM.

Sunt folia trifolii bitumen redolentis C. B. Pin. terna, per primam adoleſcentiam rotunda, mox oblongata, in acuminatum mucronem deſinentia, incana itidem & hirſuta, odore bituminis faſtidioſo, tactu glutinoſo.

Præter virtutes cum ſemine communes folia hæc opitulantur commorſis a beſtiis venenatis, trita, aut etiam cum aceto mulſo pota. Quidam narrant totum decoctum fruticis & radicis & foliorum, ſi commorſis a ſerpentibus affundatur, dolores eximere. Verum ſi ea aqua, qua quis curatus fuit, alii, qui ulcus habeat, affundatur, ipſum eadem pati, quæ illi qui commorſi fuere. Quidam in tertiana folia tria, in quartana febre folia quatuor exhibent. Doſis foliorum eſt usque ad ℥iv. in decocto.

TUBERARIA.

Sunt Tuberariæ noſtratis I. B. folia circa infimum caulis crebra, plantaginea, ex rotundo oblonga, latitudine ſemunciali, longitudine fere unciali, ſupra ſubtusque incana lanugine pubeſcentia, nervis tribus, plantaginis in morem diſpoſitis, diſtincta.

Juxta TOURNEFORTIUM eſt ſpecies Helianthemi, nempe Helianthemum Plantaginis folio perenne. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 16. Tuberaria noſtras. I. B. 2. 12. Tuberaria major Myconi. Ejusd. ibid.

Locis montanis præſertim in regionibus calidioribus provenit.

Virtute hæc planta gaudet detergente & adſtringente.

TUBULARIA.

Tubularia ex meris tubulis rubris, Corallio rubro fere concoloribus, aut certe ſaturatius tinctis, craſſitudine culmorum Avenæ ex ſemunciali aut breviori intervallo cruſtulis lapideis connexis, cætera parte æqualiter diſſidentibus, coagmentata eſt. Pleræque tamen ſuperficietenus albicante quadam aſpergine obiter veſtitæ ſunt. Tota ſubſtantia lapidea eſt, ſed corallio rubro fragilior.

Ab-

TUBULARIA, QUONIAM EX TUBIS conflatur, PORUS CORALLO AFFINIS, ORGUE DE MER.

Tubularia, ut TOURNEFORTIUS inquit, eſt plantæ genus fere lapideum, ex pluribus tubulis conſtans Organi Muſici æmulum.

Tubularia purpurea. Tourn. I. R. H. cl. 17. ſ. 2. g. 8. Tubularia purpurea Alcyonio Mileſio ſecondo alcuni. Imper. 631. Coralliis affine Alcyonium fiſtuloſum rubrum, I. B. 3. 808.

Naſcitur in collibus ſubmarinis. á TOUR-

Abſorbet & adſtringit, laudatur in fluxibus alvi & hæmorrhagiis, doſis ad ℈j. ad ʒß. & ultra.

VERBASCULUM SALVIFOLIUM.

Sunt Verbaſculi ſalvifolii Alpini folia alba, tomentoſa, ſalviæ ſimilia, ſed minora, in longum rotunda, magnis intervallis trina ſimul ab eodem exortu prodeuntia ſine petiolis, ſapore ſtiptico guſtum inficientia.

a TOURNEFORTIO refertur ad Phlomidem.
Phlomis Cretica, fruticoſa, folio ſubrotundo flore luteo. Tourn. Cor. I. R. H. Verbaſculum Salvifolium. P Alp. Exot. 108
Naſcitur ſponte in Creta. Colitur in hortis.

Folia hæc habent vim moderate digerendi & ſiccandi. Ambuſtis quoque ſunt remedio.

VERBENA SUPINA.

Sunt Verbenæ tenuifoliæ C. B. Pin. folia ex viridi cæſia, vulgari Verbenæ ſimilia, ſed magis inciſa & multifida, profundioribus inciſuris diviſa.

Ἱερὰ βοτάνη, SACRA HERBA CLUSIO, dicitur περιστερεὼν ὕπτιος, VERBENACA SUPINA, VERBENA HISPANICA MINOR.
Verbena tenuifolia. C. B. Pin. 269. Verbenaca ſupina. I. B. 3. 444. Verbenaca ſupina. Dod. Pempt. 250.
Agro Salmanticenſi frequens eſt, florens Julio & Auguſto. Colitur in hortis.

XERAN-

Ejuſdem eſt cum vulgari Verbena temperamenti, quare ad eadem utilis & aliquanto efficacior, ut docet J. BAUHINUS.

VITIS

VITIS IDÆA FRUCTU RUBRO.

Sunt Vitis Idææ foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris C. B. Pin. folia craſſiora quam vitis Idææ anguloſæ aut magnæ, oblonga, modo per extremum rotunda, modo leviter acuminata, non ſerrata, guſtu adſtringente & amaricante.

Foliorum horum uſus eſt in morbis ubi adſtrictione opus.

VITIS IDÆA MAGNA.

Sunt Vitis Idææ foliis ſubrotundis exalbidis C. B. Pin. folia vitis Idææ anguloſæ magnitudine paria, oblonga, magis tamen rotunda, glabra, nec ullo modo, ut illa, ſerrata, inferiore parte nonnihil glauca, ſapore adſtringente prædita.

Folia hæc aliquid aciditatis habent, ſed adſtrictionem majorem. Tinctores virgultis cum foliis frequenter utuntur.

XERANTHEMUM ſive PTARMICA.

Sunt Ptarmicæ Auſtriacæ Dod. folia infima caulis parte ſecundum radicem numeroſa, in ipſo caule rariora, longiuſcula, anguſta, ſuperne molli lanugine incana, acidiuſculi ſaporis.

Virtute

Xeranthemum a vocibus ξηρος ſuccus & ανθεμος flos quaſi diceres florem ſiccum, hujus enim generis flores diu durant & a Gallis dicuntur Immortelles. Ptarmicæ nomen huic plantæ impoſuit Clusius, non quod ſternutamenta moveat, ſed quod reliquis notis ſatis apte cum Dioscoridis Ptarmica conveniat. Papier-Blumen.

Xeran-

Xeranthemum eſt plantæ genus flore radiato, cujus diſcus ex plurimis floſculis componitur, embryoni inſidentibus : corona vero conſtat ex petalis planis, nulli embryoni affixis, ſed eodem calyce cum floſculis comprehenſis. Embryo autem deinde abit in ſemen capitulo foliato inſtructum.

Xeranthemum flore ſimplici purpureo majore. H. L. Bat. Xeranthemum aliud ſive Ptarmica quorumdam. I. B. 3. 25. Jacea Oleæ folio capitulis ſimplicibus. C. B. P. 272. Ptarmica Auſtriaca. Dod. Pempt. 710.

Xeranthemum flore pleno purpureo majore. H. L. Bat.

Xeranthemum flore ſimplic. albo. H. L. Bat.

Xeranthemum flore pleno albo. H. L. Bat.

Xeranthemum ſive Ptarmicam præſertim primam ſpeciem ſponte provenientem in Auſtria obſervavit CLUSIUS. Reperitur quoque in Italia, colitur in hortis floret æſtate.

Virtute gaudet hæc planta adſtringente & deſiccante. Illius decoctum pueris & infantibus propinatum adverſus faſcinationes valde utile eſſe quidam ſibi perſuadent teſte CLUSIO.

PLANTÆ PARTICULIS TERREIS TEMPERATIS ET BLANDIS VOLATILIBUS CONSTANTES.

Anthyllis Cretica maritima.
Been album officinarum.
Coronopus ſerpentina.
Cynogloſſum minus.
Filix ſaxatilis.
Gramen Oſſifragum.
Halimus.

Lichen ſive Hepatica fontana.
Linagroſtis.
Lonchitis minor.
Phillyrea.
Phillyrea anguſtifolia.
Scabioſa arboreſcens.
Terracrepola.
Trifolium corniculatum.

ANTHYLLIS CRETICA MARITIMA.

Sunt Anthyllidis Alpin. folia parva lentis magnitudine & figura, undique caules circumdantia, albeſcentia, & ſalſum ſaporem, ut tota planta, ſapientia.

Ad Quamoclit a TOURNEFORTIO refertur.
Quamoclit minima, humifuſa paluſtris, Herniariæ folio. Tourn. I. R. H. Anthyllis. P. Alp. Exot. 157.
Naſcitur copioſe in locis maritimis Cretæ.

SERPEN-

Modice, ut loquitur ALPINUS, ſiccat cum levi adſtrictione & calore, unde vulnera ſanat, ſed ejus decoctum datur etiam ad urinæ difficultatem atque ad renes detergendos.

BEEN ALBUM OFFICINARUM.

Sunt Lychnidis ſylveſtris, quæ Been album vulgo C. B. Pin.

Pin. folia, Lychnidis forma, ſed penitus glabra; cum dulcedine quadam, acria, affatim & obſcure amara.

Emollit hæc herba, ut SCHWENCKFELDT loquitur, fotu artus luxatos & nervos ſtupidos. Succus ophthalmiam calidam tollit & dolores oculorum mulcet. Suppoſita Ægris neſcientibus criſin moliri vulgus credit.

CORONOPUS SERPENTINA.

Sunt Coronopi ſerpentinæ I. B. folia, magna ſegete propullulantia, latitudine Coronopi eſculenti, ſed latitudine trientem aut quadrantem non adæquantia.

SERPENTARIA MATTHIOLI, CORONOPUS SYLVESTRIS, HERBA STELLA SYLVATICA, HOLOSTIUM STRICTISSIMO FOLIO.

Eſt ſpecies plantaginis, nempe

Plantago gramineo folio major. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 2. g. 3. Holoſteum ſtrictiſſimo folio majus. C. B. Pin. 190. Coronopus ſerpentina. I. B. 3. 510. Serpentina Matthioli. Dod. Pempt. 109.

Colitur in hortis, floret Majo & Junio.

CYNO-

MATTHIOLUS Coronopo ſuo eximiam tribuit vim contra ictus & morſus venenatos ſerpentum. Dantur autem ejus pulverati ʒij. ex vino albo : hoc remedii genere multi evaſerunt ſubito, ab ejusmodi virulentis animalibus vulnerati, quemadmodum ego ipſe certo obſervavi. Ejusdem radix in vino albo decocta hydropicis utiliter propinatur, diebus aliquot continuis mane, & ſudoribus poſtea vacandum. Semen ex vino auſtero aut aqua Portulacæ hauſtum, omnem alvi fluxum ſiſtit ac hæmoptyſin : conſuevit etiam herba in vino rubro aut aceto coqui, & jus calidum in ore teneri, contra immenſos dentium cruciatus.

CYNOGLOSSUM MINUS.

Sunt Cynogloſſi minoris C. B. Pin. folia, multo vulgari majora, palmaria ad Bugloſſi minoris accedentia, hiſpida, graviter odorata, ſapore amaro.

CYNOGLOSSUM PUMILUM, ELATINE TRAGI, HELIOTROPIUM MINUS TERTIUM, LAPPULA RUSTICORUM. Blau Scorpion-Krauth.

Eſt ſpecies Bugloſſi nempe

Bugloſſum anguſtifolium ſemine echinato. Tourn. I. R. H. cl. 2. ſ. 4. g. 2. Cynogloſſum minus. C. B. Pin. 257. & I. B. 3. 600. Cynogloſſa minor Plinii. Column. part. 1. 179.

Creſcit ad viarum & agrorum margines, circa urbem Viennam atque alibi. Floret Majo & Junio.

Juxta TRAGUM gaudet refrigerandi exiccandi & ſanandi vi, eoque nomine tenerrimis membris utrinque utiliter adhibetur. In vino rubro decocta hæc herba ac pota inteſtinorum eroſionibus a dyſenteria medetur, dyſenteriam ſiſtit, doloremque mitigat per aliquot dies continuos pota. Herba vino decocta & gargariſata exulcerationes oris & colli perſanat. Quin & ſtulta ſuperſtitione nonnulli perſuaſi, ab oris ulceribus, quæ Græcis Aphthæ appellantur, eos liberari credunt, qui hanc herbam ſaltem ſecum geſtaverint. Viridis adhuc tuſa & fronti impoſita oculorum inflammationibus & fluxionibus auxiliatur.

FILIX SAXATILIS.

Filix ſaxatilis corniculata C. B. Pin. innumeris capillaribus nigricantibus cirris radicatur, nec minorem numerum colicu-

liculorum profert, palmam altorum, capillaceæ quoque tenuitatis, qui circa ſummum in duas tresve portiunculas paulo latiores & ferrugineo pulviſculo filicum aut aſplenii ritu reſperſa, finduntur.

FILIX TERTIA ſeu SAXATILIS TRAGO. FILIX PETRÆA, FILIX CORNUTA, FILIX SAXEA, HOLOSTEUM PETRÆUM.

Pertinet ad filiculam juxta TOURNEFORTIUM. Eſt ſcilicet

Filicula ſaxatilis corniculata. Tourn. I. R. H. cl. 16. ſ. 1. g. 6. Filix ſaxatilis corniculata. C. B. Pin. 358. Filix ſaxatilis Tragi. I. B. 3. 755. Holoſtium petræum. Tabern. Icon. 736.

E ſaxis prodit, unde nomen.

Saxatilem filicem ejusdem cum capillo Veneris temperamenti eſſe, & pro eo uſurpari poſſe author eſt TRAGUS.

GRAMEN OSSIFRAGUM.

Sunt Graminis peculiaris folia dilute virentia, cum radice tenui valde fibroſa, & ex parte nodoſa.

GRAMEN NORWAGICUM πολύῤῥιζον, GRAMEN NORWAGICUM OSSIFRAGUM, Beengräß in Norwegia vocatur.

In Norwegia ruri quibusdam in tractibus ſuccreſcit.

ἅλιμος,

Hoc gramen tota ſubſtantia jumentis aut bobus eſt inimicum, & compertum eſt tam admiranda pollere efficacia, ut ſi boves eo veſcantur, ei usque adeo ad ambulandum inepti redduntur, ut elumbes videantur, ceu qui ne quidem veſtigium facere poſſent. Omnia enim oſſa rumpit atque comminuit, ut artus quovis modo flecti queant. Non au-

tem

tem ſtatim pereunt, ſed adhuc curari poſſunt, quando ipſis exhibetur pulvis oſſium jumentorum ex eſu graminis hujus enectorum.

HALIMUS.

Sunt Halimi latifolii ſive fruticoſi C. B. Pin. folia ſimilia Atriplicis marinæ foliis, magnitudine varia, non tamen ut illa ſerrata, ſinuata, ordine nullo per ramos diſpoſita, pediculis ſatis longis hærentia, etiam hyeme virentia, craſſa, ſucculenta, candicantia & ſpiſſitudine ad Portulacæ marinæ folia accedentia, ſapore ſubacido prædita.

ἅλιμος, HALIMUS, ATRIPLEX MARITIMA FRUTICOSA HALIMUS DICTA, PORTULACA MARINA.

Atriplex latifolia, ſive Halimus fruticoſus. Moris. Hiſt. Oxon. part 2. 607. Halimus latifolius ſive fruticoſus. C. B. Pin. 120. Halimus. I. Clus. Hiſt. 53. Halimus. Clus. I. B. I. 227.

In locis maritimis & arenoſis præſertim regionum calidiorum provenit.

λευκή

Halimi folia DIOSCORIDI & PLINIO cibi gratia decoquuntur. EQUES DAMIANUS DE GOES, Halimi folia cum furfuribus decocta & podagris, quæ a calida cauſa proveniunt, malagmatis modo, calida impoſita, dolores lenire CLUSIO, cum Ulyſſipone eſſet, affirmabat.

LICHEN ſive HEPATICA FONTANA.

Lichen petræus latifolius ſive Hepatica fontana C. B. Pin. aſperginoſis ſaxis adhæreſcit foliis ceu ligulis multiformibus ſqua-

ſquammatim incumbentibus perpleno textu conſtans, laciniis Lobelio lactucinis ſinuatis, quercusve terrenæ aut potius marinæ ſimilitudine. Sunt ea porro folia pinguia, craſſave, ſuperius hilari virore nitentia, inferius dilutiora, fibrarum capillarium infinitis cincinnis lanæ ſimilibus (quos ſaxorum commiſſuris infigit) ſubtus demiſſis, ſaporis aliquatenus aromatici & amaricantis ac nonnihil mordicantis.

λειχὴν, Lichen, quod Lichenas ſerpentis morbi genus impoſita ſiſtat & ſanet, Hepatica, Hepataria, Jecoraria quia præcipue hepati confert, Muscus Saxatilis, Steinleberkrauth/ Brunnleberkrauth.

Lichen ſive Hepatica fontana. I. B. 3. 750. Lichen petræus latifolius ſive Hepatica fontana. C. B. Pin.

Lichenem Solis æſtui inimicum umbroſis ſimulque humidis locis gaudere, ideoque in fontibus profundioribus nec non rorulentis petris duntaxat naſci perhibet TRAGUS. DODONÆUS ſemen non ſolum umbroſis, humidis, lapidibusque ſtratis viis, ſed & aliis ſemitis, quo Solis radii rarius perveniunt & quas nullus viator frequentat, crebro reperiri ait: Majo & Junio capitula ſtellata profert.

Refrigerat, inquit SCHWENKFELDT, ſiccat, adſtringit paulatim & abſtergit. Magnæ cum Hepate cognationis, ad cujus affectus maximopere commendatur. Adverſus jecinoris inflammationes, calores, febres acutas & tertianas ex bile ortas efficax habetur, ſanguinem ſiſtit, inflammationem arcet.

LINAGROSTIS.

Linagroſtis Tabern. implexis fibris radicatur, juncos tollens rectos, enodes, folioſos, in quorum ſummitate bifori vagina longis lentisque pediculis appenduntur paniculæ tomentoſæ, candida bombycum opera & mollitie præſtantes.

GRAMEN TOMENTOSUM, LINUM PRATENSE, ERIOSCHÆNUS, LINOSCHOENUS, GRAMEN JUNCEUM LANIGERUM, GNAPHALIUM TRAGI, GRAMEN TOMENTARIUM. Mattenflachs / Flachſengraß / Wieſenwolle.

Linagroſtis panicula ampliore. Tourn. App. I. R. H. Linagroſtis Tabern. Hiſt 559. Gramen tomentarium Linum pratenſe. Tab. Icon. 230. Gnaphalium Tragi ſive Juncus bombycinus. I. B. 2. 514.

In paludoſis, inque humidis & uliginoſis pratis oritur, & lanugine tomentoſa a longe conſpicua ſe prodit, præſertim Junio & Julio, quando ex ipſis junceis ſtylis lana candicans dependet.

Vi adſtringente & condenſante pollet, quare in vino nonnulli decoquunt propinantque alvi profluvio ac colica ab eadem cauſa exorto laborantibus. Lanuginis copia ſi haberi poſſet textorio operi forte non incommoda foret. De hac lanugine hæc SIMON PAULI in quadripartito Botanico pronunciat verba. Oeconomica qui curant, Goſſypio deſtituti, ii ab Islandia noſtrati, acri & ſolerti ingenio natione, doceri novum modum poſſunt parandi candelas ſebaceas, quippe Islandi lanuginem pappumve hujus graminis, nere aut in ellychnium contorquere norunt, ſuper quod, dum liquefactum ſebum concreſcit, aut id ſebatur, candelarum aliarum in morem conficiunt ſibi domeſticos in uſus candelas præcipuæ claritatis, ſæpe quæ elychniis goſſipinis & candelis cereis anteferendæ ſunt. Imo fomentum hujus graminis in elychnium contortum hoc peculiare habet præ goſſypino, ut cum quis bipartito aut tripartito candelas Islandicas cum ſocio aut contubernali partiri geſtiat non opus habeat poſcere cultrum ad eas in fruſta conſcindendas, quippe illæ, inſtar fumo induratarum Lucanicarum Lubecenſium aut Brunſwicenſium, ſapidiorum, aliis vulgaribus, vel caulis aut raparum Burtfeldenſium in modum facile diffringi aut decerpi queant.

LON-

LONCHITIS MINOR.

Sunt Lonchitidis minoris C. B. Pin. folia, primo exortu Linguæ Cervinæ modo recurva, poſtea cum ſe explicuerint, non tam lata, quam illius, ſed adſtrictiora & ubi excreverunt, in ambitu in terram reclinata, pedalia aut cubitalia nigris propter terram pediculis, vel ut ait TRAGUS, mediis venis punicei coloris, quæ vicem caulis tenent, quorum primæ cæſuræ Aſplenii folium ſatis exprimunt, ſuperiores ad ſummum usque faſtigium ad Polypodium accedunt, ſic tamen, ut maxima ſegmentorum longitudo vix ſit uncialis ambitu æquabili, nec alia ratione ulla inciſo: horum in medio aliud ſurgit foliorum genus, quæ recta longiora raris cæſuris, ſatisque longo intervallo diſtantibus, ſcalarum gradus imitantur, averſa parte pulvere filicum ferrugine aſperſa.

Lonchitis Altera, Lonchitis Aspera Alia, Asplenium Sylvestre, Lonchitis Altera Foemina, Linguæ Cervinæ Sylvestris Species, Lonchitis Aspera Minor, Asplenium Spicanthum, Scolopendrium Verum Tragi.

a TOURNEFORTIO ad Polypodium refertur. Eſt nempe Polypodium anguſtifolio folium vario. Tourn. I. R. H. cl. 16. ſ. 1. g. 4. Lonchitis minor. C. B. Pin. 359. Lonchitis altera folio polypodii, I. B. 3. 744. Lonchitis aſpera. Dod. Pempt. 469.

Elegantiſſima hæc planta non paſſim occurrere teſtatur TRAGUS. Ubi tamen invenitur, tenebroſis ſcilicet & humidioribus ſylvis, ibi magna copia provenire ſolet. Dodonæus naſci refert in ſcrobibus ac foſſis, locis uliginoſis humidis atque umbroſis, perpetuo virere & æſtate vigere.

Scabiosa

Herbam eſſe vulneribus glutinandis lienibusque abſumen-

dis idoneum docet MATTHIOLUS. Illis enim impoſita, ne inflammentur vulnera, impedit.

PHILLYREA.

Sunt Phillyreæ latifoliæ lævis. C. B. Bin. folia ſeſcunciam longa, vel paulo longiora, brevibus pediculis hærentia, utroque capite in anguſtum faſtigiata, oleæ foliis ſimilia, obtuſiora tamen & proportione latiuſcula, nec ita candida a tergo, nec in lateribus retrorſum reflexa, ſed æqualiter lata, glabra, nitentia, & egregie viridia, guſtu adſtringentia, cum amaritudine & acrimonia aliqua.

Iiisdem virtutibus gaudent ac folia Phillyreæ anguſtifoliæ.

PHILLYREA ANGUSTIFOLIA.

Sunt Phillyreæ anguſtifoliæ 1. C. B. P. folia foliis Oleæ ſitu adverſo reſpondentia, nigriora, nec una ut Oleæ candicantia, modo anguſta & olearum foliis anguſtiora, nunc mucronata, alias ſubrotunda, interdum nonnihil in ambitu ſerrata, acrimoniæ cujuſdam & amaritudinis nequaquam expertia.

Folia hæc adſtringunt atque refrigerant, proſunt in ulceribus oris & faucium inflammatione.

Flores Phillyreæ cum aceto fronti appoſiti dolorem capitis ſedare dicuntur.

SCABIOSA ARBORESCENS.

Sunt Scabioſæ arboreæ Alpin. folia, multa, magnitudine & figura aizoo Cretico arboreſcenti ſimilia, ab eodem ex-

ortu

ortu ſimul exeuntia, tota incana, albicantia, ſubamareſcentia cum levi adſtrictione, inodora.

Scabioſa Cretica fruteſcens Auriculæ Urſi folio. Tourn. Coroll. I. R. H. Scabioſa arborea. P. Alp. Exot. 34.

Provenit in Creta, quæ hodie Candia.

Facultatis eſt deterſoriæ hæc planta, docente Alpino, & aperientis, ad ulcera conglutinanda atque in ipſis ad carnem deperditam regenerandam utilis.

TERRACREPOLA.

Sunt Sonchi lævis anguſtifolii C. B. Pin. folia intybo ſimilia, candidiora, minus inſecta ac laciniata, ſucco lacteo manantia, guſtatu ſuavia, licet nonnihil amara ſint.

OLUS SYLVESTRE, CREPIS, TERRACREPOLUM.

Sonchus lævis anguſtifolius. C. B. Pin. 124. Sonchis affinis Terracrepola. I. B. 2. 1018. & Chondrillis affinis quædam laciniata an Trinciatella. I. B. 2. 1021. Sonchus lævis Matthioli. Lob. Icon. 236.

Naſcitur ſponte in aggeribus terrenis agri Monſpelienſis. Colitur etiam in hortis. Floret tota æſtate.

MELI-

Herba Terracrepola in cibis cruda, ex oleo & aceto expetitur, nam dulcis eſt & ſubadſtringens.

TRIFOLIUM CORNICULATUM.

Sunt Loti ſive Meliloti pentaphylli minoris glabræ C. B. Pin. folia quina, piloſa, quandoque nullos aut paucos pilos habentia, acuminata, pinguia, adſtringente ſapore prædita.

 Sunt

MELILOTUS CORONATA, SERTULA CAMPANA & CORONA REGIS, TRIFOLIUM SILIQUOSUM, MELILOTUS NOBILIS TRAGI, Wilderklee/ Steinklee/ Edelſteinklee/ Vogelswicken/ unſer Frauen Schůchlin. TREFFLE SAUVAGE JEAUNE.

Lotus ſive Melilotus pentaphyllos minor glabra. C. B. Pin. 332. Lotus corniculata glabra minor. I. B. 2. 356. Trifolium corniculatum. 1. Dod. Pempt. 573.

In pratis provenire ſolet ac etiam collibus ſiccis.

Sunt qui hac planta æque ac Meliloto utuntur ad eundem ſcopum.

CAPUT SEPTIMUM
DE FLORIBUS.

FLORES SALIBUS VOLATILIBUS OLEOSIS SEU AROMATICIS CONSTANTES.

Colutea Scorpioides.
Carduus capite tomentoſo.
Gingidium.
Hyacynthus tuberoſa radice.
Jaſminum.
Lotus odorata.
Sambucus aquatica.
Stoechas Neapolitana.

COLU-

COLUTEA SCORPIOIDES ODORATA.

Sunt Coluteæ ſcorpioidis odoratæ P. Alp. flores, floribus Coluteæ vulgaris ſimiles, ſed odorati.

Eſt ſpecies Coronillæ, nempe
Coronilla argentea Cretica. Tourn. I. R. H. cl. 22. ſ. 3. g 4. Colutea Scorpioides odorata. Proſp. Alp. Exot. 17.
Naſcitur in Creta.

Flores hi dicente ALPINO ſunt odorati, digerentes cum levi adſtrictione, unde non errarent, qui Meliloti loco iis ad Medicinam uterentur. Nonnulli ſiliquis tribuunt facultatem purgatoriam præſertimque vomitoriam.

CARDUUS CAPITE TOMENTOSO.

Eſt Cardui capite rotundo tomentoſo C. B. Pin. caput, pugillari lapidi æquale, latum, ſquammis parvis, longis & ſpinis parum mordacibus denſiſſima lanugine intertextis, conſtans, carne alba grati & aromaticiſaporis.

Carduus Eriocephalus, Corona Fratrum, Carduus Montanus Echino Lanugineo Obducto.
Carduus capite rotundo tomentoſo. C. B. Pin. 382. Carduus capite tomentoſo. I. B. 2. 57. Carduus eriocephalus. Dod. Pempt. 723.
Floret Julio & Auguſto in editioribus.

Hujus Cardui capitula, antequam flores erumpunt, aqua decoquunt nonnulli, cumque butyro & pipere condita Ci-

nararum in modum menſis ſecundis adjiciunt & in deliciis habent.

GINGIDIUM.

Pediculi ſeu radii umbellarum pro dentiſcalpiis in uſum veniunt multis, præcipue Hiſpanis, ob rigiditatem ſuam & ſuaveolentiam: unde herba Anglis DENTISCALPIUM HISPANICUM, teſtante RAJO, dicitur.

HYACINTHUS TUBEROSA RADICE.

Sunt Hyacinthi Indici tuberoſa radice C. B. Pin. flores Hyacinthi, maximi, albi, odoratiſſimi, Narciſſi albi in modum expanſi, cum apicibus in medio luteis.

Sal volatile penetrantiſſimum manifeſtat excellens odor, quem exhalant. Adeo fortis eſt hic odor, ut non ſolum in ſexu ſequiore paſſiones hyſtericas excitet, ſed & præſertim in conclavibus clauſis, caput tentat, ejusque dolorem procreare, imo, ob nimiam fragrantiam, majora poſt ſe trahere mala, capax eſt. Aromatariis alias inſerviunt.

JASMINUM.

Sunt Jasmini vulgatioris flore albo C. B. Pin. flores, in umbella, ſuaviſſimi odoris, ex oblongo gracili tubulo in calathum quinque partitum expliciti, colore candido.

Jasmi-

Jάσμινον quaſi violaceum a violis, quas ἴα vocant, vel Josme quaſi violæ odor, aut Jasme quaſi medicatus odor. JESEMINUM, JASMENUM, GELSEMINUM, quibusdam APIARIA, quod Apes ejus floribus multum delectentur. Jaſmin/ Gelſemin/ weißer Jaſmin/ weiße Veilreben/ Vellöhlreben/ JASMIN.

Eſt

Eſt plantæ genus flore monopetalo infundibuliformi, multifido, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum mollem, ſeu baccam, uno vel altero ſemine fœtam.

Jasminum vulgatius flore albo. C. B. Pin. 397. Jasminum ſive Gelſeminum flore albo. I. B. 2. 101. Gelſeminum vulgatius, Jasminum. Lob. Icon. 105.

Colitur in hortis, floret Julio & Auguſto.

Heli-

Jasminum album ſicut odore fragrat, ita viribus multis pollet. Oleum ex floribus confectum crudos diſcutit humores, frigidis ac catarrhoſis confert, & hyberno tempore utile eſt. Quibus autem temperatura contigit calidior, his dolorem capitis excitat, & ſi diutius odoretur, periculum adfert ſanguinis e naribus profluvii. Præcipua ejus utilitas ad contractos induratosque artus, articulos, tendines nervosque, calefacit, emollit, aperit. Uteri morbos arcet, non ſolum hypogaſtrio & locis muliebribus illitum, ſed etiam potu aut enemate uſurpatum. Simili modo prodeſt & doloribus colicis, quos frigidus & viſcidus humor concitavit. Præcipuus florum uſus eſt ad diapasmata & odoramenta, ad chirothecas & linteamina odore ſuaviſſimo imbuenda. Commendatur hoc oleum valde ad generationem capillorum, quos longiores facit & copioſiores. Paratur autem ex infuſione florum, qui ſi deſtillantur non ſuppeditant aquam fragrantem, cum oleo amygdalarum dulcium aut oleo Been. Præſtantiorem hoc oleum parandi modum hunc ſuppeditat ZWELFFERUS.

℞. Florum Jasmini odoriferorum recentium q. s. quibus cum amygdalis dulcibus excorticatis ac nonnihil ſiccatis fiat in cribro ligneo vel incerniculo, aut aliquo alio vaſe puro ſtratum ſuper ſtratum, ultimo orbiculo ligneo, pondere ali-

aliquo parumper ſaltem gravando ſuperimpoſito; poſtero die flores ab amygdalis ſegregentur, novisque & recentibus floribus eædem Amygdalæ ſtratificatæ, aliquo, uti antea, pondere nonnihil graventur, qui labor, quo frequentius ſemper cum recentibus receptis floribus reiteratur, eo præſtantius ac fragrantius oleum ſimplici ſaltem, & ſine igne, expreſſione ex Amygdalis elicitur, ſimili modo etiam ex aliis plurimis floribus, quorum fragrantia alias, ſi contundantur coquantur vel cum aliis oleis infundantur, cito evaneſcit utpote Aurantiorum, Citri, Rorismarini, Roſarum &c. Item ex herbis, Majorana, Thymo, Meliſſa citrata & ſimilibus odore fragrantibus odoratiſſima olea confici poſſunt, quæ nunc utplurimum ex Italia, ubi florum iſtorum ingens copia eſt, transportantur. Durabiliora autem efficiuntur olea, nec tam facile rancorem contrahentia, ſi loco Amygdalarum Balanus Myrepſica ſive granum Ben officinarum accipiatur, aut ad minimum (uti Romæ facere aſſolent) oleum ejus goſſypio exceptum cum floribus ſæpius ſtratificetur, quod denique fragratiſſimo ipſorum odore ſufficienter imbutum e goſſypio exprimatur. Hic modus ab Italis in ſecretis habetur, juxta quem ſuas quintas eſſentias (uti vocant) parare conſueverunt.

Folia & flores fomento adhibita ſanant phlegmonas maturas, maxime & apoſtemata matricis ex longo tempore indurata. Flores in vino ſumpti partum accelerare facilioremque reddere, item ſecundinas & fœtum mortuum expellere dicuntur.

LOTUS ODORATA.

Sunt Loti hortenſis odoræ C. B. Pin. flores glomerati,

pallide

pallide cærulei, Trifolii pratenſis æmuli, minores, pertinaci odoris ſuavitate gaudentes.

Flores hi ſymbolizant cum foliis. Succus florum expreſſus obſcuritati viſus ſuccurrit. In aures inſtillatus dolores ſiſtit. Teſtante ZWINGERO, in oleo communi flores infunduntur & inſolantur poſtmodum aliquid terebinthinæ additur & vulnerarium excellens evadit, tam externe ad vulnera leviora glutinanda & curanda doloresque demulcendos, quam interne ad dolores colicos & nephriticos, ſanguinem congrumatum aliasque læſiones internas.

SAMBUCUS AQUATICA.

Sunt Sambuci aquaticæ C. B. Pin. flores nonnihil odorati, in umbella candidi, tam lati aliquando, ut pollicis unguem æquent.

Flores cum ſuaviter odorati ſint, ſolent voluptatis gratia legi & conclavibus inferri. Tradunt Aquaticæ Sambuci deſtillatos flores ad frangendum calculum efficaciſſimum omnium eſſe remedium.

STOECHAS NEAPOLITANA.

Sunt Elichryſi foliis oblongis, paucis Stœchados Citrinæ anguſtioribus C. B. Pin. flores comprehenſi in umbella aurea, divulſaque.

Decocti

HELICHRYSUM CRETICUM MATTHIOLI, STOECHAS CITRINA MATTHIOLI.

Ad Elichryſum juxta TOVRNEFORTIVM pertinet.

Elichryſum foliis oblongis, paucis Stœchadis Citrinæ anguſtioribus

bus. C. B. Pin. 264. Stœchas Citrina tenuifolia tertia ſive Neapolitana. I. B. 3. 155.

In Italia provenit inter Neapolim & Puteolos. Naſcitur quoque in Creta,

Coro-

Decocti hi flores, ut exponit JOH. BAUHINUS, aut ex vino macerati, jecinoris obſtructiones aperiunt: proinde datur utiliter eorum decoctum, aut dilutum regio morbo aut malo habitu affectis. Idem potum interaneorum vermes necat. Medetur tota planta omnibus cerebri morbis a frigido provenientibus, nempe pituitoſis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, reſolutis & id genus aliis, ſive ejus decoctum ſumatur in potu, ſive herba ipſa in pulverem trita ex rhodomelle bibatur aut oxymelite. In lixivio addita, non ſolum præſcriptis morbis auxiliatur, ubi eo caput abluatur, ſed furfures quoque abſtergit, & pediculos necat. Datur cum herba ipſa tum ejus decoctum ad urinæ ſuppreſſiones ſiquidem renes expurgat, & urinam pellit. Adduntur flores in fomentis, quæ ad uteri morbos frigidos & obſtructiones parantur.

FLORES MUCAGINE TENUI POLLENTES.

Coronilla.
Lamium Luteum.
Verbaſculum ſalvifolium.

CORONILLA.

Sunt Coronillæ ſive Coluteæ minimæ Lob. floſculi Meliloto ſimiles circumpenſiles, corollam imitati, crocei.

Flores

CORONILLA a diſpoſitione florum. COLUTEA SCORPIOIDES CORONATA, CORONA REGIA HISPANORUM CORONELLA ſive COLUTEA MINIMA, POLYGALA VALENTINA CLUSII.

Coronilla eſt plantæ genus, flore papilionaceo, cujus piſtillum, quod ſurgit ex calyce, abit deinde in ſiliquam ex multis partibus quaſi articulatione conjunctis compoſitam, quarum ſingulæ ſemine turgeſcunt oblongo.

Coronilla ſive Colutea minima. Lob. Icon. 87. Coluteæ parvæ ſpecies Polygala Valentina. Clus. I. B. 1. 383. Polygala altera. C.B. Pin. 344.

In Hiſpania locis arenoſis & collium declivibus ſpontanea obſervatur. Colitur in hortis, floret vere.

BELLIS

Flores hi eadem virtute gaudent ac Meliloti. Emolliunt, reſolvunt & flatus diſcutiunt, clyſteribus, fomentationibus & cataplasmatibus immitti poſſunt.

LAMIUM LUTEUM.

Sunt Lamii folio oblongo lutei C. B. Pin. flores, ad genicula verticillatim caules ambientes, lutei, ſpecioſi, galea ampla ad margines piloſa.

Symbolizant hi flores virtute cum reliquorum Lamiorum floribus.

VERBASCULUM SALVIFOLIUM.

Sunt Verbaſculi Salvifolii Alpin. flores multi in longis thecis tenuibus ſimul ſtipati, aurei.

Flores hos aureos dicunt capillos tingere.

FLORES SALE FIXO CUM PAUCIS VOLATILIBUS CONSTANTES.

Ariſarum.
Bellis lutea.
Buphthalmum.
Caltha minima.
Cyanus arboreſcens.
Flos Adonis.
Geniſtella.
Geniſta Hiſpanica.
Geniſta Tinctoria.
Heliochryſos Tragi.
Heſperis.
Pneumonanthe.
Scabioſa arboreſcens.
Spartium,
Spina Solſtitialis.

ARISARUM.

Eſt Ariſari latifolii C. B. Pin. flos monachalis Cuculli ſive Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extrema parte fuſci coloris, qui deorſum radiatim tendit, in cæteris albus, caninum olens, piſtillum obtuſum incurvum & veluti ex Cucullo proſpiciens, continens.

Flores

Flores hi gaudent virtute vulneraria atque detergente, conducunt ad fiſtulas etiam oculorum & ulcera maligna.

BELLIS LUTEA.

Sunt Bellidis luteæ foliis ſubrotundis C. B. Pin. flores, extremis ramulorum hærentes, ſingulares, minores quam bellidis majoris, diſco foliisque diſcum coronantibus aureis.

BELLIS LUTEA, BELLIUM MAJUS, BOARIA, CHRYTHEUM SEGETUM, geele Gänßblumen/geel Rindsaug.
Ad Chryſanthemum pertinet. Eſt nempe Chryſanthemum latifolium. I. B. 3. 105. Chryſanthemum Myconi. Lugd, 873. Bellis lutea foliis ſubrotundis. C. B. Pin. 262.
Eſt æſtiva planta fruticoſa, guſtu nonnihil caloris indicans.
CALEN-

Decoctum florum potum poſt exitum e balneis morbo regio correptis brevi bonum colorem inducit.

BUPHTHALMUM.

Sunt Buphthalmi Tanaceti minoris foliis C. B. Pin. flores lutei radiati.

Flores in vino decocti ictero medentur, & menſes pellunt, lumbricos quoque enecant & expellunt. Iis utuntur mulieres ad linimenta ſua, quibus lectos illinunt, qua ratione croco parcunt.

CALTHA MINIMA.

Sunt Calthæ arvenſis C. B. P. floſculi exigui, lutei; ex calyce folioſo viridi prodeuntes.

CALENDULA SYLVESTRIS, CALENDULA MINOR ARVENSIS.

Caltha arvenſis. C. B. Pin. 276. Caltha minima. I. B. 3. 103. Calendula arvenſis. Tabern. Icon. 335.

Sponte naſcitur inter ſegetes Italiæ & Galloprovinciæ. Floret in hortis Junio.

Correſpondet viribus cum Calendula vulgari.

CYANUS ARBORESCENS.

Sunt Cyani arboreſcentis longifoliæ Alpini flores, cyani vulgaris floribus ſimiles fere, purpuraſcentes, ſaporis amari.

Ob amaritiem incidunt atque detergent & meatus ab infarctu liberant, reliquisque viribus, quibus folia gaudent, præditi ſunt.

FLOS ADONIS.

Sunt flores Adonidis vulgo, aliis Eranthemi I. B. in extremis ramulis Chamomæli coccinei, atro rubentes, pallidi vel lutei.

Flores

Ἐράνθεμον, Ἡράνθεμον, ἱεράνθεμον, FLOS SACER, OCULUS DÆMONIS, PHASIANI OCULUS. FLOS ADONIS quoniam fabulabantur Adonidis cruore genitam eſſe hanc plantam. ANTHEMIS, CHAMÆMELUM ERANTHEMUM, ADONIUM. Adonisröſslein/ Feldröſslein/ Marienröſslein/ Margrethenblümlein/ Klapperröſslein/ Ackerröſslein.

Eſt ſpecies Ranunculi.

Ranunculus arvenſis, foliis Chamæmeli flore phœniceo. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 7. g. 3. Ranunculus foliis Anthemidis, floribus rubicundis & ſplendentibus. Cæſalp. 546. Adonis. Matth 906. Adonis ſylveſtris flore phœniceo ejusque foliis longioribus. C. B. Pin. 178.

Ra-

Ranunculus arvenſis foliis Chamæmeli, flore minore atrorubente, Tourn. l. c. Adonis hortenſis flore minore atrorubente. C. B. Pin. 178. Flos Adonis vulgo, aliis Eranthemum. I. B. 3. 125. Eranthemum. Dod. Pempt. 260. Rothe Camillen / rothe Feldröſslin/ Corallenblümlein.

Ranunculus arvenſis foliis Chamæmeli, flore minore luteo. Tourn. l. c. Adonis hortenſis flore minore lutei coloris. C. B. Pin. 178. Adonium luteum. Tabern. Icon. 22. Feldröſslein mit gelben Blumen.

Floret Majo & Junio in arvis partim, partim in hortis.

Flores præſertim ejus, qui flore eſt phœniceo, in vino infuſos & potos ad dolores colicos & nephriticos leniendos utiles eſſe, experientia compertum ſcribit PARKINSONUS. Herba Nigellæ citrinæ ſimilis glabra & acris a TABERNÆMONTANO dicitur in balneo ſudatorio ad humores frigidos provocandos utilis eſſe. Commendatur quoque ad calculum. Juxta SCHWENCKFELDT ſemen quoque calculum frangit efficaciſſime.

GENISTELLA.

Sunt Geniſtellæ herbaceæ ſive Chamæſpartii JO. BAUHINI flores, in virgularum ſummitate lutei, parvi, hiantes ſpicam fere efficientes.

Hi

Χαμαισπάρτιον, CHAMÆSPARTIUM, HUMILE SPARTIUM, GENISTA INFIMA, GENISTA TERRESTRIS, GENISTA SAGITTALIS, GENISTA ANGULOSA, GENISTA HUMILIS. Erdpfrimmen klein Streichblumen/ Ackerpfrimmen/ SPARGELLE, PETIT SPARTIUM OU SPARTIUM BAS.

Geniſtella eſt plantæ genus a Geniſta diverſum, foliis quadam veluti articulatione ſibi invicem innaſcentibus,

Ge-

Geniſtella herbacea ſive Chamæſpartium. I. B. I. 393. Chamægeniſta ſagittalis. C. B. Pin. 395. Chamægeniſta ij. Cluſ. Hiſt. 104.

In Alſatia hinc inde reperitur, floret æſtate.

Hi flores puerorum crepundiis & luſibus inſerviunt. Virtute inſuper æque ac ſemen aperitiva & detergente gaudent. Cum geniſta correſpondent.

GENISTA HISPANICA.

Sunt Geniſtæ junceæ I. B. flores in virgultorum ſummitatibus multi, lutei aſpectu læto , floribus ſimiles piſorum & Cicercularum, guſtu dulces.

Flores hi cum aqua multa obolorum quinque pondere poti vomitiones faciunt, cum tamen Geniſtæ vulgaris flores plenis diſcis multi in acetariis ex multo oleo vorent nec quicquam nauſeent. Oleum e floribus extrinſecus illitum lienis tumores diſſolvit. Flores quoque cum melle roſato aut ovo ſtrumas reſolvunt.

GENISTA TINCTORIA.

Sunt Geniſtæ Tinctoriæ Germanicæ C. B. Pin. flores in thyrſis lutei papilionacei.

Florum

GENISTELLA INFECTORIA, CORNEOLA ſive CORONEOLA, GENISTA HUMILIS, FLOS TINCTORIUS, FERULA TRAGI, LYSIMACHION RUELLII. Ackerbrenn/ Ackerpfrimmen/ Farbblumen/ gål Farbblumen/ Heydenſchmuck/ Pfingſtblumen/ PETIT GENET, HERBE a JEAUNIR.

Characterem vide ſub Geniſta Juncea.

Geniſta

Geniſta Tinctoria Germanica. C. B. P. Tinctorius flos. I. B. I. 391. Geniſta Tinctoria. Dod. Pempt. 763.

In paſcuis nimis frequens eſt, ſiquidem vaccarum eam depaſcentium lac amarore inficit unde & butyrum & caſeus ex eo facta amareſcunt. In pratorum quoque marginibus & juxta ſylvas reperitur, floret Junio &c.

Florum uſus, juxta TRAGUM, in tingendis libris & aliis ut lineis veſtibus & laneis, quæ iis optime tinguntur colore luteo. Ad eundem etiam uſum inſervit herba. Glaſto ſi ſuperinducitur viridem efficit colorem. Solent enim pictores ex cœruleo & luteo ſimul contritis viridem efficere colorem.

Ut forma & temperamento Geniſtæ ſimilis eſt, ſic facultatibus haud dubie eidem reſpondet. Herba recens cum floribus decocta & pota, ad cruentas exſcreationes & cœliacos affectus utilis eſt. Contra etiam Viperarum morſus eodem modo commendatur.

HELIOCHRYSOS TRAGI.

Sunt Linariæ folioſo capitulo majoris C. B. Pin. flores, in vertice caulium conjunctim collati, & multiplices, forma & calore ad Amaranthum luteum accedentes, ſed majores & magis rubicantes, odore nullo commendabiles.

Flores hi ſiccati, in pulverem deinde redacti, ac pondere duarum drachmarum in vino poti, jejuno ſtomacho, frigidum capitis cohibent fluxum, qui alias catarrhus dicitur. Flores porro hi in balneis ſudatoriis & vaporationibus calculi, lumborum, matricis & coxendicum affectionibus medentur. Reſiccati arcis veſtiariis inſperſi, veſtes ab injuria tinearum aſſerunt.

HESPERIS.

Sunt Heſperidis hortenſis C. B. Pin. flores purpurei aut candidi, odoris non ingrati.

Virtute incidente, aperiente, antiſcorbutica & antiicterica gaudent.

℞. Flor. Heſperidis purpur. calend. ana pug. ij. Rad. Curcum. Aſphod Rhabarb. el ana ʒj. Croci Auſtr. ℈ß. Inſuantur ſacculo pro menſura j. Vini. ſumendo indies cyathum poſt ſumptum pulverem ex Bezoard. Mart. Ludov. ʒij. flor. Sal. armon. ʒß. 🝆 nuciſt. gr. vj. vel ex Bezoard. Mart. & Lumbr. terreſtr. ana. Celebratur in ictero.

PNEUMONANTHE.

Sunt Gentianæ anguſtifoliæ autumnalis majoris C. B Pin. flores duo aut plures, cærulei, quinquepartiti calathi forma, amaricantes.

Abſtergunt atque aperiunt. Ex Hydromelle pectus purgant, Hepatis & Lienis obſtructiones tollunt, Icterum ſolvunt & menſtrua movent, quales virtutes etiam foliis, quæ ſunt palmari nonnunquam altitudine, culmum lata, ſuperius atrovirentia, inferius dilutiora, tribuunt.

SCABIOSA ARBORESCENS.

Sunt Scabioſæ arboreæ Alpin flores ampli, carnei coloris albicantis, magnitudine & figura vulgaris Scabioſæ, odoris expertes, ſaporis amaricantis.

Facultate gaudent detergente & aperiente.

SPAR-

SPARTIUM.

Sunt Spartii Hiſpanici Cluſ. flores lutei aut candidi.

Spartium Frutex, Pseudospartium Hispanicum, ἄφυλλον.

Spartium eſt plantæ genus flore papilionaceo, cujus piſtillum, quod ſurgit a calyce, abit deinde in ſiliquam brevem, ſubrotundam, turgidulam, ſemine fœtam utplurimum reniformi.

Spartium alterum monoſpermon ſemine reni ſimili, C. B. Pin. 396. Spartium Hiſpanicum, lobis rotundiuſculis flore luteo. I. B. 1. 397. Spartium ij. Hiſpanicum. Clus. Hiſt. 103.

Utraque ſpecies provenit in regionibus calidioribus præſertim Hiſpania, locis ſabuloſis & ſterilibus, floret vere.

Scoly-

Flores hi, aut etiam ſummitates hujus plantæ, per ſuperiora & inferiora purgant, ſi in decocto uſurpentur.

SPINA SOLSTITIALIS.

Sunt Spinæ Solſtitialis Dod. capitula, Cyani capitulis æqualia, longis, rigidis, luteis Cardui ſtellati ſpinis e ſingularum ſquammarum mucrone natis infeſta, florum ſtamina lutea, quæ tandem in pappos evaneſcunt.

Quæ dicta fuere de radice, valent etiam de floribus.

FLORES AQUEIS CONSTANTES.

Cinara ſylveſtris.
Cyanus major.
Lilioaſphodelus.

Lilio Narciſſus
Pſeudoaſphodelus.

CINARA SYLVESTRIS.

Sunt Cinaræ ſylveſtris latifoliæ C. B. Pin. flores, Cinaræ hortenſis floribus ſimiles, purpurei.

Scolymus Sylvestris, Chamæleontha Monspeliensium, Carduus Sylvestris Coagulatorius, Agriocinara, Artichaut Sauvage, Chardonnerette.

Cinara ſylveſtris latifolia. C. B. Pin. 384. Carduus Scolymos, ſylveſtris. I. B 3. 51. Scolymos ſylveſtris Chamæleonta Monſpelienſium. Lob. Icon. 6.

Abundat multis in locis circa Monſpelium item in Italia, floret Junio.

Hujus Cinaræ delibratis caulibus teneriuſculis & capitulis nondum in flores erumpentibus victitare ruſticos Italos ait PENA. Ejus floribus lac denſant in caſeum; eosdem vulgo credunt contra fœminarum ſterilitatem valere, & gravidarum partus ad juſtum usque tempus continere.

CYANUS MAJOR.

Sunt Cyani montani latifolii, vel Verbaſculi Cyanoidis C. B. Pin. flores Cyani vulgaris æmuli, ſed longe majores, fimbriati & e cæruleo purpurantes, nonnunquam & albi, corniculis circiter uncialibus purpuraſcentibus.

Hu-

Cyanus Montanus vel Sylvaticus, Cyanus Sylve-

VESTRIS, VERBASCI SPECIES SYLVATICA, VERBASCULUM COERULEUM, CYANUS FLORE GRANDI. PILOSELLÆ GENUS, FLORE CYANI SIMILITUDINE MAJORE TAMEN, FOLIIS ECHII. Waldkorn-Blum / groſſe Korn-Blum.

Cyanus montanus latifolius vel Verbaſculum Cyanoides. C. B. Pin. 273. Cyanus Alpinus radice perpetua, I. B. 3, 23. Cyanus major. Dod. Pempt. 251.

In montibus hinc inde occurrit, floret æſtate.

Hujuſce plantæ vires, ut cum JOH. BAUHINO loquar, nullius antiquorum, quod MATTHIOLUS ſciverit, ſcriptis mandavit: non deſunt tamen recentiores, qui putent Cyanum propria dote peſtilentibus morbis adverſari. Datur pulvis ab alto devolutis & ſanguinem rejicientibus ex aqua plantaginis aut portulacæ aut majoris Symphyti aut Equiſeti, ſuccus illitus vulnera glutinat & oris ulcera ſanat, juxta SCHWENCKFELDT eadem poteſt, quæ Cyanus arvenſis.

LILIOASPHODELUS.

Sunt Lilii lutei Aſphodeli radice C. B Pin. flores, odore plane & forma Lilii, ſed colore penitus luteo.

Flo-

LILIOASPHODELUS a Lilio & Asphodelo, quaſi diceres plantam floribus Lilii Aſphodeli radice. ASPHODELUS LILIFLORUS, LILIO ASPHODELUS, ASPHODELUS LILIACEUS LUTEUS. LIS ASPHODELE.

Eſt plantæ genus flore liliaceo, monopetalo, inferius tubulato, ſuperius in ſex partes ſecto & ampliato, ex cujus fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere ovatum & trigonum, in tria loculamenta diviſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis. His notis addi poteſt radix Napiformis,

Lilio aſphodelus luteus. Park. Par. 148. Lilium luteum Aſphodeli radice. C. B. Pin. 80. Lilium Aſphodeli radice luteum ſive Lilio Aſphodelus quorumdam flore luteo. I. B. 2. 700.

In pratis uliginoſis Hungariæ ſponte naſcitur. Colitur in hortis, floret Majo & Junio.

Flores gaudent virtute emolliente, anodyna, reſolvente, detergente & aperitiva.

LILIO NARCISSUS.

Sunt Colchici lutei 1. majoris C. B. Pin. flores, Colchici florum forma, toti lutei.

Virtute gaudent, juxta LEMERY, emolliente, digerente & reſolvente.

PSEUDOASPHODELUS.

Sunt Pſeudoaſphodeli paluſtris Anglici C. B. Pin. flores, colore luteo pallentes, aſphodeli lutei æmuli, ſed minores.

PSEUDOASPHODELUS MAJOR, ASPHODELUS LANCASTRIÆ, ASPHODELUS LUTEUS PALUSTRIS. Geel Waſſer-Aſphodill.

Eſt ſpecies Phalangii juxta TOURNEFORTIUM, nempe

Phalangium Anglicum paluſtre Iridis folio. Tourn. I. R. H. cl. 9. ſ. 4. g. 1. Pſeudoaſphodelus paluſtris Anglicus. C. B. Pin. 29. Pſeudoaſphodelus luteus Acorifolius, paluſtris, Anglicus Lobelii. I. B. 2. 633. Pſeudoaſphodelus. 1. Cluſ. Hiſt. 198.

In Paluſtribus putridis & aquoſis, multis Angliæ in locis, copioſiſſime oritur & æſtate floret.

Xpu-

Floribus lixivio maceratis puellæ crinem flavum inficiunt.

unt. Philoſophicæ tranſactiones Anglicanæ aſphodelum hunc ad vulnera ſananda mire efficacem eſſe ajunt.

FLORES MUCAGINE CRASSA CONSTANTES.

Chyſanthemum.
Liliaſtrum.

CHRYSANTHEMUM.

Sunt Chryſanthemi foliis Matricariæ C. B. Pin. flores, e ſquarroſo ſquamatoque capitulo Bellidis majoris, colore aureo, umbone, e caveolis planam ſuperficiem effigiantibus, croceo.

Virtute

Χρυσάνθεμον a flore, TINCTORIUS FLOS, Goldwleſen-Blum.

Chryſanthemum eſt plantæ genus flore radiato, cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur embryonibus inſidentibus & calyce ſemiſphærico ac ſquamoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque angulata aut ſtriata, vel tenuia & acuta.

Chryſanthemum foliis matricariæ. C. B. Pin. 134. Chryſanthemum majus folio laciniato, flore croceo. I. B. 3. 104. Chryſanthemum Matthioli, Chalcitis. Tabern. Icon. 125.

Chryſanthemum Creticum, flore polypetalo, ſive flore pleno. H. Cath. Supp. 2. 18.

Chryſanthemum flore partim candido partim luteo. C. B. P. 134. Chryſanthemum Creticum mixtum. Eyſt.

Chryſanthemum flore pleno partim candido, partim luteo. Tourn. I. R. H. cl. 14. ſ. 3. g. 2.

Chryſanthemum colitur in hortis, floret æſtate.

HOLO-

Virtute gaudent hi flores detergente, aperitiva atque vulneraria.

LILIASTRUM.

Sunt Phalangii magno flore C. B. Pin. flores magni, duo tresve vel quatuor, parvis Liliis ſimiles, eodem etiam odore grati, albi, uncias duas fere longi.

Flores hi gaudent virtute emolliendi & reſolvendi.

FLORES TERREIS CONSTANTES.

Auricula muris pulchro flore albo.
Azedarach.
Phalangium.
Millefolium nobile Tragi.
Stoechas folio ſerrato.

AURICULA MURIS PULCHRO FLORE ALBO.

Sunt Caryophylli arvenſis hirſuti flore majore C. B. Pin. flores amœni, lactei, quinque petalis in medio aliquousque unica diviſura inciſis & ſtriatis compoſiti, quos foris ad baſin totidem hirſuta viridantia foliola ſuſtinent, in medio vero ſtamina & ſtilus colore luteo.

Flores

HOLOSTIUM CARYOPHYLLÆUM, weiß Negelingraß.
Eſt ſpecies Myoſotidis.
Eſt autem Myoſotis plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis

talis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum cornu bovilli æmulum, apice dehiſcentem, ſeminibusque fœtum exiguis, plerumque ſubrotundis, placentæ affixis.

Myoſotis arvenſis ſubhirſuta flore majore. Tourn. I. R. H. cl. 6. ſ. 2. g. 10. Caryophyllus arvenſis hirſutus flore majore. C. B. Pin. 210. Auricula muris pulchro flore albo. I. B. 3. 360. Holoſtium Caryophyllæum. Tabern. Icon. 233.

Ad Rhenum in montium ceſpitibus & colliculis provenit.

Achillea

Flores affectibus cordis medentur maximeque caduco morbo ſuccurrunt. Nonnulli conſervam parant, alii e floribus aquam deſtillant, quam infantibus epilepſia correptis propinant. Extrinſecus ad paralyſin & reſolutionem nervorum extollitur.

AZEDARACH.

Sunt flores Azedarach Dod. in ramuſculorum extremis ad exortum foliorum copioſi, racematim cohærentes, parvi, odorati, ſapore nullo.

Flores hi gaudent virtute exſiccante & aperitiva, imprimis cerebri obſtructiones aperire dicuntur. In uſum tamen non facile trahendi, ex ea ratione, quæ de fructibus hujus arboris allegatur.

PHALANGIUM.

Sunt Phalangii ramoſi & non ramoſi Dod. flores liliacei, emaculato candore Lilii conſpicui, aut etiam candidiores.

Flores hi, ſi cum vino bibantur, ictis Scorpione & Phalangio auxiliantur, diſſolvunt enim tormina, tenuium quippe ſunt partium & ſiccantis facultatis.

MILLEFOLIUM NOBILE TRAGI.

Sunt Millefolii nobilis Tragi folia millefolii vulgaris ſeu terreſtris, ſed latiora, breviora, multifida, colore non ita viridi prædita, ſapore amaro, odore valido aromatico.

Achillea Herba, Ἀχίλλειος, Μυριόμορφον, Achilleia, Achillea Sideritis, Achillea dicitur ab Achille Chironis diſcipulo, qui ea vulneribus medebatur. Myriomorphum, Militaris, Stratiotes, Millefolium Nobile. Edelgarb/ Feldgarb/ weyſſer Rheynfarn.

Millefolium nobile. Trag. 476. Tanacetum minus album odore Camphoræ ſive Achillæa Dioſcoridis. C. B. Pin. 132. Achillæa millefolia odorata. I. B. 3. 140.

In Italia & Germania, juxta Rhenum in ſuperiore Alſatia ſponte provenit. Colitur in hortis, floret Junio.

Coma hujus plantæ trita cruenta vulnera glutinat, & inflammationem arcet, ſanguinis eruptiones inhibet, & eas quæ ex utero fluunt appoſita in peſſo. Sed & decoctum ipſius paratur ad inſeſſus mulieribus fluxione laborantibus. Bibitur ad dyſenteriam. Viribus Sidertitis non diſſimilibus gaudet.

STOECHAS FOLIO SERRATO.

Sunt Stoechados folio ſerrato C. B. Pin. flores, ſeu potius ſpicæ longiores ad Lavendulæ minoris ſpicam prope accedentes, e multis veluti membranaceis ſquammis congeſtæ, cum eminentibus in ſummo latiuſculis foliolis e purpura cæruleis, ut in ſtœchade arabica, cum floribus ex ſingularum ſquamularum ſinu copioſis, purpureis.

Fa-

Stoechas Serrata, Stoechas Criſpo Folio.
a TOURNEFORTIO ad Lavandulam refertur. Eſt nempe Lavandula foliis crenatis. Tourn. I. R H. cl. 4. ſ. 3. g. 12. Stoechas folio ſerrato. C. B. Pin. 216. Stoechas ſerrato & criſpo folio. I. B. 3. 279. Stoechas criſpo folio. Clus. Hiſt. 345.
Floret Junio & Julio in hortis.

Facultates eædem huic inſunt, quæ Stœchadi Arabicæ.

CAPUT OCTAVUM
DE
SUCCIS RESINIS ET GUMMATIBUS.

RESINA SPISSIOR ET SOLIDIOR, ARIDIOR, SALE OLEOSO CONSTANS.

CEDRIA.

Eſt Reſina clara, tranſparens, albicans ex cedro extillans, in grana maſtichis inſtar indurata.

Gummi Cedri, Gomme de Cedre.
Ex arbore extillat ſponte ab inciſione durante æſtate.

Scam-

Digerit, reſolvit, glutinat, roborat, gangrænæ reſiſtit, luxationibus atque fracturis medetur.

Ab hac non multum diſcrepat RESINA CEDRIA, quæ ex

ex arbore extrahitur per inciſionem, & eſt reſina tranſparens flava friabilis & odora, digerit quoque emollit, deterget, conſolidat atque roborat.

SUCCI PURGANTES FORTIORES.

Scammoneum Monſpeliacum.
Tithymali arboreæ ſuccus.

SCAMMONEUM MONSPELIACUM.

Eſt ſuccus Scammoneæ Monſpeliacæ foliis rotundioribus C. B. Pin. lacteus, coctione vero coactus, niger & fuſcus.

SCAMMONIUM MONSPELIENSE dicitur ob virtutem cum Scammonio Syriaco correſpondentem quadantenus.

Eſt ſpecies Periplocæ, nempe

Periploca Monſpeliaca foliis rotundioribus. Tourn. I. R. H. cl. 1. ſ. 5. g. 3. Scamonia Monſpeliaca foliis rotundioribus. C. B. Pin. 294. Scammonia Monſpeliaca flore parvo. I. B. 2. 136. Apocynum iiij. latifolium, Scamonea Valentina. Clus. Hiſt. 126. Scammonia maritima Monſpeliaca. Richier. Onomaſt.

Monſpelii in maritimis occurrit florens Auguſto. Copioſiſſima quoque toto littore & ſabuleto abſque Rhodani oſtio ad aquas & ſinum Agathorſen. Item in Regni Valentini & Narbonenſis Galliæ maritimis florens Julio occurrit.

TITHY-

Tota planta multo ſucco gaudet lacteo, qui inſtar ſcammonei purgat, ſed majore doſi & minori effectu. Maſſilienſes, ut refert JOH BAUHINUS, cum ſucco iſtius herbæ & Colophonea adulterant ſcamoneum tam exacte, ut vix cognoſci queat.

TI-

TITHYMALUS ARBOREA.

Eſt Tithymali arboreæ Alpin. ſuccus lacteus, acris atque fervidus.

TITHYMALUS DENDROIDES, TITHYMALUS PETRÆUS. TITHYMALUS ARBOR MYRTIFOLIUS.

Tithymalus arboreus. Proſp. Alp. Exot. 60. Tithymalus Myrtifolius arboreus, C. B. Pin. 290. Tithymalus dendroides. I. B. 3. 675.

Non tantum in Creta ſed & aliis calidioribus regionibus provenit.

Uſus ſucci eſt ad purgandum, educit enim per ventrem ſemioboli menſura bilem pituitam atque ſeroſum humorem. Caute autem mercandum, cum ob ardorem facile inflammet ulceretque ut monet ALPINUS.

SUCCI TERREIS CONSTANTES.

Indicus color.
Torna ſolis.

INDICUS COLOR.

Sunt maſſulæ quædam non adeo ſolidæ aut ponderoſæ compagis, figuræ vel convexo planæ, primo intuitu violacei aut obſcure cærulei, quod ſi tamen unguis dorſo poliantur, æneii coloris, ex herba Indigo ſeu Anil paratæ & ex India Orientali ad nos translatæ, ſaporis quodammodo linguam ferientis, odoris expertes.

Tincto-

INDICO, INDICUM, Indigo/Endich/Corroſivfarb/INDE, INDIGO.

Antiqui ſcriptores Materiæ Medicæ de ejus natura & qualitatibus falſa mere literarum monumentis conſignarunt. PLINIUS ex vini fœce ſiccata & cocta fieri ſuſpicatur, cui ſubſcribit VITRUVIUS. DIOSCORIDES duo dicit eſſe genera, alterum ſponte ſua naſci in India perhibet, in arundinibus ſpumæ ad inſtar erumpens, alteram ſpeciem in purpurariis officinis colligi ſpumæ ſub forma in æreis catinis natans, cui ſubſcribit ISIDORUS. Alii pro lapide habent & cum Armeno confundunt, opinioni favet FALLOPIUS. Sed melius de ipſo hodie edocti ſumus ab illis, qui longis itineribus natalia ejus loca ipſi viſitarunt, præparationemque ipſius oculis uſurparunt propriis, ut eſt TAVERNIER, BALDÆUS, JÆGERUS aliique, qui referunt ex planta Indigo dicta parari colorem hunc. ANIL HERBAM EX QUA INDIGO conficitur, nec glaſti ſpeciem eſſe, nec glaſto affinem ex ejus figura a ROCHEFORTIO in INSUL. ANTHYLL. HIST. delineata colligere eſt, ſed potius eſſe plantam leguminoſam papilionaceam, prout apte eam HERMANNUS vocat. COLUTEAM INDICAM HERBACEAM COACHARI PISONI dictam: De herbæ autem hujus dictæ ſatione, cultu & extractione coloris Indigo dicti circa Trinſiam in Oriente ita JÆGER in MISCELLAN. NAT. CUR. diſſerit. Indigo dictæ ferax ſolum nec nimis pingue, nec humidum eſſe debet, alias enim vel nimis herba luxuriat, ſuccumque dat aquoſum vel ſuffocatur, unde in editioribus locis ſiti eliguntur agri, quos neque ros nimium irrigare poſſit. Eliguntur agri, ubi pinguiori ſolo duæ arenæ partes tertiæ ſunt admiſtæ: quanquam etiam in mero ſabulo prope Devenapatnam non tamen adeo ubertim proveniat. Agri illi ingruentibus pluviis circa Septembrem ſemel aut bis ſoleantur, & ita præparati quieſcunt ad Decembrem usq; tunc iterum ſulcatis nubilo cœlo injicitur ſemen & occa æquantur. Liberata ſuo tempore a Zizaniis herba, circa Februarii menſem flores cum ſemine fert: cumque folia inferiora luteo tincta colore flacceſcunt, demetunt eam, truncorum ramulos ad palmæ longitudinem relinquendo, ſic regerminat eadem commoda humecta pluvia, ut elapſo trimeſtri rurſus ſit opportuna, qua, uti prima vice, peracta tertia meſſis expectatur. Sed tunc & ſemen colligitur & ſiccatur, ut illo, ſuo tempore agri conſeri poſſint. Herbæ ſarmenta ad ulteriorem regerminationem inepta comburuntur, ut cineribus iſtis agri ſtercorentur. Cœlo ſereno meſſis fit, ſolique per quartam diei partem usque ad quartam

po-

pomeridianam, ut herba penitus ſiccеſcat, exponitur: deinde bacillis tamdiu trituratur, donec a petiolis decidant folia, quæ in locum, venti injurias arcentem, reponuntur tamdiu, donec cœli ſerenitas permittat, ut a Sole de novo poſſint ſiccari, baculisque concuſſa fere lacerari: Folia ita diſcusſa recipit area undique clauſa, ubi ſtramine & ſtragulis tecta 20. vel 30. diebus aſſervantur. Induntur deinde ollis & vel ſalſa vel dulcis aqua (perinde enim eſt) affunditur, itaque a decima antemeridiana, ad ſecundam pomeridianam æſtui Solis exponuntur, & tum folia incipiunt turgere & ſpuma purpuraſcentis exſurgit coloris. Tinctura illa per linteum mundum tranſcolatur, foliisque prius manibus fortiter expreſſis, alia ſuperfunditur aqua, id tamdiu continuant, donec aqua viridi non amplius tingatur colore. Has tincturas iteratis truſionibus, ut noſtrates butyrum parant, exagitant donec purpuraſcens ſpuma prius in almum, deinde in cæruleum mutetut colorem, aqua vero tenuis fiat atra. Et ſic requieſcerē bihorio ſinunt: quo elapſo bis vel ter rudicula agitant, & vaſe linteo tecto tamdiu ab opere quieſcunt, donec craſſamentum, quod verum Indigo eſt, ad fundum ſubſideat, die ſequenti, circa horam octavam matutinam a ſedimento aquam ſubrufi coloris ſegregant Defertur hoc ſedimentum manibus bis vel ter ſubactum ad ſtratum ex arena, in medio parum declivius, linteoque humido paratum, quod jam per bihorium calidiſſimis radiis ſolaribus fuit expoſitum, illudque placide in hoc linteum effundunt & ſic tranſeunte liquido, id quod craſſius remanet, & in ſuperficie cuticulam purpuraſcentis accipit coloris, per bihorium coagulationi datur, donec rimas agat. Extrema deinde lintei jungunt, ut duplo craſſior illa fiat puls. Illam manibus frangunt, ollæ indunt manibus madefactis bene depſunt, placentulas formant, quos demum penitus exſiccatos, tanquam genuinum colorem Indico dictum, ad pannos cæruleo colore inficiendos & varios pictorum uſus, hinc inde divendunt. Notæ bonitatis ſequentes a BARLÆO adducuntur. Judicatur ipſa ex colore ex albo cœruleo, lichte blaulechte Farbe / & hæc ſpecies incolis vocatur VANTHUS. Secunda ſpecies GERRY vocatur, levis eſt, coloremque obſcurius violaceum ſiſtit. Tertia CATTEEL audit, ſumme eſt compacta, ut manibus frangi vix poſſit, obſcure & ex atro cœruleſcit. Porro ſigna bonitatis igne & aqua addiſcuntur; igne dum fruſtum comburitur utpote cujus ope ex cineribus albicantibus nullaque

que arena mixtis habetur κρητήριον, ſimulque ex fumo cœruleo. Aqua habetur, ſi fundum non petat fruſtum immiſſum, etiamſi quadragies aut quinquagies ſubmergatur. Variis in Indiæ locis conficitur, circa Gaſſuratam, Bianan Indovam, Corſam. Antequam ad nos effertur, ſtudioſe cribri ope repurgatur a pulvere adhæreſcente, tumque facies & reſpiratoria organa arcte linteaminibus ſunt tegenda ne pulvis noceat, imo & potu lactis imminens damnum avertendum eſt. Tanta nimirum gaudet pulvis iſte volatilitate, ut etiam putamina ovi penetret, cæruleoque colore albumen pingat, ſi iſto tempore, quando per cribrum transjicitur, operatorum a latere ponantur, ut dicit Tavernier.

TORNA

Tinctoribus ac pictoribus inſervit, in Medicina non adhibetur ut docet LANGIUS. Alius tamen ſententiæ eſt RAJUS, qui præterquam, quod aſſerat Plantam Anil eſſe arbuſculam recenſet, quod MARTINUS LISTER in Ictericis affectibus pilulas ex Indigo ad drachmam quotidie ſumendas aliquoties præſcripſerit, quæ id effecerunt, ut ægri copioſius urinam redderent. Et revera veriſimile videtur Indicum non minus quam Crocum huic morbo profligando idoneum eſſe, cum partium tenuium ſit & facile penetret, quemadmodum alia tingendo apta. MURALTUS in EPHEM. NAT. CUR. docet colorem vulgo dictum Indigo fluxiones mire ſiſtere; nam valde adſtringit, ut lochiis nimium fluentibus, & alvi, uterique procidentiæ decantatum remedium præbeat.

TORNA SOLIS.

Sunt glebæ cubicæ ſiccæ compoſitæ, cum fructu Heliotropii tricocci, terra quadam ſicca calce atque urina, in

for-

formam panum parvorum cubicorum, redactæ atque exſiccatæ, coloris cærulei.

TORNA SOLIS dicitur, quoniam cum ſucco plantæ, cujus florem verſus ſolem ſe vertere perhibent, paratur. TOURNESOL EN PASTE, OU EN PAIN, OU EN PIERRE, dicitur etiam ORSEILLE, Germanice, Lackmuß/ Turniß.

Planta ſuccum, qui, principale hujus maſſæ ingrediens conſtituit, ſuppeditans eſt Heliotropium tricoccum, quod ad peculiare genus ſub nomine Ricinoidis refert TOURNEFORTIUS.

Ricinoides eſt plantæ genus, flore roſaceo, ex plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, calyci multifolio inſidentibus ſed ſterili. Embryo enim in aliis plantæ partibus naſcitur, calyce obvolutus, abitque deinde in fructum in tres capſulas fiſſilem, ſemine fœtas oblongo.

Ricinoides ex qua paratur Tourneſol Gallorum. Tourn. I. R. H. App. 555. Heliotropium tricoccum. C. B. Pin. 253. Heliotropium parvum Dioſcoridis, Heliotropium minus Cluſii ſive tricoccon Plinii. Lob. Icon. 261.

Creſcit in Gallia atque Italia.

Paratur autem Torna Solis tum in Hollandia tum etiam in Gallia, præfertur tamen prior.

Colorem ſuppeditat cœruleum, qui tamen facile mutatur in rubrum addito acido. Inſervit ad tingendum condimentariis, pictoribus &c. Nefas eſt tingere hoc pigmento Syrupum Violarum.

Cum ſucco hujus Heliotropii tricocci tinguntur quoque linteamina. Siliquæ nempe Heliotropii tricocci intra lintea compreſſæ primo illa viridi tingunt colore, mox tamen ad aërem cœruleſcentem, ſub qua facie multo tempore aſſervari poſſunt. Quod ſi vero tibi cærulea hæc lintea in rubra mutare placuerit, ſolo id obtinebis acido admixto. Quæ-

dam lintea alias coloribus rubris tinguntur, nunc ligno Braſiliano de Fernamboc, cujus decocto Lapathum, calcem & urinam admiſcent linteaque ſic tingunt. Alia Cochenilla tinguntur: alia radice Anchuſæ, alia granis Chermes: alia fructibus Urucu. Sunt qui hæc lintea ſucco baccarum Spinæ Cervinæ tingi autumant, alii ex violis Martiis parari putant. Vocantur ejusmodi ſubtiles panni linei tinctura rubicundiſſima ac eleganti imprægnati, quæ tinctura ab aqua facile, ægre a Vino & Spiritu Vini extrahi ſe patitur, Torna Solis, Pezette, Bezetta, rothe Lümplein/ Schminck-Läplein. Inſerviunt enim vel juvenculis faciei pallore laborantibus vel exoletis fœminis, quæ colorem fuco mentientes procis ſe commendare geſtiunt. Suadent autem ne adhibeantur, quæ ex Cochenilla fiunt lintea colorata, nam huic colori dicunt aliquid ineſſe cum Cantharidibus conveniens. Expetuntur porro a coquis & oenoplis. Coqui intinctus & ſecundæ menſæ bellaria, in ſpecie galredas rubente colore inficiunt. Tragematopolæ ſaccharata his colorant & Oenopolæ vinum ipſis tingunt. De his autem laciniis veſtium linearum vetuſtarum ita in QUADRIPARTITO BOTANICO diſſerit SIMON PAULI. Sed quam fœta ac ſpurca colorata hæc lintea ex Galliis & Heſperia usque Germaniam & alias regiones transportantur, ac in iis venumdantur, exuviis myriadum lendium & totidem pediculorum, hinc inde plerumque obſita & referta, quæ pudendo facinore tamen nullo habito delectu quandoque Magiri magnatum ac oenopolæ in culinas & cellas vinarias inferunt, ut juſcula conſummata vel etiam vinum per ea percolent, eaque hac arte colorent. Dantur tamen & alia munda linteamina.

PARS

PARS SECVNDA

CONTINENS REGNVM ANIMALE.

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI OLEOSO CUM MULTIS TERREIS CONSTANTES.

Ægagropila.
Cholelithus.
CornuaScarabæi cornuti
Fel Caprei.
Fel Milvi.
Fimus Columbinus.
Hippomanes.
Hippolithus.
Lapis Chelidonius.
Muſcerda.
Nidus Hirundinum.
Oſſa Pici.
Operculum Cochleæ.
Lapis Porcinus vulgo Pedra del Porco.
Pennæ Perdicum.
Pennæ Attagenis.
Scarabæus ſtercorum.
Stercus Ciconiæ.
Stercus Cornicis.
Stercus Cuculi.
Stercus Falconis.
Stercus Gliris.
Stercus Luteolæ.
Stercus Merulæ.
Stercus Pavonis.
Stercus Sturni.
Stercus Turdi.
Stercus Anſeris feri.
Ungues Accipitris.
Uugues Lyncis.
Ungula Muli.

ÆGAGROPILA.

Sunt, juxta VELSCHIUM in diſſertatione de iisdem, pilæ Rupicaprarum ſeu Damarum oblonga frequentius & rarius rotunda figura donatæ, pondere etiam cum maximæ habentur leviſſimo, ex triplici ſubſtantia compoſitæ, quarum interior gemina, aut fibras radicum aut filamenta & plantarum cauliculos ſucco concreto & exſiccatione in pulverem ſubtilem faceſſente, compacta refert, exterior coriaceam cutim, interdum tamen lignoſum corticem quendam, rariſſime cruſtam lapideam æmulatur, coloris utplurimum aut cinericii aut nigri, aut etiam ex luteo obſcuri & magnitudinis variæ, quæ manum in pugnum contractam, vix unquam excedat, in primo aut ſecundo ventriculo horum animalium reperiundæ.

CARO

Offert ſe hic occaſio ſermonem faciendi de Damis.

DAMA vocatur etiam RUPICAPRA, quoniam in rúpibus degit, CAPRA ALPINA, a loco ubi verſatur, αἲξ ἄγριος, αἴγαγρος, Gemß/ Gamß/ DAIM, CHAMOIS, YSARD.

Eſt animal quadrupes Capræ domeſticæ figura fere ſimilis, magnitudine fere æqualis, ſed paulo altior, & corporis forma feris altis ſimilior, color eis inter fuſcum & ruffum eſt, qui tamen æſtate magis ad ruffum vergit. SCALIGER æſtate pilo fulvo, hyeme cinereo eſſe dixit. GESNERUS partim albam partim nigram diſtinctis coloribus vidit, ſed & albæ totæ quamvis rariſſime conſpiciuntur. Oculos dicitur habere rubros, aures arietinis longiores, colore gilvo, atramque lineam utrimque recta a cornuum radice ſupra oculos ad extremum os ductam & in labra ſuperiora deſinentem. Frontem veluti ſtella inſignit. Caudæ ſuperior pars piloſa, nigra & rotunda. Cornua ei nigricant novem aut decem digitos longa, multis nodoſis circulis exaſperata, minoribus paulatim in unco nullis quin levis & acutus eſt hami inſtar. Poſt cornua duo adſunt foraminula patentia,

quibus

quibus aërem haurire aſſerunt, adeo ut huic animali duplicia ſint organa pneumonica. Rem mereri, ut diligentius adhuc inveſtigetur, nullum dubium. Ajunt quoque Rupicapras cornuum mucronibus, qui ſatis acuti ſunt, tergum ſcabere. Creditum eſt tanta illas illo in pruritu perfundi voluptate ut extremum cornu faſtigium in corium eo usque adigatur, unde retrahi nequeat. Quo circo ex altiſſimis ruere locis atque affligari aut a venatoribus forte deprehenſas, proculve obſervatas capi aut fame interire perhibent; fides relinquitur penes authores. Non inanis autem cornuum, uti quidam autumant, vel levis eſt uſus, cum iis contra nitantur, utpote injuriam iis propellere aſſuetæ. Extra omnem quoque controverſiæ aleam poſitum non videtur, quod GESNERUS negat contra ALBERTUM & ISIDORUM qui cornibus de rupe ſe quaſi ſuſpendere ajunt, cum ad iſtud cornua apta habeant unde & MARTIALIS canit.

Pendentem ſumma capream de Rupe videbis,
Caſuram ſperes, decipit illa canes.

ADAMUS autem LEBWALD, qui Damographiam germanico idiomate edidit, teſtatur Venatorem quendam Damarum, ſenem, ſibi aſſeruiſſe ſe hoc nunquam vel a Junioribus vel a Senioribus Rupicapris obſervaſſe.

Rupes montium incolunt, non ſummas tamen, in quibus tempore æſtivo hinc inde diſſiliunt, ſed medias Alpes ſub prætuptis rupibus, ut a Lexnis nivalibus cuſtodiantur. Nutriuntur herbis ſub ipſa nive virentibus, radicibus variis partim etiam foliis abiegnis. Vivunt gregatim, victum amice partiuntur. Ut autem ea tutius paſci poſſint, Cuſtodem conſtituunt, quem Venatores das Vorthier oder Vorgeiß appellant. Hic cuſtos ſtat loco altiori & arrectis auribus quaquaverſum circumſpicit, & quamprimum aliquid vel perſpicit vel percipit, ſtatim voce ſua reliquas capras paſcentes ad fugam admonet. Conveniunt ſæpe circa petras quasdam arenoſas, & inde arenam, ut Capræ ſal, lingunt, quo linguæ inertem pituitam defricent & appetitum exciteat. Merentur hic allegari, quæ de his locis arenoſis ſcribit SCHEUCHZERUS in HISTORIA NATURALI HELVETIÆ Von den Gembs Leckinen oder Sultzen. Verba Germanica ita ſe habent.

Die Gemſe ſamlen ſich gemeiniglich bey etlichen ſandächten Felßen/ läckend das Sand/ reiben ihre Zunge und Rachen damit / machen ihnen ſelbſt alſo Begierd zu eſſen/ als ob es Saltz wäre / werden aus der Urſach von den Jägern und Einwohnern der Landen Sultzen genamſet/ bey ſolchen Sultzen hinterhalten und verbergen ſich die Jäger mit ihren Büchſen und Geſchütz/ ſo dann die Gemſen nach gewohnheit herzu traben/ſchießen ſie es unbewahrter Sach zu tod: Deme iſt alſo wie Geßner ſchreibt. Hin und wieder auf den hohen Alpen/ finden ſich dergleichen ſandichte Felßen/ die alſo von denen Gembs-Zungen außgeſchaben ſind/ daß man gewaltige Schrammen/ oder Hölinnen darinn ſichet. Die Pündtner heiſſen ſolchen Ort Gläck / andere nennen ſie Sultzen/ Sultzläckinen/ Läckinen. Dieſe Felſen ſeynd nicht/ wie einige wollen/ oder ſehr ſelten ſaltzicht/ ſondern nur ſandicht und urtheilet Geßner gantz wohl daß dergleichen Sultzen den Gembſen dienen zu Vermehrung der Eſſens-Luſt / oder auch zu Ablöſung des Schleims/ der ihnen möchte am Gaumen kleben/ ich ſage noch über diß zu Beförderung/der Dauung. Bekannt iſt wie die Vögel allerhand Sand und Kieſelſteinlein in ſich ſchlucken/ zu keinem anderen End / als damit die harten Säm und Körnlein dardurch zwiſchen ihrem ſtarcken Magen/ als zwiſchen Müllenſteinen zermalmet deſto eher und beſſer in einen Nehrſafft gekocht werden. Nun iſt bekandt daß die wiederkäuende Thier/ unter welchen auch die Gämſe/ keine Zähn haben in dem oberen Mund/ folglich die eingenommene / meiſtens trockene/ lange und zähe Speißen nicht wohl können zerſchneiden / weßwegen damit gleichwohl aus ihnen ein guter Nahrungs-Safft bereitet werde/ dergleichen Thier von dem Schöpffer begabet worden / mit einem überaus künſtlichen vierfachen Magen/ aber auch mit einer eingepflantzten Luſt vom Saltz oder Sand einzuſchlucken/ und alſo den Mangel der Koch-Inſtrumenten damit zu erſetzen. Wie wir dann ſehen/ daß die Kühe/ Geißen und alles übrige Hornvieh von allen vorkommenden ſonderlich Salpetriſchen Mauren mit groſſer Begierd ſchaben und das abgeleckte einſchlucken. Dieſes Vortheils müſſen ſich die Gämbſe bedienen um ſo viel mehr/ weilen ihnen niemand Saltz vorſtrecket/ und ſie ſich ſonderlich zu Winterszeit an ſtatt der Speiſe bedienen truckener zäher / Kräuter und Wurtzen.

Menſe

Menſe Septembri Venere per integrum fere menſem exæſtuant & eo tempore mares cum fœmellis gregatim vivunt, alias mares cum mare aut fœmellæ cum fœmellis aut cum hoedis degunt & paſcuntur. Utero gerunt per novem menſes & utplurimum pariunt menſe Junio. Inter caſta recenſentur animalia & quilibet mas ſuæ fœmellæ cohabitat,

Cum in venatione urgentur, altius ſemper aſcendunt, donec nullus ad eas canibus pateat acceſſus, deinde cum venatores per Saxa manibus pedibusque ſequi vident, de ſaxo in ſaxum tranſiliunt ac montium cacumina petunt, donec nulla ſcandendi reliqua ſit facultas. Illic ſe cornibus retinent & quaſi ſuſpendunt, ſic vel bombardis feriuntur, vel in præceps pelluntur vel fame pereunt. Quam periculoſa autem horum Animalium ſit venatio, vel Maximilianus primus imperator ſuo docuit exemplo. Sæpe vel per præcipitia delabitur, & aſcendit ad ſumma, ut lapſu graviore ruat, vel etiam ab ipſis his animalibus in præceps agitur. Bene obſervare debet venator ut ventum habeat adverſum. Porro inſidias ſtruat ad arenoſas petras ; aut ad montes glaciales animalia adigat, ubi petranſire nequeunt. Juniores capiuntur manibus, & cicures redduntur.

Damæ non tantum ſuæ nutritioni per totum annum proſpiciunt ſed etiam hœdorum, quos ad præcipitia & altas rupes non deducunt, donec bene ſcandant. A Vulturibus quoque eos cuſtodiunt quippe quæ aves rapaces, vel unguibus arripiunt aut auferunt illos, vel alis fortioribus ita percutiunt, ut præcipites in mortem agantur.

Mox a die Jacobi frigidiores montium clivos petunt, ut paulatim frigori aſſueſcant,

Ubi errabundæ quærunt novas ſedes aut paſcua perſpecta proxima rupe, projecto pede ſæpe periclitantur ejus fidem, nempe mobilis ne ſit an lubrica.

Repe-

CARO Damarum comeditur inſtar alterius carnis ferinæ, ſiccioris eſt naturæ & melancholici humoris parens, odoris ſylvatici. Dicitur quod adverſetur febribus.

Venatores ex recenti mactato SANGUINEM ſcaturientem tanquam inſigne vertiginis remedium ſorbent.

JECUR

JECUR ſiccatum & pulveriſatum ad aliquot drachmas aſſumptum laudatur ad alvi fluxus etiam ſanguineos.

PINGUEDO DAMARUM ad ulcera pulmonum, atque Phthiſin commendatur præſertim ſi cum lacte aſſumatur.

FEL curat ſuffuſiones atque hebetudines oculorum.

CORNUA laudantur adverſus epilepſiam atque dyſenteriam, venenis reſiſtunt inſtar Cornuum Cervinorum. Raſura ad hæmorrhagias utilis.

STERCUS harum caprarum ictero medetur, calculum pellit, podagræ dolores mulcet & alopeciæ conducit.

MEDULLA in oſſibus emollit & roborat induratos nervos & tendines. Laudatur in clyſteribus injecta.

PELLES præparantur ad varia veſtimentorum genera, dicuntur præſervare a peſte.

ÆGAGROPILA, ÆGAGROPILUS Ἀιγαγρόπιλος BEZOAR GERMANICUM, Gemſen-Kuglen / BEZOAR D'ALLEMAGNE.

Juxta

Reperiuntur hæ pilæ in primo tantum aut ſecundo Ventriculo rariſſime in aliis, cum enim ſint animalia ruminantia, ipſis quoque ventriculi exiſtunt quaterni. Fuerunt, qui ex ſolius Doronici radice, quæ propterea Gembſen-Wurtzel vocatur, conflatas eſſe autumant, aſt VELSCHIUS oſtendit Doronici ſolius ramenta non conficere, ſed eas conſtare ex nobiliſſarum plantarum earumque variarum in Alpibus creſcentium herbis atque radicibus earumdemque præprimis filamentis. Modum generationis HARDERUS in DISSERTATIONE de RUPICAPRARUM INTERANEIS & ÆGAGROPILIS ad VOLKAMMERUM exarata ſequentem tradit. Ægagropilas per coagulationem progigni ſtatuit VELSCHIUS dum ait: Quanquam vero Ægagropilas fibrarum & ſucci plantarum nondum perfecte reſoluti coagmenta verius ſtatuerimus haud parum tamen & aphronitri Alpini & ſalis petroſi metallici ac arenarii linctum ad

coagu-

coagulationem acidi ſpirituoſi fermenti in ventriculo facere monebamus, quæ ſententia, ubi acidi ſpirituoſi exiſtentia (quam ab adverſariorum injuriis ſalvam facere prudenter ſtuduit Velschius) & perverſio ejusdem vel defectus, ſubſtiterint plauſibilis ſatis eſt; mihi vero, qui fermentum ſpirituoſum ſubacidum pro ciborum diſſolutione graviter ex aliorum meaque tum hypotheſi adſtruxi, etiam citra hujus incommoda, ipſarum ortus ſi non evidenter demonſtrari ſaltem adumbrari poſſe videtur: videlicet ſi dicamus, Ægagropilas illis potiſſimum in ventriculis generari, in quibus fibrillæ ſeu fragmenta plantarum minutiſſima facile hærent, & hinc temporis tractu, accedentibus aliis, ſibi invicem magis magisque implicantur, ac fibrarum matricium ope, quæ in ruminantibus ſuas partes egregie ſaltant, tandem in corpus rotundum, nunc ovale magis, nunc oblongum excreſcunt, quod ſingulari naturæ providentia ipſius animantis bono ita compingitur, ne detrimentum gravius ventriculi parietes inde accipiant, muco inſuper viſcido (cui partes ſalinas ineſſe non negarim) oblinitur, corticem dehinc conſtituente. Sententiam iſtam veriſimilem ſi reddere nequeat, bulithi, ex pilis deglutitis, nec tamen ita facile coagulabilibus, generatio, confirmabunt, ut ſpero, tum loculi ventriculorum in quibus reperiri conſueverunt, 1. videl. & 2. & interdum tertii idoneam, ſtructuræ peculiaris ratione denticulatæ & ſerratæ ſedem ſubminiſtrantes, acidique fontes hactenus ſaltem minus decantati, tum quod grana quæpiam ſalis ſplendentis aut coagulati in omnibus non conſpiciuntur. Sique deprehendantur, magis de aphronitri ab acido quam fibrarum coagmentatarum coagulatione teſtentur: reapſe enim acidum Ventriculi Rupicapræ peccans (ex hypotheſi loquor) cum aphronitro coagulatum, pilæ coagulum producere amplius non cenſendum, licet particulæ quædam coagulatæ, iisdem coagmentati involucris impactæ quandoque inveniantur, ut taceam, nondum extra controverſiæ aleam poſitum eſſe, nonniſi in ſtatu morboſo illas ſcaturire, ventriculi fermento, (quod hujuſcemodi aciditate imprægnatum graviora adhuc produceret ſymptomata) a ſtatu naturali multum recedente, ſiquidem vegetas & robuſtas, quibus ne gry quidem, ex interaneorum ſaltem luſtratione, deeſſe dici poſſet, pilas ejusmodi progeneraſſe conſtet, generatæ autem præternaturales fiunt, diſpoſitionemque morboſam præſertim, ubi majus incrementum ſumſerint, tandem inducere poſſunt,

cui naturam cum levitate, qua corpus iſtud pollet, tum artificioſo illius compigmento & munimine, obviam ire tantiſper ego ſane arbitror: accedit huc, quod ſuppoſita nuda coagulatione ægagropili mobiles forent (qui autem non ſunt) & generationis primodia adepti a natura eliminari poſſent ac deberent, ni inertiæ illam accuſare velimus, quæ corpuſculum fluctuans animantis detrimento non modo non ejiciat, ſed ulteriorem alimoniam ipſi inſuper ſuppeditet; eventu proin & autopſia contrarium teſtante. Satius erit dicere fibrillas iſtas ſolutas in unius alteriusve ventriculi loculo implicari ac implicitas hærere & quaſi agglutinari, quam agglutinationem faciliorem reddi aphronitri aut ſalis petroſi lincti copia, in aliis magis, in aliis minus, ſi quis ſtatuere volet, cum usquequaque ἄτοπον non ſit, per me liberum eſto; mihi iſta delibaſſe ſufficiet, dum cum Deo & otio meliora ac evidentiora edocear. In quarto ventriculo Ægagropilos conſpectos fuiſſe VELSCHIUS commemorat, ex aliorum magis fide quam propria autopſia, unde & infrequentes inibi eosdem pronunciat: ego aliorum teſtimonia irrita non faciam, quin potius decenter veneror, avem tamen hanc raram illic loci videre geſtirem; mirum enim utcunque, ubi plantarum prima reſolutio ardua & laborioſa peragitur, fibrillas non hæſiſſe ſed eo delatas eſſe, ubi ſucci expreſſi forte ulterior fit agitatio & elaboratio, adque partes inteſtinales immediata transmiſſio. De fermento quoque ſpirituoſo ventriculi, quod nonnulli penitus exulare faciunt, quibus glandularum liquor ſpiritui animali pro vehiculo (quo tamen non eget) tantum eſt, quædam adjungere poſſem, non tamen defenſurus aciditatem, quam ipſi ineſſe plures perperam arbitrantur, quam liquorem glandularum ſtomachicarum a meris ſpiritus nitroſi ſervitiis vindicaturus.

Ægagropilæ non in omnibus Rupicapris reperiri certum eſt, quod tamen ſi quid naturale eſſet, accidere neceſſe foret, hinc ipſam Ægagropilarum generationem reſpectu animalium aliquid præter naturam eſſe negari non poterit, quod ſi non morbum arguat, ſaltem nec multum a morbo abludat. Sunt qui putant pilas has eſſe herbaceas, quæ temporis tractu coctione abſumantur, neque haberi poſſe, niſi feræ, antequam pilæ penitus a ventriculo confectæ in nutrimentum ceſſerint, capiantur; quod tamen minus vero conſonum videtur, quovis enim anni tempore pilas reperiri notiſſimum eſt, quod tamen fieri non poſſet, ſi auctumno tantum concreſcerent, per hiemen de-

ſectu pabuli abſumendæ. Teſtante SCHEUCHZERO Damæ in Valle Maroz in Rhætia, quæ montium loca ſeptentrionalia occupant, vix non omnes pilas habent, carent autem iis, quæ loca meridionalia, a Sole minus illuſtrata incolunt. In Rheinvaldenſibus Alpibus Damæ in uno latere Septentrionem verſus degentes nullas habent, in oppoſito vero meridiem ſpectante habitantes omnes pilis dotatæ ſunt, etiam hœdi.

Vana videtur Venatorum quorumdam opinio illos Ægagropilos præſtantiores judicantium, quos Rupicapræ menſtruo fere ſpatio intra diem 15. Auguſt, & 8. Septembr. circumſcripto, quam alio tempore captæ, ſuppeditant.

Quod Damæ in ſe habeant pilas ex ſequentibus indiciis dijudicant. 1. Quod ejusmodi Rupicapra multo ſit alacrior atque agilior, quod bis clamet, quod in lateribus pilos habeat albicantes, quod cornua habeat minus aſpera, & quod cornua in extremitatibus albeſcant.

Sunt, qui ad decipiendos emptores ex plantarum quarundam ſtaminibus fibrisque radicum tenuioribus inducta etiam Chylismate earundem cute nigricante pilas effingunt tam ſimiles nativis, ut niſi quis in illarum dignotione exercitatior animum prope adverterit, haud magno negotio ſibi imponi ſerius poſtea ſit intellecturus. Ipſo quidem, ut VELSCHIUS loquitur, ſeu convolutionis ratione, odore, figura & exterioris corticis aberratione dolus accuratius expendenti prodi poteſt: certius tamen genuinis venantium teſtimonio accedet, quod adſcriptis menſibus ac diebus anni, quibus animalia capta pilæque exemptæ fuerunt, additur.

Peſſima quorumdam venatorum juxta VELSCHIUM, eſt conſuetudo, quod Ægagropilos recens ex animalium ventriculis extractos fortiſſime manibus comprimant, ut ſuccus, quo tum abundant, lentus, ceramque liquatam ſubſtantia vere referens, tanquam inutilis effluat, qui tamen præſtantiſſimus & efficaciſſimus juxta eundem authorem exiſtit.

Χολη-

Juxta VELSCHIUM Ægagropilorum, qui calidi & ſicci æſtimantur, virtutes ſunt aperientes, rarefacientes, leviter tamen adſtringentes, diaphoreticæ, diureticæ, atte-

 nuan-

nuantes & extergentes, hidroticæ, aphrodiſiacæ, alexipharmacæ, cephalicæ, ophthalmicæ, pneumonicæ, cardiacæ, ſtomachicæ, hepaticæ, ſplenicæ, meſentericæ, nephriticæ, hyſtericæ atque arthriticæ, & neſcio quæ aliæ. Conducunt hæ pilæ in febribus tam intermittentibus quam continuis, malignis etiam atque exanthematicis, variolis, morbillis &c. Proſunt in hydrocephalo, Cephalalgia, Cataphora, vertigine, memoriæ imbecillitate, amentia, melancholia hypochondriaca & hyſterica, mania, hydrophobia, lethargo, tremore, paralyſi, convulſione, incubo, cataleпſi, Epilepſia, apoplexia, catharrho, oculorum & aurium affectibus, linguæ paralyſi, aphonia, ptyeliſmo, phthiſi, pleuritide, aſthmate, tuſſi, cordis palpitatione, Lipothymia, ſyncope, anorexia, concoctione læſa, ſingultu, nauſea, vomitu, colica, lienteria, diarrhœa, dyſenteria, hypercatharſi, pancreatis, meſenterii, hepatis & Lienis obſtructionibus, cachexia, hydrope, ictero, affectione hypochondriaca, calculo renum, impotentia virili, gonorrhœa, uteri flatulentia, imbecillitate & dolore, fluore muliebri, morbo virgineo, præfocatione uterina, melancholia mulierum, ſterilitate, partus difficultate, ſecundinis morantibus, torminibus a partu, menſtruorum & lochiorum ſuppreſſione, arthritide, lue venerea, ſanguine concreto ex caſu, venenis omnibus, exceptis quæ acrimonia potius erodunt, quam vi occulta enecant, philtris & veneficiis ſive incantamentis. Tot & tantæ vires a ſupra citato authore adſcribuntur, huic Bezoar Germanico. Non autem ea eo animo in medium prolata vult, ut nullo cauſarum diſcrimine aut nulla circumſtantiarum conſideratione, neglectis methodi legibus, & univerſalium neceſſitate poſthabita in uſum ducantur, quin potius hæc omnia accuratiſſime obſervanda contendit.

Ut præſtantiſſima medicamenta peſſimo vulgi deſipientis abuſu profanantur, ita & Ægagropili a quibusdam vaniſſimæ perſuaſioni adhibentur. Sunt enim, qui pulverem mane jejunis datum 24. horarum ſpatio ſumentes ab omni armorum genere aut hoſtium inſultu incolumes ſervare credant, quod aliis ipſius quoque Doronici radicibus impie luſtratis effici putant. Sunt etiam ex venatoribus nonnulli, ut homines plerumque in omnem ſuperſtitionem proclives, qui globulos plumbeos inter fundendum, eodem pulvere in medio repleant, ut certiori ictu cum rupicapras tum reliquas feras figant. Hoc tamen in tanto nitrati pulveris impetu, nec magnetismi ratione, nec ullo alio argumento naturæ viribus conveniens probari poteſt. Superſtitioni anſam feciſſe videtur, quod Venatores dicant Damas Ægagropilas in ſe habentes difficilius occidi poſſe, quod tamen exinde deducendum eſſe videtur, quod pellis admodum ſit dura & tenax difficulterque penetrabilis, quodque venatores paulo remotius bombardas explodere cogantur &c.

Magis vero ſimile videtur, quod quidam pulverem Ægagropilarum mane exigua quantitate jejuno exhibitum a fame ſitique præſervare adfirmant, niſi id quoque imaginationi potius quam cauſis naturalibus, tribuendum eſſet.

Doſis Ægagropilæ eſt ad grana quinque quindecim, ʒß. gr 40. pro ratione circumſtantiarum.

Plura qui ſcire cupit adeat ſæpius prædictum VELCHIUM DE ÆGAGROPILIS ET LEBWALD IN DAMAGRAPHIA.

CHOLELITHUS.

Eſt lapis in Veſicula fellea animantium reperibilis, figuræ irregularis, nunc rotundæ, nunc quadrangularis, nunc

triangularis, nunc alio modo efformatæ, coloris varii tum in externa, tum in interna ſubſtantia, opacus plerumque, pellucidus tamen etiam ſed rarius, mox flaveſcens croceus, rubicundus, mox virideſcens atque nigricans; magnitudinem hic lapis obtinet variam, nunc major, nunc minor reperitur, Cicera, fabas, avellanam, Nucem Moſchatam adæquat alius, alius juglandis magnitudine conſpicitur, alius major adhuc exiſtit. Modo unus modo plures & quidem utplurimum comparent. Tactu nunc eſt mollior & humidior, quandoque friabilis, durior imo duriſſimus, pondus obtinet pro magnitudine diverſum. Inflammabilis præterea haud raro exiſtit, quamvis quandoque tantummodo liqueſcat. Carbonibus ſi inſpergitur cum multo fumo neſcio quid urinoſi & fœtidi de ſe ſpargit: ſaporem obtinet non adeo amarum, ſed potius terreum & margaceum, molliuſculum & quaſi butyraceum.

χολήλιθος, CHOLELITHUS a Græcis vocabulis χόλος vel χολὴ bilis & λίθος lapis, ein Gallenſtein. PIERRE DE FIEL.

Reperitur hic lapis in pluribus veſiculis biliariis præſertim tamen bubulis, nec tamen his omnibus ſed tantum morboſis, Vere nimirum morbus eſt peculiaris, quo laborant ſubinde uti homines ita quoque bruta & imprimis boves, dum nimirum ex prava conſtitutione condenſatur fluidum hoc & in lapideam ejusdem conſiſtentiam reducitur. Utplurimum Cholelithus bovinus aut vaccinus coloris eſt crocei, molliſſimæ texturæ, ut facile digitis conteri poſſit, ſubinde tamen ſoliditatem inſignem præ ſe fert.

SCARA-

Laudatur adverſus calculum, ut loquitur LANGIUS imprimis ex ſimilibus calculis obſtruentibus veſiculam felleam oriundum, quos reſolvere poſſe perhibent. Commendatur etiam vi diaphoretica uti Bezoar. Pulvis hujus lapidis etiam ut ſternutatorium peculiare laudatur. Doſis eſt ad ℈j. &c.

Dici-

Dicitur quoque viſum acuere & comitialibus ſubvenire. Calculum quoque comminuere fertur in vino infuſus.

CORNUA SCARABÆI CORNUTI.

Sunt Scarabæi cornuti Cornua pulchre rubentia, inſtar vitri ſplendentia, digitum longa quandoque, aut breviora, ramoſa quandoque quandoque non.

CORNUA

SCARABÆUS CORNUTUS vocatut Κάραβος, SCARABÆUS BICORNIS, SCARABÆUS LUCANUS, SCARABELAPHUS, SCARABÆUS CERVUS, SCARABÆUS CERVUS, CERVUS VOLANSA, ſimilitudine cornuum, ein gehörnter Käffer/ ein Schröter/ CERF VOLANT.

Scarabæus, ut SCHWENCKFELDT definit, eſt omnium maximus, terreſtris longitudine trium quinque vel ſex digitorum, Caput quadratum cum thorace obſcure rubet, ut & venter inferior. Alarum vaginæ caſtanei ſunt coloris. Cornua, ut jam dictum, gerit pulchre rubentia, inſtar vitri ſplendentia, ramoſa, dentata. Oculi ad latera prominent bini ex fuſco rubei. Inter quos & cornua ad latera exeunt duo parva cornicula veluti antennæ. Roſtellum acutum promuſcide, flaventi lanugine hirta donatur, ad quod appendiculæ utrinque binæ. Pedibus incedit ſenis, cum ſplendore nigricantibus, quorum extrema genicula inſtar ſerræ aſpera videntur, apiculis extremis inſtar hamuli aduncis. Cornua in cacumine comprimit, ut cancri Chelas ſuas.

Eo ipſo dum hæc ſcribo, incido in conſiderationem Scarabæi Cornuti maris fæmellæ, quam JO. DE MURALTO EPHEMER. NAT. CURIOS. inſeri fecit. Hanc cum iſte liber in omnium manibus non verſetur, hic apponere lubet. Conſtat capite pectore & alvo hic Scarabæus. Caput ſcutatum & quadrilaterum eſt, propemodum durum, utrinque poſt cornua ſuper oculos proceſſus acutus, hinc linea protuberat, ab uno proceſſum horum ad alterum: ad occiput vero utrinque eminet apophyſis: anterius caput ſcuto naſali finitur, juxta quod inſignia duo Cornua ſubrubra denticulata & chelarum

inſtar ſpinis tribus utrinque armata prodeunt: quæ muſculo fortiſſimo fibroſo & albido reguntur, ut objecta quæque firmiſſime prehendant. Oſculum foliaceum ſub naſali ſcuto ſat amplum viſitur; e quo palleſcentes plumæ quatuor, nimirum oblongæ & majores duæ ſuperiores, ac inferiores duæ minores exeunt, quæ linguam conſtituunt. Myſtax utrinque duplex eſt, prope plumas ſuperiores quidem promiſſior, & quatuor articulis geniculatus: propter inferiores vero brevior, totidem tamen articul s præditus.

Maxilla inferior hederæ folium refert: in collo ſpeculum quadrilaterum ad meliorem cum pectore articulationem anterius cernitur. Antennæ complicatæ ſex nodulis in extremitate utrinque ſupra oculos conſpiciuntur. Ornamentum eorum plumeum plicatile eſt. Oculi ſplendentes, rotundi, nigri, convexi æquales. Ad colli latera interius utrinque carnibus ſeu muſculis adſpergitur cruſta teſtacea oblonga pro meliori articulatione. Colli ſcutum quadratum, ſupra & intra flavo & lanuginoſo margine cinctum eſt, e quo parte antica pedes utrinque bini prodeunt, quorum femora ad primam cum collo articulationem flava aſperguntur lanugine. Tibiæ poſterius ſpinoſæ ſunt: pedes extremi quatuor nodulis & duplici hamo, apiceque intermedio firmati.

Pectus eſt craſſum, ſuperius ſcutatum & durum a pedum ordine ſecundo usque ad poſtremum ordinem protenditur. Alvus hinc parte antica annulis quinque ſulcatur, ſenſimque attenuatur. Dorſo poſterius includuntur aliæ vaginis caſtanei coloris corticalibus & duris: hæ vaginæ ducunt originem a thoracis angulo. Aliæ complicatæ ſubſunt latæ, fortioribus coſtis ſubrubris extenſæ. Alvini annuli novem poſterius ſub alis numerantur. In pectore utrinque præter oſſiculum quadrangulare multa caro fibroſa aëreis vaſculis repleta latitat, per cujus medietatem œſophagus ad anum ſimplici canaliculo tranſcurrit, flaveſcentem in ſe humorem continens, nutritur enim ſucco quercus, tiliæ & aliarum arborum vitriolico. Penis intra quatuor foliola convolutus preſſa alvo apice ſuo prominet.

Fœmella tota corpore nigra velut piſcium cutis Chagrin picta punctata cernitur. Caput rotundum magis eſt, cornicula duo acuta, fortiſſima, ramo triplici armata proſtant ſed minima: myſtace duplici ornatur, exteriore quidem longiore tribus verticillis donato; duplex lingua plumea flava ex ore emittitur; Antennæ ſex nodis

ver-

verticillatæ ſunt, earum extremitas ornatur pluma quadrifolia plicatili: oculi gagatis inſtar ſplendentes oblongi protuberant, oſculum ſcuto ſupra infraque foliolo tegitur & obvallatur: Colli ſpeculum quoque adeſt: notabilis eſt complicatio alarum ſub vaginam parte coſtarum tenuiore quaſi per articulationem id factum, præterea coſta, alæ maxima & extima, ut & major ſeu media crenas habet & ſulcata eſt. Sex pedibus inſtruitur quorum primi ſub collo, inſculpto intra ejus ſcutum articulo, transverſim oriuntur: Alii poſt eos a pectoris ſcuto anteriore & ultimi a poſteriore ejusdem ſcuti parte, procedunt. Os quadrangulare erectum in pectore carnem fibroſam affabre ſuffulcit, hæc raro in filamenta coagmentata undique innumeris tracheis & veſiculis ſpiralibus permiſcetur, quarum ope alvus ſub alis pulſat & Scarabæus vitam habet, nullum enim cor obſervari potuit: at Ovarium inſigne cum viginti circiter ovulis maſculis, pallidis, glutinoſo humore turgentibus in alvo deliteſcebat.

Falſum eſt quod quoad partem ex lignis aridis, maxime quercus aut roboris propagetur hic Scarabæus: omnis per coitum producitur. In ſylvis, imprimis quercetis, majo & æſtate reperitur. Abſciſſo capite, ſeorſum caput ac ſeorſum corpus utrumque vivit, caput tamen diutius.

CAPRLA;

CORNUA Cervi volantis infantibus remedii vice ex collo ſuſpenduntur, ad eorum urinam cohibendam; fides ſit penes authorem.

Interne hi Scarabæi inſigniter & potenter cient urinam adeoque in morbis, ubi opus eſt ut promoveatur urina & ſerum, in affectibus nephriticis & arthriticis mire conveniunt & quidem in arthritide interne & externe. Interne cient urinam & per eandem educunt acidum arthriticum, ut loquitur ETTMULLERUS, unde fit, ut quando pellunt acidum arthriticum oriatur ſtranguria. Deinde in præſervando calculo multum quoque conducere dicuntur, laudantur quoque hæc cornua pulveriſata contra partum difficilem.

OLEUM SCARABÆORUM horum cornutorum per infuſionem factum externe inunctum ſuccedaneum eſt olei ſcorpionum: in cienda urina & promovendo calculo mire convenit, in affectibus nervorum in ſpecie contracturis & paralyſi: auribus inſtillatum ſicut oleum formicarum in doloribus quibuscunque aurium, item in defectu auditus optime convenit. Alias convenit oleum Scorpionum & Scarabæorum conjunctum ad convulſiones epilepticas infantum, item in mulieribus in partu difficili. Notandum eſt, ut habet HOEFERUS in HERCULE MED. quod tali oleo per infuſionem parato & pulſibus illito producatur febris quædam artificialis, ſimulans ephemeram ſeu ſynochum putridam.

FEL CAPREI.

Eſt vel Capreæ vel Caprei ſylveſtris liquor, ex veſicula fellea extractus, ſature flavus, amarus, multis inſerviens uſibus.

CARNES

CAPREA, CAPREUS, quod quandam Capræ aut Capri ſimilitudinem habeat, vel a carpendis virgultis. δορκὰς a δέρκω id eſt acute video, δορξ, δορκαλὶς, DORCAS appellatur a MARTIALI ita canente.

Delicium parvo donabis Dorcada nato:
Jactatis ſolet hanc mittere turba togis.

Græcis dicitur αἴξ ἄγριος CAPRA FERA.

CAPREÆ autem vox eſt ambigua & nunc pro omni Capra fera ſumi videtur, nunc pro hac vel illa capræ ſylveſtris ſpecie. Præcipue, CAPREUS atq; CAPREÆ nomen accipitur de eo animali, quod Germanis Reh & Rech Gallis CHEVREUIL dicitur.

Hoc

HOC jam animal corpore Cervum refert, niſi quod minor ſit & quod etiam de Capra participet. Cornua exigua ramoſa Cervinis fere ſimilia, nec ſingulis annis, ut Cervis decidua.

Mas ex hoc ferarum genere appellatur CAPREUS der Bock / der Rehbock / CHEVRAU: & cornubus gaudet ſex plerumque ramorum; fœmina vocatur CAPREA, die Geiß / die Rehgeiß / CHEVREUILE FEMELLE SAUVAGE, & cornubus deſtituitur. Fœtus maſculini nominantur CAPREOLI δορκάδια, die Rehböcklin / PETITS CHEVRUEILS SAUVAGES. Fœtus fœminei CAPREOLÆ audiunt, utrinque Rehkitzlin nominari conſueverunt.

Timidum eſt animal atque fugax & puſillanime & curſus velociſſimi, noctu æque cernere ac interdiu creditur. Paſſim in ſylvis vaſtis & montibus verſatur. Hyeme rubi foliis virentibus fruitur. Viſu Capreolus eſt acuto; Vocem edit exilem. Dentes minime mutat. Laſcivum etiam eſt animal. Fœmina capto marito quærit alium eumque ad priſtinæ habitationis ſuæ locum adducit. Sed capta fœmina, maritus alio diſcedit, aliamque ſequitur conjugem. Capitur ut Cervus, canibus, retibusque implicatur. Conſenſum mirabilem cum perdicibus habere fertur, ita ut iisdem in locis paſcantur, habitentque in vicinia. Flantem petere dicitur ventum currendo, ut vento refrigeretur agitatus.

MILVUS

CARNES hoc animal habet ſiccas, & tales, quæ, ut SEBIZIUS loquitur, ſalubritate ſucci, gratia ſaporis, facilitate digeſtionis, paucitate excrementorum & virtute nutriendi valida aliorum ſylveſtrium animalium carnibus antecellunt. Id quod Authores crebris velocibusque corporis motibus, quibus ſuperfluæ humiditates abſumuntur caroque redditur, acceptum ferunt. Præſtantiſſima pars cenſetur LUMBUS, der Zimmer / ab hoc PEDES POSTICI, die Rehſchlägel / qui ANTERIORIBUS PEDIBUS, die Rehbug / carnoſiores. Conveniens, verba ſunt SCHWENCKFELDTI, cibus eſt hæc caro pituitoſis, Colicis, Dyſentericis, Comitialibus ob ſiccandi

 vim

vim, obſtruit autem, quod notandum, alvum. Præparatur ut Caro Leporina & Cervina. Imprimis vero aſſatur, & liquamen aromatibus & ſale conditum ſuperfunditur. Capreoli autem delicatiores ſunt.

JECUR Caprei vel Capreæ aut etiam Capreolii toſtum aut quovis alio modo præparatum comeſtum oculorum aciem reficere creditur. Coquitur quoque tale hepar in muria & vapor pro eodem ſcopo in oculos recipitur. Alii ſuccum ex hepate inter aſſandum extillantem uſurpant. Jecur tale exſiccatum & in pulverem redactum aut in cineres combuſtum, hæmorrhagias ſedare perhibetur inſperſum & impoſitum. Sunt qui cum aceto roſaceo miſcent & cum turunda naribus ad ſanguinem compeſcendum intrudunt.

SEXTUS teſtante VLYSSE ALDROVANDO ζωογράφω celebratiſſimo remedium ad eos, qui ab hora decima non vident, id eſt nyctalopas, ſeu luſcioſos hujusmodi præſcribit. Jecur capreæ in aqua calida ſalſa coquatur & ejus vaporem oculi excipiant & ex eadem aqua oculos foveant, ſed & Jecur edant, & ex liquefacto inungantur. Quidam jecur ejus aſſant in craticula & fluentem ſaporem colligunt & eo inunguntur. Quidam coctum vel aſſum jecur Caprei cum pane edunt & idem bibunt.

FEL imprimis CAPREÆ ad varios affectus oculorum commendatur. Prodeſt contra ſuffuſiones incipientes, oculorum caligines, argema (albugines) & genarum atque palpebrarum ſcabricias. Felle hoc luſcioſi peruncti ſanantur. Collyrium ex felle caprarum ſylveſtrium contra telam oculi valet. Cum melle mixtum caliginem potenter diſcutit, claritatem præſtat. Fellis drachma una & modicum vini cum melle, ut poſſit teri, ſi inungatur, oculorum caliginem ſanat, facitque ad cicatricem & argemata, & nephelion

lion & glauccomata & pterygia ſi ex eo inungantur, jubent quoque ex eodem felle inungi palpebras cum oleris ſucco ut pili extracti non renaſcantur, facit quoque ad ruptiones ex ictu tunicularum cum lacte mulieris tepido. Hoc autem fel, quanto vetuſtius fuerit, tanto melius erit. Contribuit quoque ad maculas, lentigines & alias faciei fœditates tollendas. Cum aqua mixtum faciem a Sole uſtam, ſi illinatur, emendat. Ad tinnitum & ſonum aurium fel capreæ cum roſaceo aut ſucco porri tritum & tepefactum auribus inſtillatur. Ad faucium quoque vitia & dolorem laudatur. Cum ſucco porri aut roſaceo dentium dolorem ſanat. Ad ventrem ſolvendum fel Capreæ ſuppoſitum ano cum ſucco Cyclamini & alumine aliquantulum combuſtum indito facit, cave autem ne hæmorrhoides habeat. Ad veretri exulcerationem fel Capreæ mixtum cum melle aut ſucco rubi appoſitum mire propeſt.

℞. Capreæ fellis ℥j. farinæ Lupini, Mellis ana ℥ß. commiſce, & exinde faciem linies & limpidam faciem efficit.

℞. Fellis Capreæ, Mellis, Myrrhæ, Croci, Piperis ana p. æqu. coque in vino, donec contrahatur & ex eo fauces quotidie tange donec ſanæ fiant. Hæc ex Authoribus tradit ALDROVANDVS.

FIMVS calculos expellit, uti volunt. Apud GALENVM hoc legitur ad arquatos ſive ictericos remedium. Capreæ fimum aridum tritum, cribratum, cochleari menſura & ex vini odorati cyathis quatuor jejuno & loto exhibe.

PELLIS depilata præparatur ad indumenta & tibialia, præfertur a quibusdam Hircinæ.

CORNVA quidam laudant, quod gaudeant eadem virtute ac Cornua Cervina. Alii commendant in fluxibus alvi & contra Epilepſiam.

FEL MILVI.

Eſt Milvi præſertim regalis fimus.

MILVUS quaſi mollis avis, ſcilicet viribus & volatu. Ικτὶς παρὰ τὸ ἰ. νᾶμαι, Ικτῖνος, Ἅρπη, λύπη a Lupina rapacitate. Ἱέραξ φρυνηλόγος, ACCIPITER IGNAVUS ſeu LANARIUS RUBEUS, MILVUS RUBEUS, ACCIPITER RUBETARIUS, ACCIPITER LÆVIS, FUR PULLORUM, ein Hünerahr/ Hauahr/ Hühnerdieb / a dilaniandis gallinis, Grimmer / weiche Schwemmer. MILAN.

Avis eſt ex Accipitrum genere. Dorſum totum ferrugineum cujus ſingularum plumarum oræ nonnihil albicant, intermixtis notis nigricantibus. Roſtrum aduncum, nigrum, pennis minutiſſimis juxta nares utrinque rigentibus; Caput ex candido obſcure rubet. alarum majores pennæ fuſcæ ſunt: collum plus candidi habet, pectus venter & alæ ſuperiores latericii coloris: cauda inferior verſus uropygium ex albo flavet Crura illi ſunt crocea, humiliora, ultra poplites propendentibus plumis ſimiliter ferrugineis dilutis obteguntur. Cauda nonnihil ſinuata, cujus pennæ ferrugineæ quoque fuſcis notis frequentibus admodum & ordinatis, æquali interſtitio transverſantur. Ungues quaterni, nigri, adunci. Cum vocem edit Lipire dicitur, er heulet. Avis eſt rapaciſſima, carnivora & famelica. Inſidiatur avibus domeſticis maximeque pullis gallinaceis, & anſerinis quos incautos cum viderit, ſtatim arripit. Autumno mures & columbas venatur, quibus Ventriculum ſæpe diſtentum reperire licuit. Nidum parat in Abietibus & Piceis denſiſſimarum ſylvarum. Ternas plerumque parit. Verno tempore incipit apparere, certiſſimum eſt ejus Nuncius. Hyeme latet in cavernis arborum, vel ad alia loca calidiora ſe confert. Pingueſcit autumno. Ejus pinguedo articulorum doloribus illinitur.

MILVUS

CARO craſſa eſt & dura, cibo in ſacris interdicta.

FEL

FEL oculariis medicamentis additur. EPAR quoque iiſdem admiſcetur.

STERCVS atque PINGVEDO articulorum doloribus cum ſucceſſu illinitur, qualis vis etiam ſanguini adſcribitur.

MILVUS INCINERATVS podagræ epilepſiæque ſubvenire creditur exhibitus ad ℈j. ʒß. Idem de capite affirmant ac hepate incineratis.

MILVUS ALBUS, MILVUS MAJOR CANDICANS, LANARIUS ALBUS, ein weiſſer Hühneraar / grauer Mäuſeahr. Magnitudine ſimilis eſt regali. Color ei candidus exceptis alarum majoribus pennis, quæ fuſcæ ſunt. Rarius autem occurrit.

MILVUS NIGER, Ἰκτῖνος αἰτώλιος, MILVUS FUSCUS, ein Meuſahr / Schwimmer. Magnitudine accipitri palumbario par: Caput collum venter & tota pars prona, uropygium, femora & cauda inferna albicant: roſtrum uncum, nigrum membrana lutea obtectum, quo caput contingit. Dorſum, alæ ſuperiores, nec non cauda ſuperior fuſca ſunt: femora ad media crura plumis intecta. Tibiæ luteæ graciles valde, altiores Milvo regali: Digiti itidem lutei imbecilles unguiculis nigris uncis & parum validis. Mures in agris inquirit & pullos avium, volandi adhuc impotentes, dum per terram vagantur, rapit. Vulgatiſſimus eſt; imbecillis volatus ac ſi nataret.

MILVUS MINOR RUBEUS, κεγχρὶς, MILVUS RISUS, ACCIPITER RUBEUS ſeu BUTERIUS, LANARIUS RUBER MINOR, TINNUNCULUS, accipiter a tinnitu per onomatopœiam, ein Wannen-Wäher / quod alas extendat, ventiletque inſtar ventilabri, quod vannum nominant. Wandwäher / Wannenwehr / Röthelweih / Lochweih. Parvum genus eſt Milvi, parvo corpore, plumis muſtelinis aut caſtaneis, unguibus aduncis nigris. Roſtro aquilino, pedibus flavis. Reptilibus & inſectis utplurimum vivit Papiliones Locuſtas, Veſpas & Mures capit & devorat, Aviculas etiam inſequitur. In altis urbium & pagorum turribus, quales ſunt templorum, in eorum etiam muris, nec non ædificiis eorumque tectis nidificat; item in cavis arboribus. Ova

parit

parit rubentia minii colore, quatuor, quinque vel ſex, Aliquando candido colore viſus fuit. Fel quoque hujus Milvi oculorum maculas delet.

Sunt qui Milvum vivum in fimo equino per 40. dies macerandum ſepeliunt, & ex vermibus, qui ex eo procreantur, unguentum ad dolores podagricos conficiunt.

FIMUS COLUMBINUS.

Eſt fimus Columbarum tum domeſticarum tum ferarum inſigniter Nitroſus atque valde excalefaciens.

Columbæ

COLUMBA fœmina eſt, COLUMBUS mas. Illa περιστερὰ hic περιστερὸς adpellatur, παρὰ τὸ περισσῶς στερᾶν a nimio amoris affectu. Columbam VARRO derivat a culminibus ædium & villarum in quibus degere ſolent. Iſidorus ſic dictam autumat, quod collum ejus ad ſingulas converſiones colores mutet. Germani, Tauben/ Galli, PIEGON vocant.

Genera & differentiæ Columbarum ſunt variæ, inquilinæ & peregrinæ, quæ ex regionibus exteris ad nos feruntur: Porro ſunt vel domeſticæ vel feræ. COLUMBA DOMESTICA. περιστερὰ οἰκίδια, COLUMBA CICUR, COLUMBA CELLARIS, zahme Taub/ heimiſche Taub/ Hauß-Taube/ Schlag-Taube/ Flug-Taube. Columbæ autem hæ, inquilinæ potiſſimum, ſunt vel URBANÆ vel AGRESTES: ex quibus illæ Hauß & zahme/ hæ vero Feld-Tauben & Feld-Mutzen/ nominari ſolent. Rurſus utræque, urbanæ villaticæ plurimum variant, colore, magnitudine & forma corporis. Major tamen varietas obſervatur in urbanis. Sunt enim vel unius vel diverſi coloris, nigri, albi, rufi, lividi, cinericii. Sunt magnæ & parvæ, quædam candidæ, aliæ coeruleæ, aliæ atræ, aliæ purpurpureæ, aliæ aliis imo variis coloribus exornantur. Item

quædam

quædam planum verticem habent, quædam criſtatis ſunt capitibus; Nonnullæ cruribus donantur totis hirſutis ad extremos usque pedum digitos, plurimæ his carent. Sunt gutturoſæ Kropff-Tauben/ dictæ, & tales quibus collum non ita tumet. Quædam oblongum, nonnullæ breve roſtrum habent.

Columbus, inquit ARISTOTELES, conjugium jam inde a primo ortu initum non deſerit, niſi cælebs. Quin etiam fœminæ parturienti adeſt, & cultu omnique officio fungitur. Sæpe etiam fœminam pigrius ad nidum euntem propter partus laborem percutit, cogitque intrare. Pullis excluſis terram ſalſugineſam potiſſimum præmanducatam, in eorum os inſerens, ſecum ingerit & ſic ad cibum recipiendum præparat. Adultos jam, cum tempus eſt prodeundi ex nido, mas ſubigit. Ita magna ex parte columbæ mutuo degunt amore. Verum nonnullæ etiam ex maritatis cum aliis coëunt.

Coëunt Columbæ mare fœminam aſcendente. Peculiare Columbis, ut in coitu, niſi ante mutuo ſe oſculentur, mas non aſcendat. Unde OVIDIUS

Oſcula mox junges cupidas imitata columbas,

Verum junior ſit an ſenior intereſt. Nam ſenior primum coitum oſculo exorditur, ſequentem & ſine oſculo peragit. At junior quoties coire libet, toties oſculatur.

Quæ dixit hactenus ARISTOTELES ea pleraque repetiit PLINIUS, hiſce elegantiſſimis verbis, quæ, ut cum SEBIZIO loquar, nec piget nec pudet repetere. Mores, inquit columbarum ſimiles ſunt perdicum: ſed pudicitia illis prima & neutri nota adulteria. Conjugii fidem non violant, communemque ſervant domum. Niſi cœlebs aut vidua, nidum non relinquit. Et imperioſos mares, ſubinde etiam iniquos ferunt: Tunc plenum querela guttur ſævique roſtro ictus: mox in ſatisfactione exoſculatio & circa Veneris preces crebris orbibus adulatio. Amor utrique ſobolis æqualis: ſæpe & ex hac cauſa caſtigatio, pigrius intrante fœmina ad pullos. Parturienti ſolatia & miniſteria ex mare. Pullis primo ſalſiorem terram collectam gutture in ora inſpuunt, præparantes tempeſtivitatem cibo. Hæc PLINIUS. Columbæ decies pariunt in anno juxta quosdam, & omni ferme tempore: nonnullæ in anno undecies: Ægy-

ptiæ vero & duodecies teſtibus ARISTOTELE & PLINIO. Pariunt omnibus anni temporibus pulloſque educant, ſi locum apricum habeant & cibum, ſin minus, æſtate tantum fœtant. Pariunt magna ex parte bina ova candida: utplurimum etiam marem & fœminam generant: priorem marem, poſteriorem fœminam; & cum pepererint primum ovum, uno interpoſito die ſecundum pariunt. Incubant ambo viciſſim; interdiu mas, noctu fœmina. Concoquunt atque aperiunt ovum circa diem viceſimum. Quod prius ediderint, perforant pridie ejus diei, quo pullum excludunt, foventque prolem ambo ad certum tempus eodem modo quo ova. Fœmina in opere ſobolis acerbior eſt quam mas. Coëunt intra annum columbæ: quippe quæ ſemeſtres noſſe Venerem incipiant; Citra dies triginta prole expedita ſuperiore pariunt. Fœtus edunt cæcos. Poſt coitum caudam diſtendunt. Facultas illis ovi retinendi etiam tempore parturiendi eſt. Nam ſi ab aliquo vexentur, aut penna in nido evulſa, vel quavis alia ſimili re infeſtentur, aut etiam ſponte moroſius habeant, ovum per triſtitiam retinent, partumque differunt.

Hic ritus Columbarum proprius eſt, ut ante coitum mutuo ſe oſculentur, quemadmodum dictum. Verum & iſte quoque iis eſt ſolennis, ut fœminæ ſaliant, ac ſupergreſſu mutuo agant: ſi mas non ſit, & cum oſculo, ut mares. Et quamvis nihil altera emittat in alteram, tamen hac ratione plura ova, quam ex maris congreſſu pariunt. Aſt nullis his naſcitur pullus, ſed ut irrita ova omnia juxta ARISTOTELEM.

Vivunt Columbæ annum octavum; ſunt qui perhibent ad annos viginti & ultra vixiſſe.

Faſtidium annuum purgant helxine, quemadmodum & Turtures ac Gallinacei. Sunt Lotrices & pulveratrices. Corpus primum rigant aqua, deinde pulvere terræ ſe conſpergunt, & ſic corpus a pulicibus & pediculis, quibus infeſtantur omnique ſorditie repurgant.

Proprium Columbarum ut & Turturum eſt, cum bibunt, colla non reſupinare, ut aves aliæ facere ſolent, niſi ſatis biberint, vel niſi large biberint jumentorum modo.

Nutritur Columba tritico, hordeo, vicia, lolio, piſis & aliis granis. Multæ ex agris quærunt victum Columbæ, ac nonniſi hyeme paucis menſibus, cum diuturnæ nives agros operiunt, impendio Domini aluntur.

Vox

Vox earum eſt γογγίζειν ἢ γογγύζειν, gemere, murmurare, authore POLLUCE. Alii appellant τονθορίζειν & τοτίζειν, quidam vero meditari.

Volant velociter admodum: velocitatemque duplicant pene, quando ab ave rapaci, Milvo vel Accipitre &c. infeſtari ſe norunt. Pernicitate volatus cum quavis pene ave certare queunt. Celeritate volatus rapacibus quoque avibus ſæpe imponunt, cum fuga ſuæ conſulunt ſaluti. Hujus enim ſpes in ſola celeritate volatus poſita eſt: quia animalia ſunt imbellia, nullis armis, neque ad injurias propellendas neque ad ſe defendendum, neceſſariis inſtructa. Propterea celerem vagumque volatum ipſis natura conceſſit. Largita quoque eſt viſus & auditus excellentiam, quibus ſenſibus ſi non ſuperant alites alias, nulli ſaltem cedunt. Quod autem ſenſus iſti illis inſint in excellenti gradu ex eo liquet, quoniam e longinquo accipitres audiunt viſuque diſcernunt. Itaque cum accipiter provolat, ſi eſt ſublimipeta, manent quo conſtiterint loco; ſi humipeta, non manent, ſed continuo avolant. Juratus etiam latro columbarum eſt Accipiter, qui uti varius eſt, ita etiam columbæ variis modis ab eo rapiuntur. Alii enim, dicente ARISTOTELE, columbas humi ſedentes venantur, volantes non appetunt Alii ſuper arborem aut tale quid conſcendentes capiunt: ſin humi conſideant aut volent, non invadunt. Alii rurſus neque humi, neque in ſublimi manentes aggredi ſtudent.

Sunt aves innocentes, inermes, placidæ, mites, timidæ, ſimpliciſſimæ, gregales etiam ut grues & olores. Sympathiam habent cum homine ſingularem; Propterea dicente ARISTOTELE non diſcedunt a nobis ſed apud nos manent. Id quod ſatis declarant Columbæ ruricolarum. Hæ enim tametſi avolent longius, & ad agros ſe conferant, repetunt tamen lares ſuos & cum heris ſuis diverſantur. Amicitiam inſuper colunt cum pavonibus teſte PLINIO. Amore quoque proſequuntur gallinas, anſeres, turtures & tinnunculos, quos Wannen oder Wand-Wäher appellant, quod in parietibus templorum & turrium nidificent. Hinc ſuadet PLINIUS dandam eſſe operam curatoribus Columbarum, ut Tinnunculus ſemper cum Columbis alatur Eum enim Columbas defendere & accipitres naturali potentia terrere in tantum ut viſum vocemque ejus fugiant. Abhorrent contra ab Accipitre, Milvo, Corvo, Aquila, No-

Noctua, Vulpe, Cato, Muſtela, Marte, Fele, quoniam, ut SEBIZIUS ait, naturæ inſtinctu ſciunt ſe horum animalium prædas eſſe.

To

Columbæ cedunt in uſum alimentarem. Præferuntur Columbæ Villanæ Urbanis, quia ſicciores: verno tempore natæ autumnalibus, quod ſucculentiores. Veteres ſiccæ ſunt & duræ. Optimi COLUMBARUM PULLI, περιστερίδια, περιστερίδιοι, COLUMBULI, PULLI COLUMBINI, PIPIONES junge Tauben/ Täublein / Gallis pigeoneaux, jeunes pigeons, eam habent proportionem ad columbas quam pulli gallinacei ad gallinas, ſunt enim iis humidiores, delicatiores, tenerioresque ideo & concoctu faciliores, convaleſcentibus quoque utiles. Aſſæ aut aliis modis variis præparatæ eduntur. GALENUS pullos hos aſſimilat avibus, quarum carnes facile coquuntur, & inter laudata reponit alimenta, quæ ſuccum gignunt neque craſſum neque tenuem, ſed inter hos medium. Miramur, inquit SEBIZIUS, quorumdam audaciam, qui aſſeverare minime erubeſcunt, omnium columbarum carnem gignere ſuccum melancholicum & excrementoſum, nec facile coqui, putridisque febribus præbere materiam. De annoſis & quoad partem ſylveſtribus quidem columbis verum eſt, quod duras ſiccasque carnes habeant, eoque nomine difficulter digerantur, obſtructiones pariant & ob prohibitam humorum ventilationem & tranſpirationem febribus aperiant feneſtram, aſt de urbanis & junioribus id eſt falſiſſimum. Sunt illæ quidem humidiores excrementoſioresque montanis & ruricolis: ſed neque ægre conficiuntur, neque ſuccum generant pravum, neque febribus putridis anſam dant atque occaſionem. Nam quarum avium caro eſt ſapida,

pida, tenera, probe alta, minus excrementoſa & ætatis mediæ, quomodo illa inſalubris cenſeri, aut febres inducere poteſt, præſertim ſi modice comedatur. Ejusdem farinæ eſt illud SIMEONIS SETHI dogma, qui ſcribit, caput & oculos Columbarum nocere plurimum & lepram parere. RHASIS ait etiam inducere cynanchen. Propterea caput & collum rejiciebat. Nos, inquit rurſus SEBIZIUS, oculos quidem minime probamus, ob humorum abundantiam & membranarum copiam, ſed caput & collum vel lepram vel anginam invehere quo argumento doceri poteſt, ſunt namque, qui, ut cervicibus aliarum avium, ita & columbarum quoque delectantur, neque tamen vel leproſi vel anginoſi inde facti ſunt. Florentinus pipiones commendat iis, qui ex morbo longo convaluerunt, aut qui ex Venere debilitati exiſtunt, aut quibus caput ſæpius dolet. Sunt qui perhibent, eſum Columbarum præſervare a peſte quoniam & ipſæ ea non afficiantur. Pullos Columbarum renum dolori conferre & corruptum ſanguinem emendare docent quidam. Recentem columbæ carnem contra ſerpentes juvare dicit PLINIUS, aliique omnibus eorum morſibus, columbam recenter occiſam calentem adhuc utiliſſime imponi autumant. Frequens eſus Columbarum pruritum venereum excitare creditur.

Columba per medium diſſecta & hoc modo calida adhuc & ſanguinolenta applicata capiti in phrenitide medicamentum fuit apud ſuperiores Practicos multum commendatum, utut a modernis ſed minus recte, uti bene pronunciat ETTMULLERUS, negligatur. Eodem modo applicatur plantis pedum in febribus malignis cum phrenitide: & in talibus febribus malignis cum phrenitide magni adhuc facit LINDANUS. Conducit quoque hoc modo in podagra.

Sanguis ſub alis vena inciſa extractus & tepens oculis inſtillatus dolorem lippitudinemque ſedat, ſuffuſiones, ſanguinemque diſcutit, vulnera recentia curat: ETTMULLERUS & COSCHWITZIUS non adeo magni faciunt hoc remedium, cum oculis inſtillatus grumeſcere poſſit & malum exaſperare. Peculiariter etiam hic ſanguis cruorem a membranis Cerebri erumpentem cohibet, podagricum etiam dolorem mitigat. Præfertur ſanguis Columbi maris.

CELSUS JECINORA columbarum recenter præſertim & cruda ſæpius comeſta ad icterum laudat.

CEREBRUM Venerem ſtimulare a multis perhibetur. Quidam cerebella columbina admiſcent medicamentis venerem excitantibus; id quod etiam præſtat vitellum ovorum columbinorum, quod inſuper ad fiſſuras manuum pedumque item ad verrucas aliosque tumores duros laudatur. Occaſio hic ſe offert de eo ſermonem faciendi, quod alias in proverbio dicitur, Columbas felle carere, die Tauben haben keine Gall/ uti etiam dicitur in illis verſibus, quibus mores Columbarum deſcribuntur, & ſic ſe habet.

Felle columba caret, roſtro non lædit & ungues
Poſſidet innocuos, puraque grana legit.
Gaudet aquis, quæritque greges, celerique volatu
Tuta petit, fœtus educat alterius.
Maſculus ipſe fovet fœtus, atque incubat ovis,
Conjugii ſervant fœdera caſta ſimul.

Sed nec huic animali fel deeſſe ſaniores omnes contendunt, & experientia ſatis declarat, quod columba omni non careat

reat ira. Pugnant inter ſe ſæpe ad ſanguinem & mortem usque. Columbus, qui ſemel victus eſt, iterat pugnam & tunc victor nonnunquam evadit.

VENTRICULI MEMBRANA interna adjicitur medicamentis dyſentericis.

FIMUS COLUMBARUM calidus valde & calefactivus ſummopere: in acervos enim congeſtus ardorem ultro concipit & per ſe conſumitur. Præ aliis ſtercoribus inſigniter eſt nitroſus ſale ſalſo ſeu ammoniacali egregie refertus, hinc præ reliquis virtute gaudet diuretica & contra hydropem uſurpatur, uti habet FORESTUS. Leviter autem eſt calcinandus, vel potius in vino vel aqua ſimplici macerandus, dehinc cum vino aut aqua extrahendum eſt ſal nitroſum ſeu lixivium ſumme diureticum, quod intrinſecus hauſtum mirum quantum expellit hydropicorum aquas per urinam: addunt alii cineres ſtipitum fabarum, ſarmentorum vitis, abſinthii & tartarum calcinatum. In pleuritide ſtercoris columbini ʒj. in vehiculo convenienti uſurpatur. Acetum affuſum fimo columbino percolatum, cum pauco melle miſtum in calculi paroxyſmo egregium eſt. Alii ceu ſingulare remedium pro pellendis menſibus commendant hunc fimum calcinatum; nempe.

℞. Fim. columbin. calc. ʒj. pulv. Croc. ℈ß. Mſc. pro doſi pro cienda urina.

℞. Fim. columbin. ſemin. aniſ. ana man. ij. flav. cortic. Aurant. rec. ℥ij. Croc. Auſtriac. ʒß. affunde V. M. & deſtilla pro aqua anticolica, ſuſpendendo in roſtro Alemb. Croc. ℈ß & ſi lubet Moſchi gr. v. Datur cochleatim.

GALENUS inquit, fimo columbarum utor ad multa ſeu calefaciente pharmaco, & cum Naſturtii ſemine tuſum incretumque aridum, pro ſinapi (in iis qui phænigmo indigent) adhibeo. Ejuſmodi ſunt inveterati affectus, hemi-

crania

crania, coxendix, ſcotomata, vertigines, cephalæa. Et rurſus inquit, Columbarum in turribus ruſticorum agentium ſtercus acre eſt, quo interim ruri uſus ſum in adoleſcente, nervi vulnere affecto: atque hoc Agricola, cum vidiſſet, imitatus ſemper uſurpat & nervis vulneratis ſemper medetur. Cataplaſma ex fimo columbarum cum farina hordei & aceto, ad omnem tumorem aliqui commendant: omnem quoque duritiem diſcutere ait PLINIUS. Cum farina hordeacea & aceto mixtus ſtrumas emollit & diſcutit, cum melle autem & lini ſemine ſubactus, carbunculis conducere & igni ambuſtis mederi, referunt DIOSCORIDES, PLINIUS, & alii. Inſuper ſi defluentibus capillis calveſcat mulier, ſtercus columbinum capiti imponi ſuadet HIPPOCRATES; cum aceto enim tritum & capiti impoſitum alopecias & cicatrices omnes ſanare refert Marcellus. In Epilepſia ſtercus hoc tritum cum ovis Corvorum regioni ſplenis imponitur. Colicæ dolori conferre dicit AVICENNA cum in clyſtere adminiſtratur prædictus fimus. In hydrope & pedibus œdematoſis ſtercus columbinum bulliat in aqua vel cum aqua calcis vivæ probe ſubigatur inſtar cataplasmatis liquidi, & cum aliis applicetur tumoribus œdematoſis ac ſeroſis, imprimis ſi immineat pedibus œdematoſis gagræna. Lixivio ſtercoris columbini ſi lavantur manus pedeſque ab omni frigore partes ad tempus erunt immunes: & chirothecæ ac tibialia linea hoc lixivio madefacta per 14. dies præſervant manus ac pedes a frigore, uti vult STARICIUS. Si fimus columbinus cum melle miſceatur verrucas demit, imponitur etiam cum aceto decoctus. Quidam exinde emplaſtrum formant & verrucis applicant. Fumus hujus ſtercoris vel per ſe vel cum Caſtoreo, Myrrha Opopanaceve remiati ad genitalia admiſſus partum & fœtum mortuum promovere fertur. Ad anginam

nam & colli dolorem utilis erit hujus ſtercoris impoſitio cum melle mixti & inſtar cataplaſmatis compoſiti cum hordei farina & ſuilla adipe alboque ovorum mixtus hic fimus & coctus emplaſtri vice dolentibus renibus apponitur opportune.

Notatu dignum, impoſtores quosdam aromatibus quibusdam ſanguinem columbinum excipere iisque ſiccatis ad ſolem, iterumque tritis & aqua roſacea moſchata aliquoties rigatis ſiccatisque, tertia vel quarta parte moſchi veri admixti, Moſchum adulterare.

HIPPOMANES.

Eſt Caruncula ſive potius maſſa nigricans, lieniformis, quæ cum pullis naſcitur.

Quid

Τὸ ἱππομανὲς, Pferdt-Gifft/ der Miltz welchen die Füllen mit auf die Welt bringen.

De Hippomane, ut RAYGERUS in EPHEM. NAT. CUR. loquitur, diverſi diverſum ſtatuunt; quidam accipiunt pro herba quadam in Arcadia naſcente, philtris apta, quam flaviam putat eſſe CASP. a REIES in CAMP. ELYS. QUÆST. tamque valentem ad amatoria prædicat, ut ſi quis ab alio ea tangatur, occulta quadam ratione in amorem illius trahatur, idque experimento comperiſſe M. Aurelium Imperatorem. Deinde & rectius accipitur pro humore quodam ex genitalibus equarum, dum equiunt, ſtillante, de quo ita ARISTOTELES: Tum (ſcilicet quando libidine incenduntur equæ) aliquid emittunt, quod Hippomanes appellatur, eodem, quo illud quod naſcitur, nomine. Et paulo poſt: Equæ tempore coitus humores emittunt ſuis genitalibus ſimilem genituræ, ſed multo tenuiorem quam mares, quem Hippomanes nonnulli vocant. Et VIRGILIUS ita diſſerit.

Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus.

Unde forte etiam ipſius nominis deductio quaſi τȣ̃ ἵππȣ μανία, ſive quod Equæ, quando hic humor fluit, amoris furore corripiantur, ſive quod juxta veterum opinionem aliis exhibitus in furorem agat eosdem. Tandem Hippomanes vocatur Caruncula ſupra dicta.

Quæritur autem, an & ubi ſit. Hippomanes amoris rabie & inſania gaudens? ARISTOTELES dicit, quod Hippomanes vocant, hæret quidém fronti naſcentis pulli ut narratur, ſed Equæ perlabentes abſtergentesque id abrodunt. Hinc VIRGILIUS canit.

Quæritur & naſcentis Equi de Fronte revulſus
Et patri præreptus amor.

PLINIUS hæc profert. Proditur equis amoris innaſci veneficium, Hippomanes appellatum, in fronte, Caricæ magnitudine, latiuſculum, orbiculatum, colore nigro ſeu fulvo, quod ſtatim edito partu devorat foeta, aut partum ad ubera non admittit, ſi quis præreptum habeat.

PETRUS GYLLIUS ex ÆLIANO, PORPHYRIO &c. ait Carunculam una cum pullo enatam, alii in fronte inſitam eſſe, alii ad lumbos, alii ad genitalia adhæreſcere perhibent, eam ſane nuncupatam Hippomanes, primum, ut Equa peperit, continuo devorat, & Dei benignitate miſericordi in Equinam ſtirpem occultat, ne ſi, ut ferunt, idipſum usque ad extremum vitæ diem pullus ſemper inſitum in ſe perſeveraret habere, ad effrenationem impotentis Veneris tam mas, quam fœmina rueret, & libidinis rabie equinum genus funditus periret. Quod quidem ipſum penitus cognitum Paſtores habent, ac ſi quando ad amatorias inſidias egeant, ut ipſum ad cupidinem veneris inflamment, diligenter obſervant, quando Equa ventrem ferens pariat, atque ſtatim a partu pulli, a pullo abſcindunt, & in Equæ ungulam injiciunt; nam in hanc abditum & conditum optime ſervatur.

Communis inquit RAYGERUS ſed & dixerim anilis fabula eſt, pullum recens excluſum, ſupra linguam habere lienem, quem ſtatim ac prima vice reſpirat, deglutiat, qui autem, ſi priusquam reſpira-

raverit, præripiatur & auferatur, Equum fieri velociſſimi curſus. Sed quid quæſo lieni cum velocitate, aut cur lien ſingulare curſus impedimentum? Taceo quomodo deglutitus in ventriculum lien, ſedem ſuam petat extra eumdem, venasque & arterias acquirat tam copioſas. Quidam conſideratiores non lienem dicunt, ſed venam eſſe ſub lingua, quæ usque ad lienem deſcendat: hæc, ſi antequam ſugat Equus, rumpatur, lienem arefieri & equum evadere optimnm Curſorem.

Audiamus SCHWENCKFELDTIUM in hæc verba erumpentem. Dicam quid ego obſervaverim: Pullus equinus dum naſcitur, ore geſtat nonnihil prominentem molem carneam, oblongam, molliuſculam, fungoſam, coloris fuſci, aliquando ex livore rubentis, palmæ latitudine, longam fere dodrantem, Lieni forma ſimilem, unde ab Hipponomis vulgo das Miltz appellatur. Hanc niſi curator in continenti detraxerit, pullus non equa deglutire ſolet, ex ea Lienem naſci aſſerentes. Ea propter nonnulli ſumma diligentia partus tempus obſervantes, eam citiſſime præripere, antequam devoret, ſolent, ea perſuaſione ducti, ablato Liene, ut vocant, Equos tandem fore curſus velociſſimi, nec facile poſſe defatigari, ſollen Läuffer werden. Sin vero arbori frugiferæ ſuſpendantur, gradarios fieri credunt.

RAYGERUS refert, quid ipſi compertum, quidque viderit ipſe, ſequentibus verbis. Cum anno 1676. circa finem Februarii apud Comitem a Kollonitſch Levarini medendi gratia eſſem, allatum tale Hippomanes recens a fronte nati pulli avulſum adhuc calens, non leviter exhilaratus, cum ſæpius recens videre optaſſem, exſiccata enim aliquot & vidi, & ex dono præfati Comitis habebam. Proinde & formam & figuram externam bene conſideravi, quæ exacte lienem referebat (unde fabulæ origo, quod pro equi liene fuerit habitum) niſi quod colore nigricantius, quaſi ſubcinericium, cæterum ſubſtantiæ erat laxæ, mollis, extrinſecus undique glabrum, membrana ſatis craſſa tectum, non orbiculatum ſed oblongum, non caricæ parvæ magnitudine, ſed latitudine & longitudine aliquot digitorum. Per longitudinem diſſectum, interius ſtructuram habuit cordi non diſſimilem. Nam & interſtitium in medio erat ſepti transverſi, ex utraque parte binæ cavitates, ſiniſtra dextra profundior, quaſi duo ventriculi, adjunctis fibris carneis, ſimilibus iis, quas alii cordis ligamenta, VESALIUS, RIOLANUS, columnas carneas

 appel-

appellant. In cavitatibus humor erat ſubnigricans, odore ſuccum quaſi nucum viridium recens expreſſum referebat.

CLAUDERUS ſequentem hac de re recenſet hiſtoriam. RODOLPHUS a BERBISDORFF STARCKENBERGÆ TOPARCHA, curioſitate phyſico oeconomina impulſus ac rei hujus veritatem indagaturus (a Claudero quidem ad id ſtimulatus) jubet famulum equeſtrem, ut obſervet equas duas parturientes, earum partui adſtet, eripiatque putatitium iſtum lienem, vel corpus carnoſum linguæ incumbens; antequam autem pullus jamjam utero excluſus primo ſuo ac pleniori hauſtu, ſive reſpiratione facta illud more ſolito deglutiat. Servus iſte alteri equo non obſtetricat, ob partum celerius abſolutum; in altera vero (ob munus promiſſum fervidior) feliciter perficit mandatum Domini ſui, ac ſubito extrahit ori aperte ſtanti, ſubſtantiam carnoſam, quaſi lieni formen. Hoc corpus exſiccatum, pergit prædictus author, mihi fuit exhibitum, & tunc præ ſe tulit figuram glutinis ſcriniariorum ſicci. Illud autem vel valde poroſum, vel valde cavum fuiſſe, ſuſpicari inde licet, quod pars ejus fracta interius albicantem ac tunicis ſimilem exhibuerit colorem.

ἱπωολι-

Quid jam natura, inquit RAYGERUS, tam mirabili & curioſa ſtructura intenderit, aut quem in finem in iſtius particulæ adjectaneæ, quæ cum pullo nullum habet commercium, efformatione tam ſtudioſa fuerit, aut cui uſui deſtinaverit, explicatu difficile eſt. Sunt qui ad amores illicitos conciliandos, ad philtra & incantamenta alia valere dicunt; ſed magica illa & fabuloſa jam ſuo tempore judicavit ARISTOTELES; fallacia & nefanda NASO, dum pulcherrime ait.

Fallitur, Æmonias quisquis deſcendit ad artes
Datque, quod a teneri fronte revulſit Equi.
Non faciunt ut vivat amor Medeides herbæ.

Mixtaque

Mixtaque cum magicis verſa venena ſonis.
Sit procul omne nefas. Ut ameris amabilis eſto.

Alii incitamentum amoris dixerunt matris erga pullum, ita ut ſi præripiatur equæ, ad ubera non admittat eumdem. Verum nec hic uſus genuinus videtur, ſiquidem multæ reperiuntur equæ, quarum a pullis hæc particula præripitur, quæ tamen amant & nutriunt ſuos pullos, quod ipſe RAYGERUS vidit in illa equa & pullo, unde ſuum accepit Hippomanes. Si quid de meo addendum, pergit modo dictus author, cum Deus & Natura nihil faciant fruſtra, credo uſui eſſe fœtui Equino adhuc in utero latenti, quo in lucem edito, officio ſuo functum æque ac ſecundas deglutiri a matre. Notum quippe varia naturam in gratiam fœtus fabricare, quorum uſus nos latet & divinari magis quam aſſerere licet. CLAUDERUS putat inſervire nutritioni fœtus per os in utero factæ.

In Medicina nullum alium uſum habere dicitur, niſi quod Epilepſiæ mederi ſiccatum pulveriſatum & in aqua appropriata exhibitum dicant. Probavi, inquit RAYGERUS & dedi quibusdam cum aliis antiepilepticis, ſed dubio eventu. CLAUDERUS narrat ſibi ab amico affirmatum fuiſſe experientia conſtare, ſi puero ſemeſtri exhiberentur decem grana ſiccatæ hujus carins, illum toto vitæ tranſitu ab epilepticis inſultibus fore immunem:

℞. Lienis Equini, modo dicti, vino diligenter abluti & exiccati ℥j. Corall. rubr. pp. Sem. pœon: Viſc. quern. Ariſtoloch. long. veræ ana ʒß. Mſc. f. omn. pulvis. Doſis ad ʒß. ad ʒij. in aqua appropriata contra morbum caducum.

HIPPOLITHUS.

Eſt lapis partim in Equorum ventriculis partim & præcipue in inteſtinis genitus, figuræ rotundæ, oblongæ, alteriusve, magnitudinis diverſæ, ſtructuræ elegantiſſimæ, ex ſuperimpoſitis ſibi invicem lamellis fundamenti loco corpus aliquod, ſupra quod ſcilicet concreſcant, habentibus conflatæ, coloris diverſi, cinerei aut ſubcinerei modo dilutioris modo obſcurioris, modo alterius, glabræ atque politæ utplurimum ſuperficiei, odoris ſi teritur aut alio modo tractatur urinoſi, naresque eo eminenter ferientis, ac ſi ſal aliquod volatile urinoſum, uti ammoniaci &c. objectum fuerit.

Quod

ἱππόλιθος, Lapis In Equo Natus, Lapis Equinus, Roß-Stein/ Roß-Bezoar/ Pierre de Cheval, Bezoar de Cheval.

Hippolithi non ſunt ſecundum naturam, prout quidem de lapide Bezoardico affirmare id nonnulli ſuſtinent, producti, cum potius revera præter naturæ conſuetum ordinem oriantur, unde etiam non in omnibus equis reperiuntur, & non tantum incommoda varia, verum ipſa inſuper mors equos talibus oneratos quandoque inſequuntur. Sic rerum vertitur ordo: & ſi ob quandam nominum ſimilitudinem jocari liceat, inquit LUCAS SCHROECKIUS Filius in Ephem. Nat. Cur. ubi Hippolithorum Hiſtoriam tradit, dignas Hippolithis nunc equi dant pœnas, qui prius, ſpreta habenæ regimine, miſerum Hippolithum curru excuſſerunt, loris implicatum multasq; in partes diſcerptum exhalare coegerunt animam, ſed cur non omnes equos Hippolithis prægnantes eadem ſors manet? idem ſane, quod in homine accidere videtur. Mortem imprimis gravioraque ſymptomata effugiunt, ſi lapilli ſunt minores, nec aſperi, & partes, quas tranſire debent, laxiores ac potentiores exiſtant.

Generantur autem partim in equorum vetriculo partim in inteſti-

nis

nis. Videturque omnium convenientiſſime inteſtinorum cœcorum cavitas pro Hippolithi lapide productione commoda; quamvis facile credam (inquit SCROECKIUS) in ventriculo aut aliis tenuioribus inteſtinis primo quandoque rudimenta eum ſuſcipere, ac progreſſum dein, protruſum aut prolapſum ad craſſiora, novum ibi incrementum capere; cum in inſtanti eum minime concreſcere, vel laminarum miranda ſtructura evincat. Imo non has tantum partes, ſed alias quoque calculorum in equis generationi inſerviſſe JOH. LANGII obſervatio comprobat, dum in EPIST. MEDIC. lapidem nigrum, pondere unius libræ, ex veſica equo mortuo exemptum vidiſſe ſe; lapides etiam in maxillis equorum concreviſſe, ex ABSYRTHO, non illaudato artis Veterinariæ Medico, prodit &c.

Ipſum vero generationis modum aſſignare perquam arduum eſt, ni plane impoſſibile; cum ad amuſſim ipſi quadret, quod de calculi in humano corpore ortu Medici ſagaciores quamvis & ingenioſiſſimi, fateri coacti fuerunt, videlicet rem eſſe obſcuram, intricatam, nobisque ſatis nondum huc uſque cognitam. Vt de calore & frigore nil dicam, cum nudas iſtas qualitates per ſe inſufficientes eſſe, plurimum jam demonſtratum ſit. Statuere autem ſuccum, humorem, auram, ſal vel ſpiritum λιθοποιητικὸν, lapidificum ſive gorgonium, rem non exhaurit, dum qualis nam ille ſit, an pure acidus, alcalicus, auſterus? & quomodo in animalis corpore ἐνέργειαν illam exerat? ignotum nihilominus remanet. HELMONTIUS quamvis hoc per diverſos illos ex urina ſeparatos ſpiritus clarius videretur explicare, cum tamen coagulatorem illum ſpiritum, utut laboraverit in urina equina reperire non potuerit, ut neque ſpiritum fermenti vel aquæ vitæ, hoc ipſo ſane Hippolitho generationem ex eo arduum foret deducere. Non poſtremum tamen hic locum obtinere ſpiritum ſalinum urinoſum, ipſum Hippolithi examen comprobat, ditiſſimum illo hanc eſſe evidenter demonſtrans. Unde a volatilis hujus alcali acidique morboſi, arrepta ſimul materia obvia idonea mucilagine &c. concurſu TACKENIUS calculi generationem deducit. Qua ratione vinum quoque ſuum contribuere valet ſymbolum, cujus ſcilicet partem volatiliorem, ut de Tartaro, quem in ſinu abſcondit nil dicam, acidum ocultum in ſe continentem, cum urinoſo coagulari eſt notiſſimum. Unde SCHNIZERVS apud HORNVNGIVM non adeo præter rem de vini ſitientiſſimo calculoſo equo agens, ſcripſiſſe vide-

videtur, dum dicit, forte quis hujus λιθογενεσίας cauſam οἰνόποσίαν putet? Neque obſtat LIBAVII objectio, quod & in bobus calculos obſervarit, a quibus tamen vinum non fuerat deguſtatum: Vinum enim ſolum & per ſe in cauſa utique non eſt, nec ſemper ad calculi generationem neceſſarium, aliis tamen cum cauſis concurrere poteſt. Simili modo lutum quoque vel terra nitroſa parietum, flagella fruticum & aquæ turbidæ, quibus delectati nonnullos equos, atque materiam lapidum inde congeri poſſe idem LIBAVIUS ſcribit, ſe habet.

Χελι-

Quod virtutes Hippolithi concernit, JORDANUS eum fortaſſe Bezoar vicarium eſſe ſcribit. HOFFMANNUS aliique vires quoque bezoardicas illi attribuit. Huic ſententiæ favere videtur ſimilitudo, quæ Caprarum bezoardicarum & inter equorum calculos intercedit, ſi color utriusque conferatur, qui variare quidem ſolet, ita tamen, ut cinerei etiam aut ſubcinerei quales utplurimum ſunt occidentales, dentur. Hic ipſe color in Hippolithis quoque majori ex parte conſpiciendus eſt, modo dilutiore colore, obſcuriore modo in iis apparente. Quamvis color ad fuſcum tendens eos pariter exornet, qui in officinarum Orientalibus bezoardicis lapidibus utplurimum ſe ſiſtit. Elegantiſſima præterea ſtructura nitidarum, ſibique ſuperimpoſitarum lamellarum, fundamenti loco corpus aliquod, ſupra quod ſcilicet concreſcunt, habentium, eadem eſt. Autopſia enim innotuit Hippolithos, quos frangere, aut aliqua ex parte in ſuperficie fractos videre licuit, egregio cruſtarum ordine præditos eſſe, in centro autem, præter alias res ſilicem minuſculum durum, qui cum pabulo aliaque occaſione, forſan deglutitus fuit, hæſiſſe, qui ſubcreſcentibus laminis baſin præbuit. Accedit inſuper odor urinoſus, quem, ut ſupra jam dictum, ubi teritur aut aliq modo tracta-

tractatur, emittit, naresque eo eminenter ferit ac ſi ſal aliquod volatile urinoſum objectum fuiſſet. In confeſſo autem eſt urinoſa illa, in malignitate debellanda, magnam obtinere efficaciam. LIBAVIUS ſtercoris equini ſuccum contra epilepſiam, peſtem vermes &c. præberi animadvertens, ad putrida venena Hippolithum quoque facere probabiliter credit, ſudoresque potenter movere, & craſſos ſuccos incidere poſſe arbitratur. Ut Ludus humanus a recentioribus nonnullis ipſi lapidi bezoardico præfertur, ob inſignes virtutes alexipharmacas, reſolventes, diureticas, præcipitantes &c. ita nullum dubium eſſe ſtatuit WEDELIUS, ipſummet etiam Hippolithum viribus pollere iisdem. Tandem SACHSIUS ſcribit lapidem quendam equinum inſtar lapidis Bezoar ſudorem moviſſe; Et SCHROEDERUS illius vires easdem eſſe cum Bezoar occidentali, experientiam docuiſſe innuit. Licet autem jam SCHROECKIUS fidem his minime deroget, hæcce tamen penſitanda offert. Tribus, inquit, columbis junioribus pulveriſatæ nucis vomicæ, ſingulis ſcrupulum unum exhibui cum mica panis aqua madefacti, in globulos redactum & paulo poſt duabus illarum Hippolithum pulveriſatum, primæ quidem unicum ſcrupulum, alteri vero grana viginti quatuor, itidem cum pane in globularem formam efformata; tertiæ autem columbæ lapidis bezoardici occidentalis grana viginti quatuor eodem modo, Hippolithi loco, deglutienda dedi, effectu dimidia vix elapſa hora ſe manifeſtante. Etenim duæ priores, quibus ſic dictus Bezoar ingeſtus fuit, convulſæ finiverunt vitam, tertia autem, quæ lapidem Bezoar occidentalem acceperat, nullum paſſa incommodum ſalva evaſit. Quod equidem experimentum tanti non facio, ut illo ſolo fretus, alexipharmacam virtutem Hippolithis denegare præſumam; cum non ignorem, plura

contra illud in medium proferri poſſe, uti, quod a ſimilibus experimentis in bruto aliquo inſtitutis ad hominem non valeat argumentatio, facile nobis non animadvertentibus, accidere quid poſſit, ſperatum quod remoretur effectum; non omne alexipharmacum omni veneno contrarietur: intercedere queat inter equinos calculos, virium ratione differentia; & quæ plura alia objici queunt; adducere tamen illud volui, quo dubio iſto ablato in rei veritatem, & ea, quæ de virtute iſta habentur, crebris experimentis tanto accuratius inquiratur. Mihi ſane majorem ſollicitudinem incuſſit, ne ſimili minus adhuc experto remedio prius utar, quam majori evidentia effectus ejus ſalutaris comprobetur. De corio enim humano hic luditur. Tentare autem ea in corpore humano, quæ non ſunt experientia probata, periculo non vacat. Interea Hippolithum non omni contra aliquos humanum genus infeſtantes morbos carere virtute vix ullus negabit. Laudatur enim etiam ad vermes atque fluxus alvinos. Doſis ad ℈j. ℈ij. &c.

LAPIS CHELIDONIUS.

Eſt Lapillus exiguus magnitudine ſeminis Lini, figura hæmiſphærica, colore luteo obſcuro ſplendente, aut etiam alio, parte convexa & rotundiore, purpureo & nigricante parte ſeſſili.

Lapi-

Χελιδονίας λίθος, CHELIDONIA GEMMA, LAPIS HIRUNDINUM, Schwalben-Stein / PIERRE D'HIRONDELLE.

De Natura hujus lapidis inſignis adhuc inter eruditos eſt controverſia, quibuſdam in ventriculis pullorum Hirundinum generari credentibus, aliis non eſſe niſi lapillos deglutitos & ab attritione ventriculi

triculi politos cenſentibus, aliis eſſe revera lapillos hinc inde in terra reperiundos autumantibus. Qui primum ſtatuunt allegant, quod, ſicuti in aliorum animalium ventriculis generari queant lapilli, ita & harum avium in ventriculis tales concreſcere poſſint. Qui ſecuncundam fovent opinionem, dicunt quod in ventriculis hirundinum juvenum inveniatur, quibus a matre, mox ubi excluſi fuerint, exhibeatur: Cum pulli hos lapillos habent, ita inſidere nido perhibentur, ut roſtra conjungant. ANSELMVS BOETIVS ſe in hirundinibus ſæpe eum quæſiviſſe ait ſed non inveniſſe. Audiamus THOMAM BARTHOLINVM ita, hac de re diſſerentem. Chelidoniorum, quos vario colore ac ſpecie vivis juvencularum ventriculis exemi, multos perquam ſimillimos reperi in ora maritima, ſic ut credam eos inde a grandioribus aliave fluminis ripa collectos recens excluſis pullis per roſtrum inſeri atque intrudi, quo delicatulus ventriculus ſpatioſior factus eſcas ſuas, vermiculos, inſecta, eo facilius citiusque recipiant & ad avolandum maturentur. SCHWENCKFELDT dicit ſe plures Hirundines ſecuiſſe, & lapillos reperiſſe ſed vulgares. VELSCHIVS in Hecatoſt. hunc in modum loquitur, falſum eſt in nidis Hirundinum lapides Chelidonios reperiri. Habemus quidem ex illis plures ſed vulgariſſimos lapillos omnes, ſiliculos albos, rufos, nigros exiguos, ſolidos denſos obſcuros, nulla ſui parte perſpicuos. Ex ipſis quoque pullis hirundinum diſſectis ſæpius exemimus, rubros & nigros pleroſque tam e ventriculo, quam ex hepate. Ex his itaque comparet Chelidonios dari lapides in ventriculis quidem reperiundos ut & in nidis, ſed non ibidem fuiſſe generatos, ſed aliunde apportatos, eosque utplurimum lapillos vulgares. Qui autem pro Chelidoniis venditantur utique ad minerale pertinent regnum. Supra citatus VELSCHIVS hæc pronunciat. Frequens quondam apud nos Chelidoniorum lapidum uſus erat, non tantum ſi oculis aliquid incidiſſet, ſed etiam ad cerebri affectus & epilepſiam maxime infantium adhibitos fuiſſe novimus. Lævigatiſſimi ſunt & fere rotundi omnes, ſive oblongi pauci rudes & ſcabri non tamen vere Chelidonii dicendi. Opali enim ſunt, ſed non genuini, verum ignobiles ac ſpurii unde & pſeudoopalos appellavimus & pſeudochelidonios. KOENIG in regno minerali hunc in modum loquitur de CHELIDONIIS. Illi Chelidonii potius Pſeudoſchelidonii dicendi ſunt lapilli albidi, ſubalbidi lutei, cinerei atque cœrulei, di-

verſarum figurarum oblongi, quadrati, triangulares &c. ſplendentes & quaſi politi, qui in præfectura Sanenſi ditionis Bernenſis in monte ſaxoſo Doronaz dicto inter ſabulum reperiuntur, quos Agyrtæ a ſordibus lutove aqua purgant, eosque pro Chelidoniis venundant, atq; ignaris imponunt: quibus, præterquam, quod vim habeant, antepilepticam oculis immiſſis eos a quisquiliis in eos illapſis expurgandis admirandos effectus affingunt. Lapillos hos inter rariora Helvetica JOH. BAPT. PLANTINUS in HELVET. ANTIQ. & NOV. recenſet. Atque procul dubio hi ipſi ſunt, quorum quoque mentiotionem GUIL FABRICIUS HILDANUS in obſerv. hunc in modum facit: Non ita pridem, inquit, venit ad me impoſtor quidam qui ſe ad aliquot millia (intellige Chelidonios) invenire poſſe gloriabatur, mihique plus quam centum monſtraverat, quos veros etiam & legitimos aſſeveraverat, an vero ex hirundinibus exempti fuerint affirmare noluerat. Afferuntur etiam ex Melitenſi inſula Lapilli Chelidonii, quos incolæ ſerpentum oculos petrificatos appellant. In ea opinione, quod lapilli Chelidonii pertineant ad regnum minerale, confirmat ſic dictus LAPIS SARCENAGENSIS, PIERRE DE SARCENAGE. Eſt lapillus exiguus lentis magnitudine durus politus, tactu gratus, gryſei, albicantis, fuſci aut rubicundi coloris, qui reperitur in monte Sarcenage dicto non multum a Gratianopoli in Delphinatu diſtante, eadem ac Chelidonius lapis ratione inſervit in everrendis oculis, dum enim aliquid illapſum eſt, immittitur, & ibidem agitatur, ſic ſorditięs adhæret & una cum ipſo lapillo elabitur. Præter hoſce lapides fidem adhuc faciunt tres Chelidonii, quos ipſe poſſideo. Unus eſt coniformis in baſi quæ ſubtus plana eſt & parumper excavata lente duplo major, ſurſum in cuſpidem deſinens, aliquot lineas altus, quoad dimidiam inferiorem partem & ultra coloris fuſci, in ſuperna ex albo flaveſcens, oculum quaſi repræſentans, politus atque reſplendens. Alter eſt lentis majoris magnitudine in parte ſuperna convexus in altera concavus, colore fuſco utrinque reſplendens. Tertius eſt ſecundo paulo minor ſuperne convexus inferne planus coloris flaveſcentis opali inſtar egregie nitens exacte ut reliqui politus.

Non poſſum non hinc cum VELSCHIO aliisque hos lapides referre ad Opalorum genus, quod varium etiam eſt Poſito jam, quod etiam in nidis imo ventriculis Hirundinum fuerint inventi, probabile

bile tamen quam maxime videtur, hos ab Hirundinibus ad nidos ſuiſſe deportatos aut pullorum oribus immiſſos, & quid impedit, quo minus tales lapilli colorati atque ſplendentes, tum in montibus eorum ſuperficie & viſceribus, tum alibi quoque ad maris oras & fluminum ripas cum & ſub arena occurrere poſſint, cum, ut in antecedenti tractatu docuimus, in ipſa quoque Alſatia Amethyſtos in Bruſca reperire datum fuerit.

Mus,

Lapidi huic Chelidonio magnam, ut loquitur TILLINGIUS, energiam in morbo comitiali propulſando attribuunt TRALLIANUS, MARSILIUS FICINUS, LEVINUS LEMNIUS, GEORGIUS AGRICOLA aliique complures, dicuntque albicantiorem capiti aut auribus impoſitum extemplo collapſum excitare, nigriorem idem efficere, ſi cuti alligetur. Dioſcorides voluit hujusmodi lapides erui e ventriculo pullorum Hirundinum primo partu excluſorum & quidem ineunte autumno luna jam creſcente. Nugæ: Porro illi, inquit, priusquam terram attigerint in vitulina vel cervina pelle poſiti, collo vel ſiniſtro alligentur bracchio & proderunt comitialibus, & ſæpe eos prorſus recreabunt. Lapidem hunc chelidonium manu detentum aut capiti lino alligatum veterrimos & antiquos capitis dolores demulcere (modo tamen terræ attactu facultatem non amiſerit) legimus: linteo etiam vel croceo panno incluſum, colloque appenſum quartanam delere, dextro bracchio alligatum hepaticos perfecte ſanare, ſcribunt Authores. Rufi coloris lapis linteolo exceptus ac ſub ſiniſtra axilla geſtatus, maniam, epilepſiam & inſanos curare geſtantemque omnibus gratum acceptumque facere ac facundiam augere cenſetur. Nigri coloris lapis ſimiliter a multis creditur gratiam Principum conciliare, & efficere, ut incœpta negotia quævis quis pro animi ſententia abſolvere poſſit. Credat Judæus Apella.

Apella. Aureo globulo incluſus chelidonius colloque appenſus omnem oculorum dolorem perpetuo avertere perhibetur: in quem uſum etiam tritus collyriis adhibetur, aut ex aqua decoquitur oculisque inſtillatur quos recreare mirum in modum creditur. Id comprobatum experientia, quod oculis impoſitus lapillus, quæcunque in oculum inciderint, facile absque dolore ſecum educat. Verum id omnes lapides læves & qui angulis carent, idem margaritæ politæ, ſi oculis imponantur, & hinc inde volvantur, præſtant.

MUSCERDA.

Eſt Muris domeſtici minoris ſtercus in granis nigricantibus conſpicuum.

CARO

Μῦς, μῦς κατοικίδιος, μύσκος, Mus vel a μύειν quod eſt abdere ſe in latibula ſive inlatebrare vel a Perſico mus quod idem ſignificat. MUS MINOR, MUS DOMESTICUS, MUSCULUS, eine Maus/ un SOURIS.

Eſt beſtiola notiſſima, corpore parvo, caput habet longiuſculum, caudam proceram, colorem cinereum imprimis, timida, velox, & callida, fere omnivora & omnia rodens, vitæ breviſſimæ, ſed ſalacitatis ſummæ.

Animal eſt fere omnivorum. Caſeos multos cum invenit, optimum eligit cæteris ſpretis. Poma ac Pira etiam devorat, habito ſubinde delectu, quandoque ſegetes populatur. Agris, hortis, horreisque magnum inferunt damnum mures. Aquam eos bibere negat Ariſtoteles. Sed ſæpe cibum & potum, mures cum avibus cepiſſe obſervatum fuit; Quin & ſputa hominum lingunt inopia aquæ.

Mus præcellit odoratu. Hinc odoribus allicitur facile & muſcipulis capitur. Vox muris exilis eſt, ſibilum edunt potius quam clamorem. Vocem HOMERUS per ἐξαλολύζειν expreſſit. Motum Mures habent velocem. Noctu diſcurrunt, interdiu fere dormiunt.

Lumen

Lumen noctu odio habent, quod oculorum aciem perſtringat. Omnia fere rodunt inquinant & inutilia reddunt. Degunt ſub terra & perforant lignea pavimenta, ut cibatum eant. Plura ſibi formant labitula, timidi enim ſunt, & feles atque muſtelas exhorreſcunt. Elephantes dicuntur horrere mures, id quod etiam non pauci inter homines faciunt. Mus Muri favet. Lapſos in aquas extrahunt, tenentes mordicus caudas.

Salaciſſimi ſunt mures, pariunt viva animalia & duodecim ac plures uno edunt partu. Ex putredine aut quisquiliis mures naſci quidam ſomniarunt. Helmontius e frumento & induſio ſordido putrefactis mures non quidem parvulos aut lactantes, nec minutulos aut abortivos, ſed prorſus formatos mures exiliſſe tradidit. Fabula exinde ortum forſan traxit, quod ſæpius mures ſub terra in putrefacto & corrupto reperiantur, ita ut compareant quaſi vel toti vel quoad partem lignei exiſterent. Nota eſt Hiſtoria de muribus Altdorffii in tabulato hypocauſti vetuſti in Alumneo, pariete innatis. Merentur, quæ de his STURMIUS ad VOLCKAMMERUM ſcripſit, hic allegari, verba ita habent. Tibi teſtor, in hunc usque diem per ora plurimorum etiam non ex vulgo hominum circumvolitare traditionem de muribus in Alumneo Collegii noſtri gigni ac reperiri ſolitis, qui parte corporis anteriore, ſive una, carneam, oſſeam &c. verbo ſolitam & ordinariam ſubſtantiam, animalemque ſtructuram evidenter exhibeant, altera vero poſtica toti lignei ſunt, e putri quippe ligno prognati, ac tum cum tales cernuntur, adhuc imperfecti & ſemielaborati, ſed totam hanc narrationem non niſi nugas eſſe & aniles fabulas. Inquiſivimus noſter HOFFMANNUS Junior & ego ſeorſim uterque & alter altero inſcio; inſpectavimus intentis oculis & luſtravimus circumſpecte oblatas ex ejusmodi muribus partes, uti credebantur, lignoſas; agnovimus uterque excreſcentias illas ſubaldibas, quæ forinſecus illis adhærebant, ad interiora neutiquam penetrare, ſed extimam tantum cutim attingere, vidimus diſtinctiſſime, adhibitis etiam, certitudinis majoris ergo, microſcopiis, id quod in credulorum oculis lignum utrumque mentiebatur, quidvis aliud quam lignum eſſe, judicavimus denique & agnovimus appendices iſtas candicantes ex putredine quadam enatas quidem, ſed in parte hac aut illa jam geniti perfectique animalis oborta, non in ligno, tanquam ejus gignendi demum materia antegreſſa; Verbo

cen-

cenſuimus unanimiter ſcabiei & ſuppurationis quoddam genus id eſſe, quod induratum poſtea, ligni putridi ſpeciem oculo fugitivo & negligentiori ingerere poterat, ſolo illo infirmiſſimo notatæ obiter duritiei & offerentis ſeſe prompte coloris candicantis argumento. Hæc ſunt, quæ circa Altdorfina ita ζωόζυλα, Scholaſticorum σισηρ·ζύλα nihilomagis poſſibilia monenda duxi. Hæc STVRMIVS. Sed poſito etiam quod tales mures reperiantur ligno quaſi obducti. Quid impedit? quo minus cum MERCKLINO aliisque dicamus, quod dum mures pariunt, fœtus in lignum corruptum deponunt, ſcobs ejusmodi, ob mucum, quo obducti ex matre exeunt, adhæreat partibus externis & cum illo poſtmodum quaſi cum glutine invdureſcat atque ſic firmiter adhæreſcat. Non itaque exinde poſſum argumentari, quod e ligno putrido per generationem æquivocam producantur mures.

Hæc fabula æque vera eſt ac altera qua aſſeritur ſolo Salis linctu impleri Mures.

Mures cinerei potiſſimum ſunt coloris, alterius tamen coloris nigricantis, ruffeſcentis &c. reperiri conſtat. Imprimis non adeo rari ſunt mures toti albicantes & nivei.

Mures dicuntur ex domibus aufugere, quibus ruina imminet, pluviæ quoque indicium præbent, ut quidam volunt, ſi fortius diſcurrant aut moveantur.

Mus

CARO MURIUM calida eſt & mollis atque nonnihil pinguis. Sed comedi non debet niſi urgente extremitate. Mures elixi in cibo & pro cibo dati infantibus impedire perhibentur, quo minus noctu ſtragula permingant. Mus diſſectus & impoſitus extrahit aculeos, ſpicula, ſagittas &c. curat plagas Scorpionum, extrahit venenum & podagras lenit. Carnes cum crudo ovi luteo oculorum inflammationi medentur.

CINIS MVRIS cum melle inſtillatus aut Roſaceo decoctus aurium dolorem ſedat. Interne cinis commenda-

tur

tur ad mictionem involuntariam. Capita muris uſta ſeu calcinata cum melle miſta & partibus glabris & calvis illita ſolent curare alopeciam, uti cum aliis docet ETTMULLERUS. Mures domeſtici parvi abſciſſis pedibus, capite & inteſtinis cum pelle rejectis, combuſti in forma pulveris ad epilepticos puerorum inſultus laudantur, ſi ℈ß, ℈j vel ℈ij. in aq. Cer. n. flor. til. &c. exhibeantur in paroxyſmo etiam graviſſimo.

MUSCERDA ſeu MURIS STERCUS, STERCUS MURINUM, μυοχόδος, μυοδόχος, Mäuſekoth/ excrement de Souris, dicitur alias Officinis ALBUM NIGRUM: mirabiliter alvum laxat & eſt, ut cum ETTMULLERO rurſus loquar, experimentum muliercularum a RULANDO in CURATIONIBUS notificatum, pro purgandis infantibus. Sumitur granum i. vel alterum ad grana iij. Muſcerdæ, & uſurpantur vel perſe pulveriſata cum pulmento, vel grana hujus iv. v. vel vj. cum lacte trita & per linteum trajecta eleganter infantes laxant, gr. vij. vel viij. in infantibus adultis fortius laxant; potentius ſtimulant quam clyſteres: Unde etiam adultis vij. murium ſtercora in morbo iliaco pro reſeranda alvo multum laudantur; ſicut muſcerda in ſuppoſitoriis & melle frequentiſſime adhibetur, quæ dicuntur acuta, quoniam valde ſtimulant: unde permiſcetur etiam clyſteribus pro ſtimulanda alvo & inteſtinis. Stercus Murinum porro detritum cum aceto & illitum furfures capitis abſtergit & Alopeciis medetur, cum thure & Mulſo calculos expellit dicente SCHWENCKFELDT. Condylomata omnisque generis verrucas, ficus, mariſcas & mora ani tollit id quod etiam Cinis præſtat. Sunt qui interius exhibent ad ℈j. ʒß. & ultra.

URINA MURIS parti cuidam aſperſa eandem erodit, ſi credimus famæ.

PELLIS detracta & impoſita ganglio opitulatur.

MORSUS Murium curatur impoſito ſucco allii ut docet GESNERUS,

SANGUIS Murium commendatur ad verrucas.

Hac occaſione de Mure Araneo, Aquatico, Agreſti, atque Sylvatico liceat mentionem injicere paucis.

MUS ARANEUS, Μυγάλη DIOSCORIDIS, Mus domeſticus minimus, SOREX nonnullis, vel a ſono, quem in rodendo edit, vel quod in modum ſerræ res præcidat, aut quod ex putri utplurimum materia naſcatur, (quæ tamen fabula ſupra rejecta fuit,) σορὸν enim apud Græcos putridum ſignificat. Dicitur etiam mus domeſticus minimus, ein Zißmauß/ ein Spitzmauß/ ein Mutzer.

Juxta SCHWENCKFELDT, Muri domeſtico eſt ſimilis, ſed minor, colore magis ad fuſcedinem tendente, cauda brevi & roſtello admodum porrecto & acuto. Ocelli minutuli & nigri, ut vix conſpici poſſint. Dentes tenues duplici ordine nati in utraque maxilla in bifidos mucrones deſinunt. In domibus, ut cæteri mures, oberrat, at minus frequens. Hunc feles quidem capiunt, ſed ut venenoſum non edunt.

Morſus ejus venenatus creditur, diſſectus tamen & impoſitus ſui morſus veneficia luit.

Uſtus cum axungia anſerina permixtus affectibus ſedis experimento ſingulari medetur.

Mus araneus detracto pelle demptis viſceribus & capite truncato pulveriſatus ex aqua florum Tiliæ propinatus Epilepſia correptis in paroxyſmo exhibetur. Hæc SCHWENCFELDT.

Morſu

MUS AQUATICUS, Μῦς ἔνυδρος, MUS AQUATILIS, RATTUS AQUATICUS, ein Waſſermauß/ ein Waſſerratz.

Magnitudo ei fere eſt Muris agreſtis colore nigro, cauda breviore. Amphibion eſt animalculum & herboſis amnium ripis frequens.

Ra

Radicibus vivit & piſciculos vorat, veluti gobiones fluviatiles, Alburnos, fœtus Lucii, Salaris, Barbi, aliorumque piſcium.

Morſu ferox eſt, ſæpe manus piſcatorum mordet; cum ex foraminibus riparum cancros fluviatiles extrahere volunt.

Mus Agrestis, Μῦς ἄγριος, Mus Sylvestris, Mus Subterraneus, Nitedula Servii, ein Erdmauß/ ein Ackermauß/ ein Schaarmauß/ ein Feldmauß/ ein Erdſchluſſel/ ein Erdſchuſſel.

Magnitudine talpam fere æquat, coloris fuſci, nigris in facie maculis.

Peſtis maxima ſegetum & hortorum.

Omnis generis radices & fruges congerit. Aliquando hyeme ſæviente ſub nivibus tenellas arbuſculas prope radicem ſicut Lepus arrodit.

In cinerem redactus & cum melle oculis illitus eorum obſcuritatem aufert viſumque acuit.

Vene-

Mus Sylvaticus, Μῦς ἀρουραῖος, Mus Avellanarius Mus Corylinus, Mus Sylvestris, Agrestis, Sorex Plinii.

Longitudo ei dodrantalis. Color murinus per tergum & latera magis ruffus præſertim in capite. Auriculæ magnæ, glabræ, venter candidus, nares & pedes rubicundi. Cauda tota hirſuta, barba partim alba, partim nigra. Oculi majuſculi eminentes, nigerrimi.

Arbores ſcandit, ſemina pyrorum & alios fructus imprimis nuces Avellanas pro hyberno pabulo congerit. Autumno Turdelas & alias aviculas per laqueos in ſylvis captas inſequitur, in quibus ſæpe implicatur & retinetur. Hybernis menſibus in terra ſe recondit, & maximam partem dormiendo tranſigit.

Venenum eſſe ſunt qui exiſtimant, ut docet SCHWENCKFELD, ex quo hæc deſumpta ſunt.

NIDI HIRUNDINUM.

Sunt Hirundinum imprimis domeſticarum ex luto feſtucis implicito efformati.

A pau-

HIRUNDO ab hærendo dicta putatur, quoniam tectis vel trabibus ædium, in quibus nidificat, adhæret. A Græcis χελιδὼν, χελιδὼ, κοτίλλη, κεκρόπις, κωτίλλες, ἀκτυεόρα, ἀδωνὶς, κρὶες & ὀλολυγόνα vocatur. VAGAM VOLUCREM, Cavidius: DAULIDEM AVEM Plutarchus; BISTONIS ALITEM Seneca; PANDIONE NATAM alii dixere; Germanice ein Schwalb / Schwalm / Gallice HIRONDELLE appellatur.

Genera Hirundinum ſunt varia: apud ARISTOTELEM tria leguntur. Sunt enim domeſticæ, ſunt marinæ & ſunt apodes. PLINIUS genera quatuor tradit, DOMESTICAS, RUSTICAS, APODAS, & RIPARIAS.

DOMESTICÆ dicuntur URBANÆ, quæ nobiſcum degunt, Hauß-Schwalben/ Giebel-Schwalben/ ineunte vere ad nos veniunt, nunciæ veris ob id dictæ, æſtate finita a nobis diſcedunt. Caro illis modica & nigra. Pars corporis ſuperior itidem nigra. Inferior, quæ venter, alba. Color cœruleus ad latera per caput & alas. Rubeto ſub gutture & pectore. Hinc VIRGILIO dictæ nigræ, ARISTOPHANI ποίκιλαι variegatæ, SIMONIDI apud ATHENÆUM cyaneæ ſive cœruleæ. Cauda longa & bifurcata. Pedes nigri breves debiles. Offerunt ſe quandoque albæ ſed admodum raro.

RUSTICÆ ſive AGRESTES imo ventre ad collum usque albicant; reliquo corpore nigræ ſunt. Pedes habent pennis obveſtitos: PLINIUS refert, eas raro in domibus nidificare: & nidos figura diverſos a nidis domeſticarum, ſed materia eadem confingere, totos ſupinos, faucibus porrectis in anguſtum, utero capaci: mirum qua peritia & occultandis pullis habiles, & ſubſternendis molles. Vo-

cantur

cantur Kirchen-Mauer-Berg-Schwalben: quia exterius in parietibus templorum in muris etiam & montibus nidificant. Inſeſtæ ſunt muſcis. Inimicæ quoque paſſeribus. Hi enim initio veris, antequam hirundines revertantur, nidos illarum præoccupant. Nidum claudunt luto usque ad arctum foramen, per quod intrant & exeunt. Quod ſi paſſer intraverit & non exierit, hirundines nidi foramen luto obturant, ipſumque paſſerem, illegitimum domus incolam ſuffocant. Poſtea foramine iterum aperto, paſſerem ejicit illa ad quam nidus pertinebat. Appellatur nidus ab OVIDIO in faſtis opus luteum, quod Hirundines ſub celſa trabe figunt. Dicitur & eleganter thalamus palearis & thalamus lutoſus.

HIRUNDINES APODES, non quod pedibus careant, ſed quod breviores habeant, teſte ARISTOTELE, qui eas hirundinibus adeo ſimiles eſſe, ait, ut ab iis nonniſi hirſutis tibiis diſcerni queant. Nidum ait idem ſpecie ciſtellæ longius productæ, ex luto fictæ, uno dato aditu eoque arctiſſimo faciunt: idque locis anguſtis inter ſaxa & ſpecus, ut & beluas devitare poſſint & homines: a loco habitationis Stein-Schwalmen a quibusdam nominantur, Geyer-Schwalben/ Spyr-Schwalben etiam audiunt. Unicolores ſunt, pennasque gerunt murium pilis colore ſimiles. Plumoſæ ſunt valde. Volaces enim propter pedum infirmitatem & brevitatem. Ideoque natura pedum parvitatem alarum plumis compenſavit. Hinc illud ARISTOTELIS, ut pennis prævalent, ita pedibus degenerant. Perpetuo fere, ſi ita loqui fas eſt, circumvolitant, nec conſidunt unquam. Nulla enim in his quies, niſi in nidis aut pendent aut jacent. Extra nidos, ut loquitur SCHWENCKFELDT, ſemper μετέωροι ſunt. Inſectis per aëra volitantibus, muſcis, apibus, nec non & araneis victitant.

RIPARIÆ HIRUNDINES, inquit PLINIUS, ripas excavant atque internidificant: nidos non formant, migrantque multis diebus ante, ſi futurum eſt, ut amnis auctus attingat, GESNERUS ſcribit Waſſer- & Rhein-Schwalmen vocari, quod prope aquas & Rheni aggeres nidulentur, Vocatur & græce δρεπανίς, χελιδὼν θαλαττία, HIRUNDO FALCULA, RIPARIOLA, Ufer-Schwalmen. Convenientiam hanc habent cum hirundinibus omnibus, quod pedibus ſint curtis, multum volent & inſecta in volatu captent. Differunt autem ab illis nidificandi ratione, & quia caudam non habent,

bent, ut illæ biſurcatam. Fœmina parte ſupina ſuſca eſt; mas magis nigricat, prona candicant, excepto pectore.

Abeunt a nobis Hirundines menſibus hybernis aut rectius oriente Arcturo, hoc eſt, circa principium auctumni. Diutius manentes intereunt. Redeunt autem initio Veris menſe Martio. Quorſum abeant dubitatur. Liceat cum SEBIZIO varias allegare opiniones. ARISTOTELES ſcribit viſas eſſe hirundines in anguſtis convallium nudas & omnino deplumes. Non enim omnes, quæ hyeme occultantur, ad tepidiora loca ſe conferre, ſed quibus loca ejusmodi vicina ſunt ſolitæ ſedi, illas eo ſecedere, ut agere Milvos & Hirundines obſervatum. Quæ autem procul ejusmodi locis morantur, ſedem non mutare, ſed ſe ibidem condere. IRENÆUS aſſerit loca, quo ſe recipiant hirundines, homines latere. PLINIUS docet hirundines in fine æſtatis recedere quidem a nobis, ſed in vicina loca abire, apricos ſecutas montium receſſus, inventasque jam eſſe ibi nudas atque deplumes. ALBERTUS M. refert, animadverſum eſſe, hirundines in arboribus quibusdam cavis ſeſe occultaſſe, & accidiſſe iſtud in quadam ſuperioris Germaniæ ſylva, ubi inventa ſit quercus putrida, quæ inciſa plena fuerit hirundinum. Quod in cavis arboribus hyberno tempore ſeſe occultare ſoleant, alii quoque authores teſtantur, ſcribuntque eas glomeratim invicem adhærere ſuosque ſe calore mutuo fovere. OLAUS MAGNUS notat, tametſi Zoographi memoriæ prodiderint, hirundines appetente hyeme latere ſub glacie in aquis; verum hoc eſſe probat teſtimonio piſcatorum, qui eas ſæpius extrahant in modum maſſæ conglomeratæ. Nam deſcenſuræ poſt initium Autumni ſeſe colligare ſolent ore ad os, ala ad alam, pede ad pedem, inter cannas ſive arundines. Obſervatum quoque illas eo tempore ſuaviſſimo peracto cantu ita deſcendere, & poſt Veris principium inde rurſus evolare, veteresque nidos repetere vel architectari novos. Has conglomeratas Hirundinum maſſas, ait idem OLAUS, pueros extrahere & portare in hypocauſta: in quibus quidem hirundines calefactæ volare incipiant, ſed exiguo tempore durent: quoniam non ſpontaneo naturæ motu redierunt, ſed coactæ & ante debitum tempus. Fieri etiam dicit, ut verno quidem tempore revertantur ſua ſponte: ſed ſi frigus denuo ſuperveniat intenſum, nivesque cadant altæ omnes emori, ut nullæ neque ſub tectis neque in fluminum ripis tota ſequenti æſtate cernantur,

tur, præter pauciſſimas, quæ tardius e profundioribus aquis aſcenderunt: aut ſe receperunt ad loca alia, ubi naturæ inſtinctu ſobolem propagarunt novam & hyeme prorſus ſoluta menſe Majo advolare ſolent. ALDROVANDUS addit perſcriptum ad ſe eſſe hirundines eadem etiam ratione in Sileſia, Bohemia, Polonia, Moravia, viciniſque regionibus ſub glacie in aquis deliteſcere. Imo ſe ineunte hyeme & in ciſternas & puteos paſſim præcipitare. Hæ ſententiæ, judice SEBIZIO, ex quo hæc omnia deprompta, inter ſe non pugnant, ſed duntaxat de diverſis Hirundinum habitationibus hyberno tempore atteſtantur. Ideoque ſive in convallibus, ſive in montium receſſibus, ſive in arborum carioſarum & putridarum cavitatibus, ſive ſub glacie in aquis, ſive in puteis atque cyſternis eas hyemali tempore verſari dicamus, nihil abſurdi ſtatuimus. Has enim earum habitationes eſſe hominum fide dignorum obſervatio docuit. Miraculum ſane eſſe videtur Divinæ providentiæ tribuendum, quod Hirundines aves ſint frigoris impatientes & propterea adventante hyeme, nidos derelinquant; & tamen, uti dictum, in convallibus, in aquis ſub glacie in cyſternis ac puteis, & quidem in plagis ſeptentrionalibus ubi homines ſæpe bene veſtiti ob frigoris ſævitiam intereunt, hybernis ſeſe menſibus ſuſtentare valeant.

Victum Hirundinum quod concernit, ſcribit ARISTOTELES, eas carne veſci, cui ſuffragatur PLINIUS docens ſolas hirundines carnes manducare ex iis quæ ad uncos ungues non habent. Fides ſtet penes auctores. Paſcuntur autem ſolæ avium nonniſi volatu, & inter volandum. Victitant inſectis: utpote apibus, muſcis culicibus & aliis.

Vox Hirundinum prefritinnire, trinzare vel drinzare, zinzilulare, minurizare a Latinis, per ψιτυρίζειν, τιτυβίζειν & τιτύζειν a Græcis exprimitur. Ad gradiendum ſunt ob pedum brevitatem & infirmitatem ineptæ. Proinde vel ſedent vel volant. Feſſæ inſident domibus, earumque partibus aut arboribus & plerumque canunt. Canunt autem potiſſimum mane ſub diluculum; & eſt iſte illarum cantus indicium auroræ jam ortæ: qui tamen moleſtiæ hominibus plurimum, nihil voluptatis & jucunditatis affert. Garritus potius eſt, quam dulciſonus cantus. Unde & a VIRGILIO garrulæ cognominantur. Nulli avium volandi celeritate cedunt Hirundines: quin potius alias ſuperant; adeo ut mirum videatur, quo modo

tam

tam exiguæ aviculæ tamdiu volatum protrahere queant. Hæc celeritas & flexuoſitas volatus etiam facit, quo minus hirundines ſint rapinis rapacium animalium obnoxiæ.

Cum multa alia, etiam, fera docilia ſint & cicurentur, indocile ingenium hirundinibus eſt. Ingenioſæ autem ſunt nidorum fabricatrices, quos, ut ARISTOTELES docet, ex luto formant, adeo affabre, ut fateatur libere eas intelligentiæ rationé in iis effingendis præ ſe ferre. Etenim hirundines implicito luto feſtucis confingere ad normam lutariæ paleationis: & ſi quando luti eſt inopia ſe ipſas madefacientes in pulvere omnibus pennis volutare. Stragulum etiam ſibi more hominum, facere, duriora primum ſubjicientes & modice totum conſternentes pro ſui corporis magnitudine. PLINIUS quoque dicit hirundines nidum mollibus plumis floccisque conſternere, tepefaciendis ovis, ſimul ne durus ſit infantibus pullis.

Hirundines multos generant pullos, ſed cœcos. Plinius addit bis (quod quandoque contingit,) parere in anno. Impertiunt pullis ſingulis cibum, obſervantes conſuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat. Coitus earum mirus eſſe dicitur, & cum nulla ave alia communis. Cætera namque aves a maribus conſcenduntur, hirundines autem averſæ coeunt, ut genus papilionum, quem tamen coeundi modum ALDROVANDUS valde ſuſpectum habet. Bis anno quinque ova magnitudine olivæ, ferrugineis maculis conſperſa pariunt. Fœtus educatio ſumma peragitur a mare & fœmina æquitate. Alterant cibum & a primo natu finitur in ultimum. Nil amplius qui accepto cibo locum mutavit, accipit, donec in priſtinum redierit.

Quemadmodum Hirundines ſunt nunciæ Veris ſuo adventu & hyemis præſagæ ſuo a nobis diſceſſu: ita volatu ſuo pluviam portendunt, quando huc & illuc volitantes parietibus ſubinde adhærent, vel humiles usque adeo feruntur, ut pedibus humum verrere & pulverare, aut ventre aquas, ſupra quas volitant, attingere videantur. Hirundines, inquit PLINIUS, pluviam prædicunt, cum tam juxta aquam volitant, ut penna ſæpe percutiant, ſeu quod tum muſcas & alia animalia venentur, ſeu, quod commotam ſurſum auram exhorreſcentes deorſum provolent.

Hominis videntur eſſe amantes, quia cohabitatione ejus gaudent: foris & intus in ejus ædibus nidulantur; pullos inibi excludunt, &

naturæ

naturæ lumine norunt, ſe ab injuriis illius tutas eſſe: Proinde recipi tanquam hoſpites adventantes in principio Veris, bona vero cum venia rurſus dimitti, æſtate finita.

IN

A pauperculis Hirundines admittuntur in cibum. A lautioris fortunæ hominibus plane reſpuuntur, quoniam alimentum ex illis noxium eſt. Sunt enim hirundines animalia ſicca & præcalida.

Omnes Hirundinum partes ſale volatili ſcatent & ob id egregias ſuas vires in variis morbis curandis præſtare videntur. Officinæ ex iis eligunt vel integras, vel has vel illas partes.

Juxta PLINIUM Hirundines totæ devorantur adverſus quartanam. Hirundines integræ oculorum hebetudini & lippitudini ſuccurrunt. Hirundines, uti ficedulas, in cibo, aciei viſus medicamentum præbere & tam pullorum quam matrum in fictili olla crematarum cinerem cum melle oblitum oculis claritatem adferre ſcribit DIOSCORIDES. Hinc alii, ut MATTHIOLUS meminit, ad acuendum viſum hoc cinere utuntur, vel eas quoque arefactas drachmæ pondere bibendas exhibent. Pulli Hirundinum aſſi vel elixi, ut refert MARCELLUS, in cibo ſæpius ſumpti oculis caligantibus mirifice proſunt. Adverſus canis rabidi morſum laudant Hirundinis decoctum epotum: integræ epilepſiæ ſpecifice ſuccurrunt. Hinc aqua ex iis deſtillata ſale earum volatili impregnata contra morbum caducum admirandæ virtutis eſt. Hirundines comeſtas caducos ſanare ſcribit SEXTUS. Sal Hirundinum volatile ex integris deſtillatum, in aquis Hirundinum baſin conſtituit, & ob id ejusmodi aquæ adverſus epilepticos inſultus potentes ſunt, apoplexiam antevertunt, vertiginem curant, incubo ac para-

lyſi auxiliantur, ac infantium convulſionibus ſtrenue medentur. Sal autem hoc volatile ex hirundinibus hoc modo elicere poſſumus, ut docet MATTHIAS TILINGIUS in Ephem. Nat. Curioſ. Pulli Hirundinum vivi numero xx. vel xxiv. in vino ſuffocati, immittantur in cucubitam vitream & ſtatim appoſito alembico ac juncturis circumlitis relinquatur in loco tepido per diem unum aut alterum, poſtea deſtillando evocetur tota humiditas per MARIÆ BALNEUM ad ſiccitatem pullorum. Hos exſiccatos, deplumatos & contuſos, retortæ vitreæ committito & in arena vel igne etiam aperto collocato; præpoſitoque recipiente deſtillato, augendo ignem per gradus, ad totalem radicalis humiditatis expulſionem & Hirundinum combuſtionem quoad retorta tandem candeat. Prodibit ſpiritus naturæ ſalinæ, una cum ſale volatili, paſſim collo retortæ & recipientis lateribus adhærente, ac urinoſum quid olente, cum oleo fœtido ac craſſo rubicante: quæ tria ad invicem commixta ac ex collo retortæ, quin & lateribus recipientis ſtudioſe collecta, immittantur alembico ſatis alto, vitreo, præpoſito recipiente probe munito; fiatque deſtillatio vel ſublimatio ex arena (in balneo enim Mariæ ſalia volatila non æque ac in arena ſublimantur) quousque videris ſalem volatilem elevari ad capitellum aut ſupernam regionem alembici aut phialæ; continuetur ignis ad omnimodam dicti ſalis volatilis ſublimationem, donec etiam aliquid de humido aut ſpiritu ſubſequatur; & remanebit in fundo oleum, fœtidum cum potiore parte aquoſitatis, ſale ſuo volatili ambo ſpoliata: aquoſitas illa in fundo effœta eſt, & ſe ſolum habet per modum aquæ elementaris, empyreumaque ſpirat, quæ e abjicienda: Oleum vero craſſum & fœtidum omni virtute deſtitutum & ſale ſuo volatili exutum eſt. Sal autem volatile ſuperius ſublimatum, una cum pauca humiditate, quæ

cum

cum ſale ſuo volatili foris tranſiit illumque vel totum, vel ex parte diſſolvit, diligenter aſſervandum eſt. Hoc enim in affectibus apoplecticis, epilepticis, hyſtericis & innumeris aliis uſum nunquam ſatis laudandum exhibet.

Hirundines adverſus anginam quoque ab auctoribus medicis commendantur. GALENUS ita loquitur. Hirundinibus quoque uſi ſunt multi, comburentes videlicet & cineri mel admiſcentes, ac deinde ſynanchicos inungentes & in totum omnes quicunque in faucibus atque columella cum tumoribus conſiſtunt affectus. Hirundinum cinere anginæ commode perunguntur: uvæ & tonſillarum inflammationibus hoc cinere ſuccurritur. Et ipſæ & pulli exſiccati ſi drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos juvant, qui anginæ morbo conflictantur ait DIOSCORIDES. Si quis ex CORNELII CELSI ſententia pullum Hirundinis ederit, eum angina toto anno non periclitari perhibent. Et juxta MARCELLUM adverſus anginam, jus, in quo Hirundinum pulli cocti fuerunt, tepens accipi & intra fauces contineri, atque aliquid inde transmitti poteſt. LAMELLUS FAVENTINUS anginæ remedia deſcribens Hirundinem hoc modo comburi vult. Decolletur, inquit, & ſanguine evacuato, deplumetur & ſaliatur; denique ponatur in vaſe vitreato oris anguſti & claudatur os vaſis cum luto & relinquatur in fumo, donec exaruerit, ita ut facile teri poſſit: eum cinerem aliqui in potu exhibent adverſus anginam, alii illinunt cum melle; alii cum canna tenui inſpirant. Sicuti ad oculorum dolores, lippitudines & caligines Hirundinis cinerem cum melle in oculos mitti ſuadent plures, ita GALENUS uſtarum Hirundinum cineres ad oris putredines & cruſtas valere dicit. Illud vero notatu dignum occurrit, quod quidam ſcribunt, Hirundinum combuſtarum cinerem ſumptum impedire ebrietatem, ita ut ab eo ſemper immu-

nem præſtet. Item, referente PLINIO, cum myrrha tritum & vino, quod bibitur, inſperſum, ſecuros a temulentia conſervate bibentes.

℞. Ciner. de 4. pull. Hirund. combuſt. Caſtor. ana ʒj. Acet. fortiſſ. ℥j. Hæc mixta linteolo exprimantur & expreſſus liquor ægro morbo comitiali laboranti ante vel poſt paroxiſmum propinetur.

GALENUS & PAULUS ÆGINETA Hirundinis CEREBELLUM cum melle temperatum oculorum ſuffuſionibus auxilium ſuppeditare ſcribunt.

Oculis ſuffuſis a cauſa evidente nihil ſubtilius eſſe SANGUINE HIRUNDINUM teſtatur CORNELIUS CELSUS. Præfertur autem ſub ala extractus dextra. Hinc ſanguine Hirundinis recenti ac tepido inunctum oculum ictu læſum & cruore ſuffuſum ſtatim ſanari putat MARCELLUS. Eundem ſanguinem illitum podagricos dolores mirifice lenire author eſt TRALLIANUS MYREPSUS, ſanguinem Hirundinum miſcet ſuffimento ad epilepticos experto.

HIRUNDINIS OCULI fronti alligati, ut Kyranides vult, ophthalmiam ſanant, omnemque rigorem febrilem auferunt. Oculus Hirundinis, ſicut ſcribit ALBERTVS MAGNVS, poſitus in lecto non permittit ei incumbentem dormire, donec auferatur.

LINGVAM HIRVNDINVM appenſam pro amuleto, præſervativum anginæ eſſe quidam tradiderunt.

COR pulveriſatum & bibitum pectus optime purgare dicitur. Cor recens comeſtum prodeſſe morbo comitiali laborantibus perhibetur. JACOBVS OLIVARIVS certiſſimum judicat corda Hirundinum memoriam augere, ſi cum Cinnamomo, amomo, & aliis remediis cephalicis

cis ſumantur. Hirundinis Cor multi contra quartanam devorant.

CAPVT matutino paſcenti pullo præciſum & luna plena lineo panno adalligatum capitis medetur doloribus.

STERCVS HIRVNDINVM impenſe calefacit, diſcutit & acre eſt ac quaſi cauſticum; potenter penetrat, inquit ETTMVLLERVS, incidit, attenuat, & obſtructionem ex ſanguine reſtagnante indeque ortam efflammationem removet, quia ſanguinem jam congrumatum reſolvit & diſſolvit, & ſic inflammationem imminuit. Quod ſi non poteſt tollere inflammationem, juvat internam fermentationem in ſanguine, beneficio cujus ſanguis ſenſim ſenſimque in pus abit, & ita facilius ſuppuratur. In angina eſt celebre & loco nidi & hirundinum poteſt commode ſubſtitui, & ſicuti in gargarismatibus pro diſcuſſione & ſuppuratione commode additur Album Græcum, ita commodius longe poteſt addi ſtercus hirundinum, quod melius adhuc & in diſcutiendo & ſuppurando. Stercus hoc decoctum & potum morſui canis rabidi conferre ſcribit PLINIUS. Extrinſecus applicatum idem præſtat. In cibo quoque vel potu ſumptum, dolore colico affectis ſanitatem tribuere autor eſt MARCELLUS. Idem apud MYREPSUM miſcetur medicamentis ad urinæ difficultatem renum calculos & dolorem colicum. Fluxum Hepaticum ſpurium curare ſtercus Hirundinum, in pulverem redactum & in vino exhibitum refert JONSTONUS. Alvum etiam irritat, ſi extrinſecus ano applicetur.

NIDUS HIRUNDINUM præſertim una cum excrementis eſt ſpecificum & uſitatiſſimum remedium contra anginam & inflammationem tonſillarum. Verum, verba ſunt ETTMULLERI, & nidus nil valet, ſed excrementa maxime ſalſa, nitroſa, quæ illic reperiuntur: vi hac nitroſa

inflammationes diſcutiunt , ardorem compeſcunt, & hinc maturationem & ſuppurationem promovent. In iiſdem igitur factum cataplasma ex nido hirundinum eſt expertiſſimum Chirurgis. Præparatio hæc eſt.

℞. Nidus ſicuti ſub tectis eſt (ſi adſunt pulli eſt eo melius juxta ETTMULLERUM) contunditur & coquitur perque ſetaceum trajicitur, fitque cataplasma, quod applicatum externe circa regionem inflammationis tonſillarum vel anginæ eſt expertum.

℞. Nidi Hirundinis No. j. Albi græci ℥iß. Rad. Alth. Lilior. albor. ana ℥j. Caricar. ping. Dactyl. ana No. iij. Coq. in aqu. comm. ad remanentiam pultis: poſtea adde ol. violar. ℥ij. farin. Chamæm. fœnugræc. Sem. Lini, Tritici ana ʒvj. Cerebr. Cati ℥ß. pulv. noct. combuſt. Hirund. combuſt. ana ʒij. Vitell. ovor. No. j. Croci Orient. ℈j, Mſc. f. cataplasma pro collo. In angina deſperata collo ſæpius applicetur hoc cataplasma Mynſchtianum.

℞. Nid. Hirund. No. ij. contuſis affundatur ſufficiens quantitas aquæ ſimplicis: coquantur & per ſetaceum trajiciantur; trajectæ pulpæ adde ol. Chamom. lil. albor. ana ℥j. vitell. ovor. No. j. fiat cataplaſma applicandum extrinſecus in angina & tonſillarum inflammatione.

℞. Nid. Hirund. cum ſtercor. No. j. flor. ſambuc. man. iij. conſcindantur & coquantur vel in lacte vel in aqu. ſimplici: decoctum ad mollitiem ſubigatur cum oleo Chamomill. f. l. a. cataplasma, quod regioni tonſillarum applicetur in earum inflammatione.

℞. Nid. Hirund. No. ij. alb. græc. rad. alth lil. alb. ana ℥j. flor. Chamom. Melilot. Malv. ana man. j. ficuum pingu. No. jx. Cepar. ʒvj. ad ℥j. Contuſa coquantur in ſufficienti quantitate aquæ Prunellæ & Sempervivi: trajiciantur per ſetaceum: pulpæ trajectæ adde pulv. hirund. vel noct.

com-

combuſt. ʒij. vel ʒiij. olei lilior. albor. qu. ſ. pro coctione cataplasmatis ; quod applicitum faucibus , gutturi , aut tonſillis inflammatis eſt egregium remedium.

Non deſunt, qui cum nidum ex terra & paleis compoſitum advertant, rebus ut apparet ſtipticis , illius admotionem timent, metuuntque ne forte adſtrictione ſua materiam introrſum repellat: quo fit ut ſolo decocto nidi utantur, in quo cæteræ res anginam diſcutientes miſcentur, ſed revera falluntur; cum omnia in Hirundinis nido contenta, potius diſcutiendi quam conſtringendi vim habeant. MERCVRIALIS hanc vim non nido Hirundinis ſed avi ipſi adſcribit: Verum quanquam vis quædam ſpecifica contra anginam ipſi inſit avi, tamen experientia conſtat, ipſum etiam nidum prodeſſe: & vis illa absque dubio nido ineſt ob excrementa pullorum Hirundinum ſale volatili abundantia, ex quo vis reſolvendi & diſcutiendi reſultat.

Sunt

IN OFFICINIS PROSTANT.

Hirundines uſtæ, gebrandte Schwalben/ *Hirondelles calcinées* de quarum uſu dictum.

Hirundinum Nidi, Schwalben-Neſter/ *Nids d'Hirondelles* de quibus etiam dictum.

Aqua Hirundinum absque Caſtoreo, Schwalben-Waſſer ohne Bibergeyl/ *Eau d'Hirondelle ſans Caſtoreum.* Commendatur in convulſionibus epilepticis, vertigine, apoplexia ſimilibusque affectibus capitis palpitatione cordis, colica & paſſionibus Hyſtericis. Datur ab uncia ſemis ad uncias duas vel tres.

Aqua Hirundinum cum Caſtoreo , Schwalben-Waſſer mit Bibergell/ *Eau d'Hirondelles avec le Caſtoreüm.* Commendatur hæc aqua ut antecedens: iis exhiberi poterit, quibus permiſſum eſt dare liquores, ſale volatili oleoſo Caſtorei imprægnatos. Doſis Cochlear unum atque alterum. Laudatur tanquam vera Medicina morbi caduci, oportet

oportet autem ut per aliquot dies hanc aquam bibat æger. Pilos tollere fertur, ubicunque cuti puræ illinitur. Jubent autem ut gravidæ abſtineant, ne fœtus in utero pericliteur.

Pulvis Epilepticus niger Küfferi. Küffers ſchwartz Gicht-Pulver/ *poudre contre l'epilepſie noire de Küeffer.* Ad epilepſiam, morbos convulſivos & ſpasmodicos, pavores nocturnos &c. deprædicatur. Doſis ad ℈j. ℈ij. &c.

OSSA PICI.

Sunt Pici viridis vel Martii oſſa.

PICVS

PICUS VIRIDIS dicitur a colore, MARTIUS vero quod Marti ſacer fuerit, PICUS MEDIUS, PICUS GRAMINIS, ein Grün-Specht/ Graß-Specht. PIVERT, PIEUMART, PIC.

Magnitudine eſt Turturis, longus dodrantem & ſesquipalmum, latus ſpithámas. 2. & palmum 1. cirrum in capite habet rubrum. Collum dorſum, alæ ſuperiores virent. Majores pennæ fuſcæ maculis ſeu notis per intervalla candidis diſtinguuntur. Pectus venter & latera ex viridi & flave pallent. Roſtrum cornei coloris, lingua acutiſſima. Macula oculos ambit nigra: juxta nares plumulæ ceu pili rigent. Cauda pennis denis condita, fuſcis rigidis in mucronem duplicem diviſis, mediis quaternis per intervalla maculoſis. Crura ex fuſco obſcure virent, digitis utrinque binis, unguiculis, latiuſculis, phæopis.

In cavernis arborum putrefactorum nidificat. Tanto artificio nidum conſtruere dicitur, & excavare, ut admoto circino rotundius reddi foramen a perfectiſſimo Geometra non poſſet, & ligna quibus inter ſe conſertis conſtat, facilius manibus ſeparantur quam ferro diſſecentur.

Pullos plures educant Pici quinque ſex vel octo. Nunquam humi conſiſtunt, vel in ſaxis conſident, ne aciem unguium obtundant. Scandunt vero per arbores omnibus annis tanquam ſtelliones, ſeu ut PLINIUS dicit, feles, non modo ſurſum per arborem reptando, ſed deorſum etiam & ſub ipſis ramis, pedibus & ventre ſurſum, tergore deorſum terram verſus converſo. Vi-

Victitat Picus vermibus etiam latitantibus ſub arborum corticibus. Ideo arbores tundunt, quarum percuſſi corticis ſono pabulum ſubeſſe intelligunt. Sonus e longinquo exauditur.

PICVS MARTIVS TORREFACTVS ad eminentias internas & externas ani cum ſale applicatur.

OSSA EJVS comminuta ex vino adverſus calculum utiliſſime bibi perhibentur.

Contra ligationes coitus & clauſuras ASSVS vel ELIXVS PICVS ſuperſtitione decantatum eſt remedium. Roſtrum e collo ſuſpenſum, dentium, uvulæ & tonſillarum dolorem curare KIRANIDIS ſunt deliramenta. Idem ferentes, ab apibus, etiamſi mella earum eximant, non feriri, PLINII. Clavum & cuneum arbori, in qua nidificant, infixum non hærere; foramen vero nidi vel ligno obſtructum herba oppoſita ſeu linaria major illa ſeu Æthiopis eundem aperire, pari fide affirmatur.

A quibusdam ad menſas expetitur. Hac occaſione de aliis Picis etiam quædam monere liceat.

Eſt

PICUS MAXIMUS, PICUS MAXIMUS NIGER, PICUS NIGER, PICUS FORMICARIUS, PICUS CORNICINUS, PYRRHOCORAX. ein Hohlkrahe/ Holtzkrahe/ Krach Specht/ groſſer Specht/ ſchwartzer Specht/ Holtzhuhn. Maximus Picorum major Graculo, minor Cornice, cui ſimilis eſt. Niger eſt capitis vertice coccineo. Roſtro longo valido, fuſco, acumine albo. Pedibus inſiſtit ſubcæruleis, quibus ungues unci ante & retro bini, Cauda nigra rigida pennis extremis diviſis. Lingua donatur longiſſima, per occiput verticem verſus extenſa, bipartita in faucibus mox diviſa, apice corneo acutiſſimo, aſperiuſculo, quo vermes & formicas figit. Sonum terribilem æſtate in ſylvis inſtar tubæ edit, paſſim occurrit. Formicas majores in cibum deligit.

PICUS VARIUS MAJOR, πίπρα, PIPA, PICUS MAJOR, PICUS PICARIUS, PICUS MARINUS, ein bundter Specht/ ge-

geſprengter Specht/ Elſter Specht/ Weiß-Specht. Merula eſt paulo major, Picæ inſtar albo nigroque diſtinctas pennas habens: capitis vertex medius ſaturo Cocci colore rubet. Dorſi & caudæ pennæ quatuor longiores mediæ ex cœruleo nigricant. Alæ nigræ punctis albis maculoſæ. Gula, pectus albidum obſcure flaveſcens ventre extremo ſuaviter rubente. Caudæ laterales & breviores pennæ nigræ maculis albis aſperſæ, extremæ bicuſpide flavent. Roſtrum craſſum, rectum, canaliculatum lingua longiſſima, muſculoſa, duro nervo aculeata; pedes ſubvirides, unguiculi fuſci latiuſculi; Oculi nigri circulo includuntur ſpadicei coloris.

Ex Vermibus & Coſſis vivit, qui in putridis lignis naſcuntur. OVIDII verba hæc ſunt;

duro fera robora roſtro
Figit & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit & fulvo cervix præcingitur auro.

PICUS VARIUS MINOR, ein klein bundter Specht / priori prorſus ſimilis, præter maculas rubras in vertice, & circa uropygium, quæ huic deſunt. Dorſum magis varium, ex albo nigroque promiſcue maculatum paulo major paſſere.

PICUS SUBCÆRULEUS, σίππη ſeu σίττη, σεισόπυγις, κύναιδος, quod Uropygium motitet, κερκνίσης, SITTA, PICUS CINEREUS, PICUS PARVUS CÆRULEUS, Ein Blau-Specht/ ein Mey Specht/ Baum-Hecker/groſſe Baum-Kletter. Fringilla paulo major alaudæ fere craſſitie. Roſtrum longiuſculum, rectum, nigrum, rotundum, caput parvum: oculi exigui: Collum, dorſum, alæ, nec non & cauda ſuperior e plumbeo ad cinereum vergunt. Gula candicat, pectus ex luteo pallet, venter ſub alis e caſtaneo ad rufum tendit; linea nigra a roſtro retrorſum per oculos ad occipitium ducitur; pedes ex glauco nigricante & modico flavo tinguntur: digitos habet ante ternos & retro unum, lingua diviſa: Arbores ſcandit ut cæteri Pici; paſcitur formicis & aliis vermiculis. Hyeme alvearia advolat, & apes roſtro fiſſo alveario allicit & devorat. In cavis arbo-

rum

rum nidulatur; prolem numeroſam felicemque gignit. In decipulis impoſito ſebo capitur.

PICUS MURALIS, PICUS MURARIUS, Maur-Specht/ Mur-Specht / Kletten-Specht. Paſſere domeſtico paulo major ſturni fere craſſitie. Roſtrum oblongum, tenue, nigrum, acutum: caput, collum, dorſum cinerea; pectus albicans: alæ partim cinereæ partim rubræ, cauda brevis: pennæ alarum longiores: dorſum inferius, venter & crura brevia nigra, ungues adunci & acuti. Muris omnibus, turrium vero maxime adhæret, araneas vermiculosque in eorum rimis quærit: frequens in arcibus montoſis. Ad muros brumali tempore ſæpe conſpicitur. Volat ſolus & quandoque bini ſimul. Hilaris eſt & ſuavem vocem edit. Nidulatur in parietum foraminibus.

OPERCULUM COCHLEÆ.

Eſt Cochleæ terreſtris domiportæ edulis domunculæ operculum album, durum quaſi gypſeum, quo ſe hyeme contra, frigus defendunt.

Cochleæ

Cochleæ vocantur a Græcis κόχλοι καὶ κοχλίαι, ἀπὸ τοῦ κόχλειν, quod eſt γυρίζειν, gyrare: a Germanis Schnecken appellantur, a Gallis Limaces ou Limacons. Plures ſunt ſpecies Cochlearum, hic autem intelliguntur COCHLEÆ TERRESTRES quæ a DIOSCORIDE vocantur πωματίαι, COCHLEÆ EDULES, COCHLEÆ OPERCULARES, Germanice Schnecken κατ' ἐξοχὴν, Gallice ESCARCOTS.

Cochlea eſt animal oblongiuſculum, conſtans capite, dorſo, cauda ſive pede lato & ventre, teſtæ plus minus albicanti turbinatæ incluſum, e quo nunc egreditur, nunc in illud ſe recondit,

Dorſum Cochleæ, uti ex EXAMINE ANATOMICO COCHLEÆ TERRESTRIS DOMIPORTÆ a JOH. JACOBO HARDERO Dr. & Prof. Baſileenſi edito comparet, a capite ad caudam usque ſulciforme eſt, contextum ex innumeris ſul-

cis ſolidis & lubricis majuſculis; Cauda licet & illa tales ſulcos teneat, tamen illi intus nec magni, nec ita a ſe invicem diſſiſi apparent: vices hæc ſupplent pedum, hujusque ope, quocunque fere placuerit, libere ſerpit. Caput ratione partium externarum conſtat cornibus ore & labiis. Cornua quatuor habet, duo majora, minora totidem, quorum illa his locum ſuperiorem obtinent, utraque inſtar ampullæ limpido humore diſtenta apparent, & ipſa pluribus donata ſulcis. Efformant hæc in extremitate nodum, vel ſi mavis globulum quendam, humore flaveſcente repletum, qui e duobus dimidiis, intercedente alba linea, compactus videtur: Cæterum cornua majora intus retracta præter tubum lymphicum, cui fibrillæ nerveæ intertexi poſſunt, nihil efformant, neque ſulciformia ſunt: In medio fere horum globulorum punctulum notare licet nigricans, cujus ope viam Cochleas prætentare dicit MURALTUS: poſtmodum autem ait incertum eſſe, utrum viſum tubuli hi nigricantes efficiant nec ne? ARISTOTELES Cochleæ dictæ καρκινίῳ ſeu Cancello oculos tribuit, dicens ἔχει δὲ κεράτια δύο, λεπτὰ πυῤῥὰ καὶ ὀφθαλμοὺς ὑποκάτω τούτων δύω μακροὺς. Habet autem Cornua duo tenuia ruffa, & ſub hiſce oculos binos magnos, de Cochlea autem domiporta tacet. PLINIUS Cochleas aquaticas & terreſtres exerentes ſe domicilio bina ceu cornua protendere dicit, quibus iter prætentent, oculis vero carere; porro dicit, Cochleis oculorum vicem cornicula bina prætentatu replere. PLINIO aſſentitur SCALIGER. ALBERTUS oculorum loco cochleis cornua quædam mollia eſſe ſcribit, inque iis nigra duo puncta, quæ uſum quendam & actum perficiant oculorum: Ejusdem in ſententiam quoque vadit ALDROVANDUS. Id autem præcipuum huic opinoni ſtabilimentum adfert, cujus PEYERUS meminit de humore cryſtallino in his reperto. Obſervavi, inquit PEYERUS, admoto cominus bacillo, cornua iſta in cochleis vegetis ante recedere, quamproxime tangantur ab eo, quod oculorum præſentiam evincit. Nos quoque, inquit HARDERUS, ex corpore nigricante & cornibus intro retractis preſſis, vidimus prorumpere guttulam quandam parvulam nec diffluentem, quæ obſcure albicabat: quicquid ſit, id certum eſt, exquiſitiſſimi eſſe ſenſus, adeo ut nec leviorem contactum ferant, ſed verſus interiora ſtatim ſe recipiant, unde dubium non eſt, quin & hæc æque ac minora, quæ tactui & olfactui cochleæ inſervire dicit MURALTUS, ob papillam nerveam,

horum

horum extremitati appoſitam, fibrillas quasdam nervoſas accipiant: Lympham ſi diſſecentur ſtillant multam, quam ex vaſis verſus caput & corpus cylindricum ſparſis, imo ipſa involventibus copioſe haurire poſſunt. Cornua minora & ipſa in extremitate ſua globulum ſimilem in duas diviſum partes exhibent, & in hoc cum majoribus conveniunt, uti etiam, quod æque pervia ſunt quam illa, ſetæ enim trajectionem facile admittunt, & quod pro magnitudine animantis, plus minusve capiunt incrementi. Neque in uſu diſcrepant, ſi ALDROVANDUM audimus, qui, quod obtuſe admodum vident, Cochleas hiſce (cornibus videlicet minoribus) iter quoque prætendere dicit: Aſt parum omnino eſt, quod hæc ad viſum contribuunt, cum punctis nigricantibus, quibus majora beantur, & quæ multi ad viſum evincendum præcipue urgent, deſtituantur. Poſt cornua, quæ animal hoc ex ſua teſta prodiens, primo quaſi monſtrat, videtur os, amplum ſatis & hians, fibroſum tamen, & illo irritato, nulla quandoque vi diducibile, multum adjumenti, ad hoc ipſum conferente maxilla inferiore. Os excipiunt labia duo ſuperius & inferius, mollia & lubrica, quibus maxillæ ab internis injuriis proteguntur.

Ad partes capitis internas, quod ſpectat, variæ illæ ſunt: I. occurrunt maxillæ duæ ſuperior & inferior, quarum hæc ſatis fibroſa eſt, illa vero dentium ſedes exiſtit, hoſce nigricare diu cum MURALTO inquit HARDERUS; verum aut natura ludit, aut viſus olim ſefellit: in ultimis enim Cochleæ examinibus, dentes ope microſcopii ſatis magnos acutos & rubro, qualis Cinnabaris eſt, colore ſuperbos deprehendimus, numero quinque. Poſt dentes obſervare eſt cartilagineam quandam cavitatem, quam MURALTUS laryngem nominat, hæc circa initium ſui circulum quendam efformat, diſciſſaque apparere fecit utrinque corpus flaveſcens, quod a MURALTO, corona ſerrata vocatur, terminatur in glandulam duriuſculam & albicantem. ARISTOTELES de hac cavitate obſcurius agere videtur, ventris enim (κοιλίας) nomine hanc notat, qui gutturi ſimilis exiſtat (ἐν τοῖς κόχλοις) & promuſcidem inſuper diſtinctam ponit in turbinatorum genere, quam alii ventrem ARISTOTELIS eſſe ajunt, imo duplicem his jungit gulam oriundam a ventre, de quibus tamen HARDERO hactenus nil conſtitit. Verba ejus hæc ſunt. Habent autem etiam promuſcidas, ſicut Muſcæ, ſunt autem linguæ ſimiles: porro dicit: Os immediate excipit venter, ſimilis autem eſt gutturi avium: a ventre venit ſtomachus duplex, longus,

uſque ad meconium &c. Paulo diſtinctius ALDROVANDUS hæc explicat, dum cartilagineam hanc ſubſtantiam promuſcidis nomine ſumens, ori, quaſi ingluviem avium, jungi dicit; ab hac eſſe ſtomachum, quem œſophagum nominamus, & ab hinc demum ventrem, in quo ſitum papaver ſubſequente ductu inteſtinali, continuo ſimplici, procedere. Tertio latitat ſub hiſce corpus cylindriacum, quod magnum apparuit, albicans & cavum. Reperire licet in hocce corpore oſſiculum oblongum, duriuſculum & acutum, inſtar oſſiculi piſcini, niſi quod anguloſum eſt: præterea ad ipſam fere radicem valvula adjacet inſignis cartilaginea, hicque ope ſtyli datur tranſitus verſus ſuperiora in ipſum caput usque: inferiora vero verſus foramen eſt, ex quo facile, qua in vaſculum inſigne lacteum ad radicem corporis cylindriaci ſeſe inſinuans, qua etiam in vas coliforme penetrare licet. (MURALTUS ad radicem corporis cylindriaci foramen notat, ex quo via pateat in vas cuneiforme, quod niſi cum corpore cylindriaco continuetur, non capit HARDERUS) Vas lacteum turgidum omnino & humore lymphico diſtentum oculis HARDERI ſe objecit, talemque ſuccum, diſciſſum reddidit: pergit hoc vas a glandula, quam MURALTUS rubellam nominat, ad usque primordia corporis cylindriaci. Vas coliforme tale dictum, quod infinitis cellulis præditum exiſtit, limpidis & humidis, itidem ad radicem uſque corporis cylindriaci pergit: Vaſa accipit inſignia ab ipſo inteſtinali tubulo, qui plurimis turgidis pertextus eſt ſurculis, eum inſtar membranæ cujuſdam tenuioris quaſi involentibus: videntur quoque ex hepate ramuli in hoc ipſum vas pergere: Conſtituunt hæc vaſcula in progreſſu triangulum, tandemque in unum coëunt, quin autem vas lacteum parte ſuperiore, qua cum coliformi jungitur, aliquid in ſe recipiat non dubitatur. Terminatur vas coliforme in ſubſtantiam pinguem & glutinoſam inteſtinis adjacentem. Infra corpus cylidriacum & ſub vaſis modo dictis conſpicuum eſt vas aliud MURALTO proceſſus vermiformis dictum, quod in medio inflatum, longiſſimum & tenuiſſimum de ſe dat ramulum, ad inferiora tendentem: ſuperne vero inſeritur in latus maxillæ ſuperioris dextrum, cum corpore cylindriaco, cui intime conjungitur. Ad latera vaſa habet lymphica, quæ forte ramulorum a vaſe coliformi, diſperſorum propagines eſſe poſſunt, cumque interior hujus proceſſus ſubſtantia, ligamentoſæ ſimilis exiſtat, facileque extendi queat,

hæc eadem in hunc proceſſum inſeri potius probabile eſt. Scaturit adhuc aliud vaſculum, juxta ramulum tenuiſſimum modo dictum, quod ſatis involutum, quaſi & ipſum ſuperiora peteret, ſimulat, revera autem in vas coliforme (ubi hoc corpori cylindriaco inſinuari incipit) inferne nunc magis nunc minus ſe inſerit. Præter proceſſum vermiformem aliud vas, infra hunc latitans, nigrum & ex latitudine acuminatum animadvertimus, monſtravitque ultimum cornuum majorum examen, vas hoc cum iis arcte uniri plurimisque hinc inde diſſeminatis nigricantibus punctulis ſuperbire & turgeſcere. Oritur parte interna inferiore a ſubſtantia ligamentoſa, valdeque tenſili, unde & ipſa cornua tam acuti ſenſus ſunt. Notandi porro ſunt exacte plexus nervoſi ad latera vaſis lactei & coliformis micantes & penduli, eo loci ubi in corpus cylindriacum hæc vaſa pergunt. Licuit ope microſcopii ad decem usque talium filamentorum numerare limpidorum, ſuccoque nutritio tumidorum: unde ſi contenta & officium magis, quam externam faciem conſideraveris, vaſorum lymphaticorum potius quam nervorum nomine venient: quoad cætera ita invicem ſunt implicata, ut viſus acie ſingula aſſequi vix queas: in extremitatibus eorum quaſi guttula limpida jam deſtillatura prominebat, preſſaque hæc filamenta nervoſa humorem reddiderunt uberem lacteo ſimilem: in cochlea ob frigus jam ab aliquo tempore in teſta latitante & dormitante, alter horum plexuum contenta habebat ſolidiuſcula, balſamo Cinamomi quoad colorem ſimilia, ipſa quoque vaſa coliforme & lacteum eodem fere colore prædita erant; alter vero plexus totus albicans. Sunt & alia adhuc vaſcula minora, quæ a jam recenſitis, imprimis autem coliformi verſus dorſum diſperguntur debitum ei uſum præſtitura. Ad partes capitis internas referendus quoque venit Oeſophagus. Oblongus hic eſt fibrisque rectis præcipue refertiſſimus; ſub initium ſui nigricantia habet latera; & a cavitate cartilaginea includitur. Ex hoc via panditur in Ventriculum, quem Ventri jam annumeramus. Ventrem Cochleæ gibboſum eſſe dicit MURALTUS: forte quod gibboſitatem Cochleæ inducit; Cochlea enim ex ſua teſta prorepens capite, dorſo, & cauda protenſis ac extenſis hunc in teſta recluſum, quaſi onuſculum dorſo impoſitum, quocunque vaſerit, ſecum circumfert, cætera proprium & idoneum hujus animalculi nutritium domicilium. Venter hinc variis conſtat partibus, quarum aliæ præparationi

&

& elaborationi, aliæ ſucci nutritii confectioni deſtinatæ, aliæ eidem diſtribuendo mancipatæ eſſe videntur: illi inſerviunt Ventriculus & inteſtina, iſti hepar & cor, huic vaſa varie diſſeminata. Ventriculus aëre tubuli ope inflatus inſigniter ſatis diſtenditur, totusque membraneam faciem exhibet, fibris qua transverſis, qua rectis mire pertextus: contenta in hoc ſæpius obſervavimus (inquit HARDERUS) viridia & arenoſa, fruteta & terram, quibus animal hoc veſcitur, redolentia. Equidem ſunt, qui de victu hujus animalis ambigue ſentiunt, dum nonnulli ſolo rore paſci perperam autumant. Alii terram pro nutrimento capeſſere abſurdum putant, quod autem eſſe veriſimile arenoſa in hujus ventriculo reperta ſatis probatum dant: præcipui tamen, quos ſibi optat, cibi videntur eſſe fruteta, vitis & quæ hujus generis alia ſunt, unde etiam animalis ὑλογενέες nomen merita fuit Cochlea apud Athenæum, non tantum, quod in ſylvis umbroſis oberrare amet, ſed quod has tanquam fœcundas nutrices præeligat: inteligendo ſylvæ nomine omnia loca arboribus conſtantia. Cæterum parcus eſt MURALTUS in Ventriculi delineatione, ſub tubo enim inteſtinali comprehendi nequit. ARISTOTELES etiam hujus non meminit, quamvis κοχλίας nomen ſæpius ingerat, gula enim, quam ipſe a ventriculo duplicem protendi aſſerit, ſatis monſtrat, illum talem ventriculum, qualis deſcriptus fuit, negaſſe. Ex ventriculi & parte inteſtini diſciſſis ſuccus prodiit ſubater, glutinoſus: ipſæ autem hæ partes ope microſcopii fibrillas exhibuerunt minores plures rectas, & tranſverſas plurimas etiam majores lubricas inſtar tubulorum lympha turgeſcentes. ALDROVANDUS in ventre papaver contineri ait, ſed minus bene, ſi vocem ARISTOTELIS ſenſu interpretemur, qui papaver materiam vacantem & excrementitiam in omnibus teſtaceis eſſe dicit, ſuccus autem in ventriculo contentus, multum nutritius eſt. Tubus inteſtinalis a ventriculo continuatur verſus hepatis partem inferiorem, ſpiralem, cui ſacculus lacteus inſignis ſubeſt, quem ARISTOTELES ſilentio præteriit. Spargit hic tubus qua inferius in dictam partem ramulos, qua paulo ſuperius in hepatis partem cavam, ubi quatuor ramos inſignes, ex hoc ipſo ſcaturientes notare licet, quibus ramuli lymphyci quam intertexti conſpiciuntur una cum hiſce hinc inde per hepar vagantes, & quod lacteorum in aliis eſt numeris exequentes. Reflectitur hinc tubus hic verſus ſacculum cor ambientem, lobumque huic adjacen-

tem, & ſub his arctiſſime detentus, hepar inferiora rurſus petendo findit, atque dehinc aſcendendo, in ſubſtantiam, quam parte ſuperiore corpus gypſeum cingit, ſe quaſi inſerit, quaqua verſum in tranſitu ramulos diſpergendo. Animadvertere in hac tubi inteſtinalis propagine ultima eſt, excrementa craſſiuſcula, nigricantia, qualia in reliquis non ſunt, utpote materiam liquidam continentibus. Ejicitur hæc per foramen ad latus helicis dextrum ſitum. Hepate hoc animal gaudet eximio in tres quatuore diviſo lobos, colorem habet fuſcum vaſaque multivarie perreptantia obtinet: ipſa vero ejus ſubſtantia quaſi ex meris glandulis attritis contexta apparuit: pergit ex hoc viſcere ramus inſignis (eo loci ubi tubus inteſtinalis primitus verſus cor reflectitur) ad cor, in quem alii, qua immediate a tubo inteſtinali, qua ab hujus ſeminiis per hepar diſſeminatis prodeuntes, tendunt, aliquid ſanguini analogum huic viſceri procul dubio adferentes: Lobulus cordi adjacens & ipſe varios ab hepate accipit ſurculos: ramum quaſi ex ipſa ſui ſubſtantia exeuntem obtinet inſignem, qui in progreſſu plurimos alios de ſe ſpargit membranam nigricantem perreptantes & in ipſam partium ſubſtantiam ſeſe inſerentes. Cæterum obvolvitur membrana, quæ diſciſſa, materiam fluidam & albicantem videndam præbuit. Sacculus lacteus hepatis partis ſpirali ſubjacens multa ſcatet materia albicante, vaſculaque aliquot exigua in plexum tortuoſum effundit, adjacet parte ſupperiore ſubſtantiæ glutinoſæ viſcidæ. Cor conicum MURALTUS palpitare vidit; nos motum ejus naturalem dilatationis & conſtrictionis una cum palpitatione poſt ſubſequente, haud abſque admiratione contemplati ſumus: ambitur hoc a pericardio membranoſo, tenui, plurimaque lympha diſtento & tranſparente inſtar veſiculæ aqua plenæ: membrana hac diſciſſa, cordis ſubſtantia ſubflava in conſpectum venit, quaſi in duas partes diviſa, duabus quoque appendiculis prædita: in dilatatione ex vaſe ab hepate proveniente inſigni, ſuccum nutritium ſumit ſatis avide, huncque in vaſcula annexa propulſum, exque his in ramum illum inſignem, qui ex lobulo cinereo, ſeu potius ex tubulo turgido progredi videtur receptum, impetu ſatis vehementi, ope innumerarum ramorum propaginum per dictam membranam diſſeminatarum, in ipſam & partium ſubſtantiam effundit: alter ramus, itidem inſignis, ex ipſo corde progrediens, illa quidem parte cum ramo priore lobuli conjungitur, plurimas

mas de ſe dando propagines, hac vero ſuperiora verſus abit. Glandula albicans infra cor ſita eſt, & ipſa ampullam referens, hanc rubellam vocat MURALTUS. Equidem illam rubicundam in plurium Cochlearum Anatome notavimus, in alius vero cujusdam talem, qualem modo deſcripſimus, ope microſcopi exacte reperimus, unde naturam hic ludere non ambigimus, in quibusdam enim Cochleis duas invenimus, unam rotundam, continentem materiam ſolidiuſculam, rubicundam, inſtar balſami Cinamomi, nunc magis nunc minus, aliam oblongam inferius ſitam, ſed nullam cum illa communionem habentem. Verum id autopſiæ conſentaneum non eſt, quod MURALTUS glandulam illam rubellam, unico filamento hepati adnecti, cæterum totam liberam eſſe dicit. Sane vidimus, cum adſtantibus, vas lacteum in hanc manifeſte inſeri, & in illa, quam veſiculam albicantem in quapiam noſtrarum ſectionum mentitam eſſe dicimus, itidem hoc ipſum ad oculum demonſtravimus, præter enim inſinuationem, quam vidimus facile, inſuper notarunt omnes, glandulam hanc, vaſe lacteo retracto, ſubſequi, fieri potuit, ut retractione fortiori illud in aliis abruptum fuerit. Partibus hiſce ventris imi adjungimus ſubſtantiam pinguem, viſcidam glutinoſam, digitis validiſſime adhæreſcentem, inteſtinis adſitam, adjacet huic plexus quidam exiguus, tortuoſus, de quo, num proceſſus coliformis propago ſit vel non, non ligitabimus: quamvis hoc maxime rationi & autopſiæ ſit conveniens, neque enim fruſtra plexus hic, exigua illa vaſcula a ſacculo lacteo videtur accepiſſe: ſubſtantia glutinoſa modo nominata, eundem uſum Cochleæ præſtare poteſt, quem forte pinguedo in aliis corporibus: videlicet ut calorem partium prædictarum foveat, ſimulque neceſſitate illud efflagitante in nutrimentum faceſſat; Ipſa quoque ocularis inſpectio in quibusdam Cochleis operculo jam tectis ſubſtantiam hanc minui imo & colorem mutare docuit, in pluribus enim hujusmodi non flava ſed ſubcinerea apparuit. Confirmant nos itidem, quotquot Cochleas hyeme ſuo ſucco vivere dicunt, hanc ipſam enim ſubſtantiam ex tali ſucco conflatam eſſe vix quisquam negabit. Ea fuit inſuper naturæ cura & providentia, ut ſingulas Ventris partes, ne huc illucve vacillando dilaberentur, animalique in victu ſuo quærendo incommoda parerent, communi quadam membrana cinxerit, tenui & fibroſa, multiplicibus vaſis gaudente, punctuliſque nigricantibus mire notata, quibus quaſi

fimbriæ

fimbriæ albicantes interſeruntur; certe tot ſunt vaſorum majuſculorum & minuſculorum per hanc diſſeminatorum ſurculi, ut tantum non impoſſibile ſit, ſingulos enumerare: Acutiſſimi ſenſus eſt membrana hæc, unde leviter puncta, ingenti, quod ex vibratione innoteſcit, Cochlea ſe dolore affici monſtrat, & multa inſuper abundat humiditate lymphica. Ab hac formatur cavitas, pro aëris commeatu, ad radicem helicis tortuoſi; ex qua facile, ſuperiora verſus ſtylo pervenire licet. Commodioris vectionis & fortioris conſtitutionis ergo, natura ligamentis quoque Cochleæ proſpexit, copioſis ſatis ſub ipſa apophyſeos initia exeuntibus, teſtæque parti ſpirali internæ varie & valide adhæreſcentibus. Addo hiſce corpus gypſeum albicans circulare, quod itidem ad munimentùm Cochleæ a natura conceſſum eſt: operitur hoc ipſo corpore teſta, domiciliumque Cochleæ, atque hujus ope, hoſti hyemali animal hoc de ſua ſalute ſollicitum vias præcludit. Materiam albicantem gypſo ſimilem, quæ qua a vaſculo lacteo, qua etiam immediate a ſacculo lacteo ſpirali juxta membranæ ductum, per foramen ad helicis dextram partem ſuppeditari poteſt, materiam autem hanc, Cochlea interiora domicilii repetente, ubertim exundare, parietibus teſtæ circulariter adhærere, hinc concreſcere, ſenſimque magis protenſam in operculum condenſari autumamus. In iis quæ jam domicilium occluſerunt, operculum duriuſculum eſt & poroſum, non tamen craſſum, ne aëri omnis via præcludatur: intus vero quaſi ex ramentis gypſeis ſibi invicem aſpere adnaſcentibus, compactum. Subjacet huic alia quædam membrana & ipſa frigoris ſævitiam a Cochlea amovens: ſimilis eſt hæc membranæ teſtæ internæ, quæ forte ex eadem materia, ex qua teſta, muco videlicet viſcido, quem Cochlea eructat & ex quo concreſcente teſta fovetur & augetur, generatur. Ipſa concha ſpiralem refert figuram, variiſque ſuperbit venulis, pro ratione ipſius Cochleæ nunc majoribus, nunc minoribus, quæ forte vaſorum per membranam diſperſorum veſtigia ſunt, membranis gaudet duabus, interiore una, lubrica, tenuiore & ſolidiuſcula, exteriore altera, craſſiore & duriore; adcreſcit autem hæc ipſa diuturnitate temporis.

Animalculum jam hoc ex ingeſtis, dentibus trituratis & ſubactis, quibus liquor fermentaceus & ſalivalis, qua ex vaſis in caput inſertis, qua ex Oeſophago eructantes (hos enim irritatum hoc animal per ſuperiora reddit) primam præparationem largiuntur, in ventricu-

lo ſuccum conficit nutritium, quem in inteſtinali tubo perficit, ope fermentaceæ maſſæ in his latitantis, & quidem ipſe ſuccus, qui in hiſce partibus generari animadvertitur, ac ſi mere fermentaceus eſſet, apparet. Ad hanc actionem quin præcipuum conferant ſpiritus animales, quibus abundat, vix dubitamus: Succus alimentarius in inteſtinalem tubum ita receptus, ſuperius quidem per ramos ab hoc ipſo in vas coliforme transmittitur, inque hoc transumptus verſus ſuperiora defertur: inferius vero per ramos alios ab eodem derivatos, qua in hepatis ſubſtantiam cavam qua ſpiralem recipitur, hicque multum ope glanduloſæ viſceris hujus ſubſtantiæ in ſuccum ſanguini analogum elaboratur. De hac actione hepati adjudicanda teſtatur hujus viſceris moles, ramulique qui per hanc diſperguntur plurimi majores & minores. Ex his partim in lobulum MURALTI cinereum, partim in cor, pars aliqua defertur, pars quoque alia in ſacculum ſpiralem & ex hoc per vaſcula ſupra nominata, in plexum tortuoſum effunditur: illa, quæ in cor recipitur, & ab hoc quaſi cum vi exugitur, in hoc, pro poſſe, ulteriorem manum accipit & ab hoc in vaſa annexa verſus ſuperiora, inferiora, & lateralia, per ramos quaquaverſum, diſtributos, pergit, inque ſubſtantiam partium nutriendam faceſſit. Eadem quoque materia ex lobulo per vaſa ſupra dicta affunditur partibus: materiæ in vaſculo coliformi pars, in vaſcula minora, ex hoc prodeuntia exugitur, pars reliqua ulterius aſcendendo ſubtiliſata, ad radicem corporis cylindriaci deponitur, neque dubium eſt, quin in hoc ipſum recipiatur, inque plexus nervoſos magna portio extillet. Ab eodem fonte aliquid hujus materiæ nutritiæ redundare poterit verſus inferiora, quæ poſtmodum maxime in generationem & fomentum ſubſtantiæ illius glutinoſæ faceſſere videtur; item quoque in vas lacteum, in ramum proceſſus vermiformis, in vas coliforme ſe inſerentem, vaſaque minora a majoribus hinc inde diſperſa, partium nutriendarum ergo. Præter alimoniam autem, quam ſuccus nutritius huic corpori ſuppeditat, videtur hic maxime generationi & materiæ ſpirituum animalium inſervire. Etenim ſpiritibus animalibus gaudet copioſis, quod vel ex ſola ejus conſtrictione concludere licet, & humor hic lymphaticus, limpiditate ſua naturæ ſpirituum maxime conveniens. Horum autem generationem præcipue in partibus ſuperioribus, capite, vaſisque in hoc ſe arctius inſinuantibus fieri & ab iisdem hinc per totam molem diſpergi veroſimile eſt. An glandula rubella ela-

bo-

borationi ſucci lactei vel lymphici ſit deſtinata? an vero ſucci nutritii partes craſſiores tantummodo excipiat? in controverſia eſt. Nos, inquit HARDERUS in intricata & ſubtili animalis hujus ſtructura, partium præcipuarum uſus modo dictos probabiliter eſſe deprehendimus.

Quod partes genitales & partum concernit ita de iisdem HARDERUS differit; Menſe Majo, quo coire Cochleæ ſcribuntur, avide omnia ſcrutati fuimus: Vidimus hinc plurimas minutulas Cochleas, ſenſim ſenſimque accreſcentes, quæ ſuſpicionem de ovo auxerunt. Poſt animum ſubiit plures Cochleas veteranas vaſi cuidam fictili includere, ipſisque præter terram, nihil pro alimento ſuppeditare: in quo cum per aliquod temporis ſpatium commorarentur, nec tamen ova excluſa videre liceret, cultro rem rurſus aggreſſi fuimus, & ecce per caudam transparuere plurima ovula, vitellum colore referentia, quæ compreſſa ſuccum ſimilis coloris exhibuerunt: perſecuti hinc fuimus ſitum incipiendo juxta latera dorſi, omique impedimenta amovendo, circa quæ animadvertimus, ex vaſis quæ in caput inſeruntur, vaſa innumera verſus caudam diſpergi, quæ ſubſtantia ligamentoſa ablata ad ulterius examen traximus. Sed vix dum hæc erat amota, offert ſe corpus oblongum, cellulatum ad usq; caput, non tamen ad finem usque caudæ pergens: huic adjacebant ovula plura, & ex ipſus cavo, cum premeretur, eadem exierunt, quod cum in aliis Cochleis poſtmodum quoque obſervaverimus, corpus hoc uterum dicere vix metuimus. Jam animum pars hujus animalis maſcula torquebat: plures hinc cultro rurſum ſubjectæ, quæ omnes corpore hoc celluloſo gaudebant, unde quid de ſexu dicendum, valde anxii eramus. Tandem hoc ipſo cum verſaremur in negotio, commodum offeruntur Cochleæ binæ quæ coierant, per quarum utriusque corpus trajectum erat oſſiculum, quale in vaſe cuneiformi latitat, cui multum adhæſit materiæ viſcidæ. Aggredimur examen, & utramque ferro tentamus, de partium diverſitate reperiunda non dubitantes. Sed fefellit ſpem eventus: In utroque enim corpus cellulatum invenimus: luſtravimus hinc oſſiculum in vaſculo cuneiformi, quod breve, annexum corpori glanduloſo, cum quo penis figuram referebat, eſſe vidimus. Nondum tamen a ſexus diverſitate abſtinere voluimus, donec, cum hæc ita nobiſcum penſicularemus, SQUAMMERDAMII locus occurrit de reſpiratione.

In Limace ſeu Cochlea terreſtri quoque (animal certe rariſſimum, ac utriusque ſexus particeps, id eſt, penem vulvamque habens, quos in collo cricumgeſtat) peculiarem, ſi ita appellare liceat, reſpirationem notavimus &c. Adſtipulabimur proin hujus viri ſententiæ, donec vel aliis vel nobis aliæ partes præter modo indigitatas innotuerint. Hæc HARDERUS.

Hiſce Harderianis addenda videntur ea, quæ PEJERUS ad ipſum HARDERUM ſcripſit, dicens, fruſtra ſunt qui Cochleis carnem & ſanguinem denegant, nam ſanguinis eſſentia non in purpura conſiſtit, neque carnis in rubore. Vnde quod Tu lympham appellas ego ſanguinem dixerim. In cor enim vena ingreditur, & ex corde arteria egreditur, utrumque vas ſanguinem vehens. Quippe dantur in Cochleis alia inſuper vaſa, quæ lymphicis in corpore humano reſpondent, licet viſum fere ſubterfugiant: adſunt præterea pori & ductus excretorii, mucum undiquaque diffundentes, ut corpus anguillæ magis lubricum reddatur. Conſpiciuntur in Cochlea præ ſertim ad baſin, qua repit & arboribus ſe affigit ſingulares glandulæ mucaginem illam ſuppeditantes, ex quibus hæc fibrarum circumjacentium motu jugiter exprimitur. Hæc ipſa illa mucago eſt, quæ in locis, per quæ Cochlea repſit exiccata ſplendet inſtar foliorum argenti. Corrugata acin ſe ipſam veluti coacta Cochlea talem habet formam, qualem habet domuncula in qua hoſpitatur. Exporrectæ vero ſi domum abſtuleris alia figura eſt, enimente cornuto capite, elice tortuſo & baſi ſeu veſtigio lato. Carnibus ſuperioribus impoſita capitella ſunt oculi e quibus cryſtallinum humorem eruiſſe SCHWAMMERDAMIUS fertur. Obſervari etiam admoto cominus bacillo, cornua iſta in Cochleis vegetis ante recedere, quam proxime tangantur ab eo, quod oculorum præſentiam evincit. Quod in Cochleis hactenus aſſequi non potui, mihique maxime mirandum videtur, motus eſt, quo cornua illa mox protenduntur, ut arrecta proſtent, mox reconduntur ut abſcondita deliteſcant. Nondum inqnam, comprehendere poſſum, qualis fibrarum ſtructura diverſos hos motus edat. Cæterum notatu quoque dignum eſt foramen in principio helicis, inſtar pupillæ in oculo hominis ſe aperiens & claudens ut aër intret, exeatque. Superato foramine illo, cavitas ingens notatur aſperæ arteriæ, bronchiorum & pulmonum vices ſupplens. Hic arteriæ plurimæ cernuntur elegantiſſimis ramificationibus,

mem-

membranas, quæ cavitatem iſtam formant, ſtipantes, ut Nitro aërea ſymbola ſanguini accedant ex corde profecto. Vaſa hæc per teſtam, ſi tenera eſt & nondum ablata, eleganter tranſparent, non autem ipſi domunculæ inhærent, quæ vaſis talibus deſtitui videtur. Oſſiculo poroſo in cylindro latenti, ſi Spiritus Nitri aut Vitrioli affunditur, protinus effervefcit. Materia candicans qua vaſculum, ut Tu vocas, lacteum ſcatet forſan operculo teſtæ formando impenditur. Teſtam Cochleæ mundo ſecum inferunt, in hoc præ aliis felices, quod tectæ cum domo naſcantur. Ea vero in principio adeo delicatula eſt, ut Ceræ vel membranæ inſtar ductilis flexiliſque ſit; poſtea vero creſcente Cochlea, creſcit & extenditur. Notandum incrementum illi accedere, qua parte fores patent, eructato humore viſcido qui ſenſim induratur, inque teſtam abit vernis ac æſtivis præcipue menſibus.

LAPIS

Cochleæ variis gentibus in uſu fuere olim & ſunt etiamnum. Romanos hiſce cibi loco uſos eſſe teſtantur Cochlearia ab his inſtituta. Cochlearia autem denotant cellas, quæ in Cochleæ formam extructæ & hiſce reſervandis maxime erant idoneæ. Hodie intelliguntur varia loca, in quibus, præſertim in Cœnobiis, cuſtodiuntur. Græci itidem hoc ipſum animal cibum ſibi eſſe juſſerunt. Neque etiam hoc ævo Cochleæ dantur induciæ, quin tempore hyemali, dum tutum ſibi ſub terra quæſitura aſylum proprio ſe occludit operculo, variorum patitur inſidias, ubertimque collecta varie divenditur, & vendita vel reſervatur, tempore quadrageſimali gulæ ſacrificanda, vel mox a coquo ultimas accipit exequias, inque cibum palato gratum & jucundum conditur. Eliguntur autem operculares quæ in vinetis & fruticetis reperiuntur, ſunt enim ſapidiores & palato gratiores: quæ in udis opacis paluſtribusve locis degunt, vel inſipidæ ſunt, vel limum ſapiunt paluſtrem.

Vul

Vulgaris Cochleas præparandi modus hic eſt. Elixantur Cochleæ in aqua cinerum per horæ ſpacium, hinc exempta aqua ſalita a ſordibus omnino purgantur & eviſcerantur, poſt demum in juſculo carnium, cui addunt petroſelinum & butyrum cum aromatibus convenientibus, in offam gratam & amicam excoquuntur: ab aliis etiam integræ devorantur. Itali hunc fere in modum Chochlea pro alimento, ſtomacho grato & jucundo, uti ſoliti ſunt. Chochleas integras craticulæ impoſitas torrent usque ad operculi decidentiam, hinc illas butyro, ſale & maci, quantum ſatis eſt conſperſas, in edulium amicum excoquunt, integrasque poſt gulæ immolant. Cæterum de ἐυπεψία vel δυσπεψία facili aut difficili concoctione hujus animalis ſi moveatur quæſtio, dicit GALENUS ſequentia verba. Duram quidem habent carnem & propterea concoctu difficilem, ſi vero concoquatur, ſumme nutritiam. Eandem quoque ſententiam amplectitur CELSUS. Alii vero ab horum opinione decedunt cochleasque ſi non δυσπέπτους ſaltem βραδυπέπτους cibos exiſtimandos eſſe ajunt. GALENUS rurſus hæc verba pronunciat. Citiſſime igitur & confertiſſime alit vinum, tardiſſime & ſenſim bubula, & cochleæ. Ex ATHENÆO quoque hæc hauriuntur. Hercules Tarantinus a conviviis coërcens bulbos, dicitur illa præcipue quæ viſcida & lenta ſunt &c. proſcribere, uti ſunt ova, bulbi, Cochlea & his ſimilia, permanent enim in ventriculo per multum tempus & involuta humidum detinent. Sunt & alii Medici qui Cochleas difficilioris digeſtionis eſſe generaliter aſſerere vix metuerunt. Id mirari ſubit quod GALENUS ſemet contradictionis reum faciat, dum uno in loco nutrimentum præbere uberrimum aſſerit, in altero autem tardioris digeſtionis eſſe aperte affirmat: videtur nihilominus GALENUS adhuc aliquatenus defendi poſſe, etenim in uno loco non negat

Cochleas

Cochleas duram omnino habere carnem, hanc autem ſi bis terve elixetur, coquatur & condimentorum aſperſione digna habeatur, tenellam fieri & in alimentum utile faceſſere ait. Quæ ſi ita explicentur, ut in altero loco Cochleas nudas, nec dum bene elixatas intellexiſſe dicatur, ſibi neutiquam contradixiſſe poterit: revera enim Cochlea in ſe conſiderata, alimenti eſt tardi, multo tardioris adhuc,ſi ope ignis & alimentorum ipſi non placuerit ſubvenire. Imprimis autem contra Cochleas inſurgit SEBIZIUS. Verba hæc ſunt. Tantæ gulæ eſt inſania,ut Apicii ſectatores ne ab illis quidem ferculis ſibi temperent, quæ certo ſciunt ſanitati plurimum incommodare: cujusmodi ſunt caſeus putridus, vermiculi ex illius putredine geniti, ova olentia ſemique putrefacta, fungi, qui ulcera terræ alias nominantur, & Cochleæ, animalia, quorum caro prædura eſt concoctu difficilis, craſſorum ſuccorum genitrix & obſtructionum mater admodum fæcunda: multum enim glutinoſæ & impuræ ſubſtantiæ illi eſt adjunctum; ut mirari ſubeat, eos, qui hectica & phthiſi laborantibus eam ſingulariter comendant. Conſtat enim tales cibis egere eupeptis, chyloſis & optime nutrientibus. Nativus enim illorum calor languet: ventriculus eſt infirmus: ſanguis & ſpiritus ſunt pauci: adeo ut delicatis potius, humidis, mollibusque & roborantibus nutriendi ſint eduliis, quam talibus animalculis, quorum caro talis, qualis deſcripta: & quæ non raro paſcuntur rebus putridis, putidis imo & venenatis: inque locis udis opacis & ſordidis fere degunt. Poſtquam diffuſe deinde ſuam defendere opinionem conatus eſſet,tandem concludit hunc in modum. Quod enim viſcidum eſt & frigidum, quodque ſub terra & extra eam in locis uliginoſis degit, rebusque noxiis ſæpe nutritur,laudabilem præbere corpori alimoniam nequit.Sed ſi dicendum quod res eſt,valet & hic illud, Tro-

janos intra muros peccatur & extra. Gallinæ, anates, anſeres &c. degunt locis uliginoſis & res noxias ſæpe devorant iisque nutriuntur, ergo bonum non poſſunt ſuppeditare alimentum? Hoc certum quod minus bene præparatæ & nimia in quantitate aſſumptæ nocere queant, interim non ſequitur in uſum non eſſe trahendas. Haud raro Medici eas res, quas palato ipſorum vel arrident vel diſplicent, aliis commendant vel diſſuadent. Recte ETTMULLERUS dicit, quod ſuggerant Cochleæ gelatinam, copioſo ſale volatili admodum temperato imprægnatam, in hectica & phthiſi ſummopere commendabilem. Ipſe ego, qui hæc ſcribo ſancte teſtari poſſum me juſculo Cochlearum, quod inferius deſcribendum, & cancrorum fluviatilium una cum Gelatina avenacea corpus exſuccum, ita ut non niſi cutis oſſibus hæreret, per Dei gratiam feliciſſime reſtituiſſe, qua de re in præcedenti tomo jam etiam mentio facta ſub Avena.

Ex Cochleis e teſtis exemtis & per ſe examine ignis ſubjectis haurire licet Sal volatile, ſpiritum atque oleum: Sale fixo ut reliquæ animalium partes deſtituuntur nihil poſt calcinationem aperto vaſe inſtitutam præter terram inſipidam habebis. Sal volatile Cochleæ ſatis magna quantitate, habito ad ſtructuram partium animalis reſpectu obtinetur. Diaphoreticum eſt & diureticum atque ad dyſcraſiam ſanguinis acidam tollendam admodum idoneum: nempe particulæ hujus in cruorem admiſſæ, ſalis fluidi in eo præpollentiam deſtruunt, unde ſanguis & a coagulatione liber fit & quod ſuperfluum eſt ſeri, renibus per ureteres amandandum tradit: eædem particulæ, partibus acido ſalinis occurrentes, hisque junctæ non tantum ſanguinis compagem reſerant, ſed ob mixturam heterogeneam ejus maſſam exagitant (vel ut alii loquuntur) quia partes habent efferas & elaſticas,

ſticas, faciunt, ut excrementa ſeroſa facilius ſegregentur perque poros cutis expellantur. PLINIVS, ait, ad fœminarum ſtrumas veteres Cochleæ cum teſta tuſæ illinantur maxime quæ frutetis adhærent. Nos, inquit, HARDERVS, majori jure ſale volatili dyſcraſiam ſanguinis acido ſalinam emendantes cauſæ ſtrumarum antecedenti proſpicimus. Porro idem author ad ſtomachum Cochleas commendat dicens, præcipue vero cochlearum cibus ſtomacho: in aqua eas ſubfervefieri intacto corpore earum oportet, mox in pruna torreri, nihilo abolito atque ita e vino garoque ſumi: porro, proſunt & ſanguinem exſcreantibus dempta teſta tritæ in aquæ potu. Sane ſi quæ Cochleæ ineſt vis ſtomachum roborandi, illa præcipue in ſale volatili conſiſtit: Hæmoptoicos autem ſi Cochleæ juvant, muco hoc illorum glutinoſo præcipue debetur, quamvis & ratione ſalis volatilis aliquid agere poſſint. Prodeſt porro, ut HARDERVS docet, ſal volatile arthriticis, non enim tantum ſalia in maſſa ſanguinea in fluorem evecta corrigit, ſed & inſuper ἱφιδρωσιν parit haud levem. Convenit porro nephriticis, quatenus & coagulationi ſubvenit, ſimulque ſeri ſalſi ſuperfluitates per vias urinarias commode evacuat, easdem ob rationes emolumento eſt hydropicis & iis, quorum ſanguis nimio ſero imprægnatus eſt: Ad ictericos porro ſcorbuticos alioſque ex ſanguinis dyſcraſia oboriri ſolitos affectus erit conducibile. Menſibus quoque ſuppreſſis medetur. Iisdem uſibus inſervire poteſt ſpiritus Cochleæ tanto majori doſi exhibendus, quanto ſale volatili minoris eſt efficaciæ. Oleum fœtidum præſtantes quoque habet vires: externe vim habet reſolvendi, diſcutiendi & attenuandi, adque tumores vel maxime induratos abigendos ſummopere conducit, mira quoque præſtat in articulorum doloribus & tumori-

moribus; quibus reſolvendis decenter illinitum inſervit: uſus ejus interne rarior eſt ob ſummum fœtorem, qui non naribus tantum ingratus, ſed & linguæ inimicus eſſe conſuevit: ſi quis tamen guttas aliquot olei rectificati in uſum vocare voluerit, illud non inutile experietur, quin ſanguinem ſubeundo ſulphur ejus adaugere, ſal volatile & ſerum exaltare, ſicque variis affectibus, imprimis Cachexiæ, obſtructionibus variorum viſcerum &c. mederi potis eſt.

Sunt qui aquam exinde deſtillant, quam atrophia laborantibus mire commendant. Alii ejusmodi aquas ſpernunt & juſcula atque gelatinas præferunt: decoctæ enim Cochleæ mucilaginem, in qua virtus earum nutritiva, glutinans ſtabulatur in juſculum deponunt. Sequenti juſculo ego uſus fui.

Recipe Cochlearum debito modo decoctarum & a cornubus interaneisque tantum repurgatarum, relicta mucoſitate No. 8. vel. 10. Cancrorum fluviatilium, quibus caput abſciſſum & inteſtinum extractum prius eſt. No. ij. vel. iij. conſciſſa & contuſa in juſculo carnis tam diu coquantur donec juſculum bene rubeſcat, poſtmodum juſculum cola & rurſus fervefac & Cochleariæ Naſturtii conſciſſ. ana p. ij. vel iij. injice & ab igne remove vas bene operiendo: interim vitellum ovi in q. s. alterius juſculi diſſolve & quando prius juſculum eo usque refrigeratum eſt, ut hauriri queat, utrumque juſculum conjunge, addito pro re nata vel ſale vel Butyro vel Maci &c. Atque ſic per aliquot ſeptimanas jejuno ſtomacho hauri.

ZWELFFERUS ſequens remedium analepticum commendat.

℞. Capon. num. j. Hepatis, cordis pulmonum vituli ana partem dimidiam, Limacum aut Cochlearum recentium

ſale

ſale & aqua ſæpius purgatarum (ego ſuaderem ut mucoſitas relinqueretur) No. xx. Hepatum gallinarum conſciſſ. No. iiij. Cancrorum fluviatilium No. xx. Rad. conſol. major. rec ℥iß. Herb. rec. Scabioſæ, Veronicæ, plantag. ana ℥j. flor. rec. roſ. rubr. ℥iß. Hepaticæ Roris marin: ana ʒij. ſucc. tuſſilag. rec. expr. ſeri lactis Caprini depur. ana ℥vj. cinam. nuc moſch. ana ʒij. macis, croci optimi ana ʒj. Radic. Chin. elect. ℥iß. Hæc omnia conſciſſa & mixta immittantur lagenæ ſtanneæ, quæ claudatur ſua clauſura aut operculo & inſuper veſica, ne nimium expirare poſſit vapor & contenta forte exſiccari. Coquatur poſtea in duplici vaſe, ſcilicet aquæ immerſa lagena in aliam ollam horis quinque vel ſex. Peracta coctione & pauliſper a fervore remittente, aperiatur lagena & omnia fortiter exprimantur per linteum, expreſſum condiatur modico ſale, macere, & cinnamomo, ſi forte in coctura adjectorum aromatum fragrantia nonnihil exhalarit: cum refrixerint, in patina ſtannea vel terrea congelabitur: & fiet gelatina accepti ſaporis odoriſque, coloris rubicundi, ac inſuper validiſſima ad omnes exulcerationes & læſiones internas, præcipue pectoris & pulmonum, quæ omnibus juſculis, panatellis, cremori hordei, oryzæ atque ſimilibus ferculis etiam cum lacte caprino confectis ac coctis immiſceri & uſui ſervire poteſt, quoties & quantum de die libuerit, damnum neutiquam allatura, modo non ultra limites naturæ ſumpta nec ad ſatietatem usque.

COCHLEÆ CRUDÆ TRITÆ cum aquæ tepidæ cyathis tribus, ſi ſorbeantur (inquit PLINIUS) tuſſim ſedant, præcipiuntque Cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tuſſi cruenta. Cochleæ quoque terreſtres cum ſuo putamine tuſæ (ut refert MATTHIOLUS) addita parva quantitate myrrhæ & cum vino bibitæ adverſus

ſus colicam juvant. Adverſus Phthiſin SERENUS SAMMONICUS ſuadet:

Intritas vino Chochleas hauſiſſe juvabit.

Alii ad idem viginti aut triginta limaces conterunt in mortario, contritosque projiciunt in menſuras quatuor aquæ & coquunt ad dimidium, offeruntque ægrotanti ſingulis matutinis menſuram convenientem, reiterando quousque convaleſcat. Cochleæ in cibo ſumptæ accelerant partum, hinc SERENUS SAMMONICUS ſuadet earum uſum ut facile pariat mulier:

Dictamnum bibitur, Cochleæ manduntur edules.

Inflationem etiam ſecundum PLINIUM diſcutit Cochlearum eſus.

COCHLEÆ TRITÆ, ſi una CUM TESTIS imponantur toti ventri aqua intercutanea laborantis, & in arthriticis articulorum tumoribus, ægre quidem divelli poterunt, cæterum valde ſiccant, eosque ideo inhærentes permittere oportet, donec ultro decidant. Idem faciendum in tumoribus ex ictu natis difficile ſolubilibus & ex contuſione facta in auribus; deſiccant enim magnopere, etiamſi viſcoſus craſſuſque humor contineatur. Hæc GALENUS; qui & alibi inquit: Cochlearum caro prius in mortario contuſa ac poſtea ad lævorem redacta omnium valentiſſime deſiccat partes ſuperfluo humore gravatas. Cochleæ caro, ut author eſt RHASIS, aperit apoſtemata: oportet autem, ut ei admiſceatur farina hordei & pulvis molendini. Carnes inſuper cochlearum cum thure & myrrha illitas cum vulnera alia tum maxime nervorum ſanare ſcribit DIO-

SCO-

SCORIDES. Cochleas terreſtres ſive Limaces quidam addunt emplaſtris ad maturanda œdemata, aliqui etiam ad reſolvendum. Quidam illas per ſe vel cum aliis cum melle & felle bovis miſcent, & imponunt anthracibus aliisque apoſtematibus venenoſis, maturant ea & rumpunt & quemlibet tumorem: ſunt qui Cochleam panno involvunt & collo appendunt pro febris amuleto: quod ridendum magis quam ſuadendum, ut loquitur VAN DEN BOSSCHE.

Cochleas contritas & fronti illitas e naribus fluentem ſanguinem ſiſtere ferunt PLINIUS & SERENUS. Capitis doloribus remedio eſſe Cochleas tritas & minutas, fronti illitas, dicit PLINIUS, idemque SERENUS de medendo capite inſinuare videtur.

Profuit & Cochleis frontem tractare minutis.

Ad oculorum dolores Cochleas teſtis exemptas in aqua coquito, quæ ubi refrixerit, adipem ſupernatantem colligito. Eam nonnulli omnibus oculorum doloribus mederi putant. Quidam Cochleas laudant tanquam remedium Hepaticum. Cochleæ crudæ contritæ cum teſtis ſuis & ex paſſo per dies ſeptem aut utplurimum novem potui datæ, efficaciter dyſuriæ proſunt juxta MARCELLUM, qui porro dicit Cochleam unam grandem vivam capies & ejus carnem eximes, ac ſolam teres in mortario & cum aceti acris cochlearibus tribus dabis bibendam, atque hoc per triduum facies, deinde intermiſſo triduo, niſi expulerit calculum, idem remedium, ſi neceſſum fuerit, ſæpius dabis. Externe, ut habet ETTMULLERUS, podagram & ſimiles dolores curant & ſiſtunt, quoniam ſale volatili alcalino occulto ſcatent, quod ſimile eſt ranarum vel ſpermatis ranarum alcali, ratione cujus abſorbet acidum podagricum & ſic ſolamen doloribus affert.

affert. Cochleæ corpori impactos aculeos illitæ evocant, & menſes nimium fluentes ſiſtunt.

Cochlearum cinis eſt facultatis admodum deſiccantis, ut ſcribit GALENUS Cochleæ cum ſuis volutis (ut ſcribit HOLLERIUS) & ſaliva, cremantur in novis fictilibus & cinis ſectæ arteriæ inſpergitur, & ſanguinem ſiſtit. Ad abſceſſus in tonſillis Cochleas teſta nudatas in ollam injice, deinde eas torrens & in cinerem redigens, puro melle ac leni excipe, atque perunge, hujus vim incredibilem eſſe affirmat GALENUS. Cochlearum cineres ſpleni quidam accommodant, (ut refert, ex PLINIO PLATERVS) cum pulvere ſeminis Lini & Urticæ propinatos; jam induratum emollire ſcribunt.

TESTÆ COCHLEACEÆ, COCHLEÆ DOMVS Schnecken-Häußlein/ congeneres ſunt teſtis cancrorum fluviatilium, hinc uſus pariter diureticus eſt: unde adeo decantatæ ſunt in cura hydropis per urinam curandi: uſurpandi modus eſt, dicente ETTMVLLERO, ut tantum exſiccentur, & pulveriſentur. Rimas porro manuum ſiccant & conſolidant. HARDERVS docet, quod teſtæ Cochleæ nullo quoque conſtent ſale fixo, ſed eadem præbeant, quæ Caro Cochleæ, ſal videlicet volatile, ſpiritum item & oleum, ſatis fœtida, cum phlegmate & terra, unde ſimiles ipſis attribuere virtutes iisdemque uſibus, illa mancipare nihil videtur eſſe abſurdi, in ſanguinis enim aciditate tollenda, inque cruoris tenore reſtaurando per ablationem coaguli teſtæ plurimum poſſunt, quos effectus jam Veteres olim fuere experti. PLINIUS teſtarum inanium cinerem ad calculos pellendos commendat. Cochleæ teſta, inquit SCHWENCKFELDT, uſta calefacit, ſiccat, exurit. Pulvis inſperſus ſanguinem ſiſtit, hæmorrhoides ſanat, ulceraque capitis; cum thure Hernias.

OPER-

OPERCULA COCHLEARUM Schneckendecke=lein / bene abluta & pulveriſata iisdem gaudent virtutibus ac teſtæ & pariter per urinam curant hydropem, ſi ſingulis mane, & veſpertino tempore ſumantur in convenienti vehiculo, quantum cultelli cuſpis capit. Alii recipiunt dicta opercula, reſolvunt in ſpiritu ſalis, reſoluta per abſtractionem menſtrui coagulant & per deliquium fluere faciunt. Talis liquor diureticus egregius eſt in hydrope. Loco ſpiritus ſalis in vino acidulo, vel aceto ſolvantur, & idem erit cenſente ETTMULLERO. Expetitur autem imprimis Operculum ſive Folium Cochleæ, quod ſponte ſua vere novo erumpentes Cochleæ removent. In hoc, ut habet TRUMPHIUS in EPHEM. NAT. CURIOS. ſingularem deprædicant virtutem diureticam, ut quidam fuerit in ejus patria medicaſter, qui ſat grandi pretio hanc ſuam panaceam nulli revelandam, in ſuppreſſione urinæ cum fructu vendiderit. Quidam inſtar ſummi arcani in calculo commendant hoc Cochlearum operculum cum tantillo Nitri mixtum. Quidam addunt oculos Cancri, alii nucleos malorum perſicorum.

PINGUEDO in elixato brodio, ubi id refrixerit, ſupernatans, oculorum rubedini doloribusque medetur, defluxiones ad oculos intercipit fronti cum albumine ovi impoſita.

MUCUS μύξα κοχλίυ, MUCUS SALIVOSUS, SALIVA, quæ compunctis præſertim cochleis redditur, emplaſtica virtute gaudet: cum thure & myrrha purulentas aures mitigat, deſiccatque, fronti ſi applicatur, oculorum fluxiones reſiccat.

Sunt, qui ex ipſis Cochleis bene prius ablutis per Mariæ balneum deſtillant phlegma ſeu aquam pro ſcopo cos-

metico in vitiis cutis, manuum & faciei. Liquor autem per deliquium aquæ deſtillatæ merito, judicante ita ETTMULLERO, præfertur, tam ex Cochleis contuſis & ſale communi, vel cum ſale tartari conſperſis in loco frigidiuſculo aſſervatis, ubi in liquorem egregie coſmeticum defluunt, quam ſimpliciter ex Cochleis vel etiam Limacibus acubus pertuſis ſponte ſua effluens: uterque liquor ſale volatiſi alcali temperato, id eſt minus oleoſo imprægnatus eſt, ratione cujus in ardoribus & doloribus ex acido viſcido oriundis egregie anodynus & refrigerans eſt.

LAPIS PORCINUS

vulgo

PEDRA DEL PORCO.

Eſt lapis ſpongioſus in veſica fellea Hiſtricis generatus, carnei vel potius parenchymati Hepatis haud abſimilis coloris, ſaporis amariſſimi, tactui lubricus, ſaponis inſtar, occurrens, licet quaſi ſquamatus, ſeu potius faveolis quibusdam, inſtar veſtigiorum à variolis relictorum, præditus, variis virtutibus gaudens, ut etiam auro pretioſior æſtimetur.

Gau-

Lapis Porcinus ſeu rectius, Histricinus, Bezoar Porci, Luſitanis dicitur Piedra del Puerco, Vulgo mercatorum Pedra Porcas, Pedra de Porcas, Pedra del Porco &c. audit, cum omnium conſenſu non tam e ſuibus & porcis quam Hiſtrice, Erinaceis magis ſimili, petatur.

Animal hunc lapidem ſuppeditans eſt HISTRIX: vocatur a nonnullis PORCUS SPINOSUS, ein Stachel-Schwein/ ſeu ut alii

alii loquuntur, PORCUS MARINUS & PARCAPT, non quod aut marinum aut amphibium ſit animal, ſed ea ratione, qua vulgus mediterraneum & a regionibus maritimis remotum incognita quævis & exotica, marina vocare ſolet, ut non ſine cauſa judicat GESNERUS. Appellatur etiam PEDRO DE VASSAR & ab Indis MASTICA DE SOHO nuncupatur. Gallice audit PIERRE DE PORC.

Hiſtrix petram porcinam ſuppeditans animal eſt Indiæ Orientalis, porci bimeſtris magnitudine ore cuniculo haud abſimile, auribus, hominem, pedibus anterioribus taxum, poſterioribus vero urſum æmulans, juba in ſuperiori capitis parte erecta ſuperbiens, in reliqua vero corporis ſuperficie ſpinas duorum triumve palmorum gerens, verſicolores & articulatim mox albicantes mox ex fuſco nigricantes, quas ira percitum cum rauco quodam murmure in adverſarium inſurgens erigit, & tanquam ſariſſas projicit. His canes & inſequentes feras inſigniter ferire aut vulnerare valet, adeo quidem, ut Leones etiam interficere dicatur. Non autem ſpinis tantum ſed & dentibus acutiſſimis æque ac prolixiſſimis inſignes ictus infigere poteſt.

Sunt qui dubitant lapidem hunc in veſicula fellea generari, quoniam in aquam projectus minime eidem ſupernatat, ſed fundum petit. Jam autem pro certiſſimo quodam indicio, an lapides quidam in veſicula fellea generati ſint, eorum ſupernatationem habent. Hinc dictum, probabile videri hunc lapidem in ſtomacho potius, quam felleo folliculo generari. Sed illa manifeſta amarities, quam & ipſe lapis & infuſio ejus præ ſe ferunt, eundem e bile quocunque demum modo coagulata, & cum aliis particulis volatilibus in calculum induratа eſſe adſtruit, præſertim cum allegata exploratio infirmo admodum ſtet talo.

Hic lapis veſicula quadam ſeu tunica exteriori, dum primum ex India adfertur eſt obductus, quæ nihil aliud eſt, quam folium tenuiſſimum glutine quodam artificioſiſſime adhærens, quod infuſione aut maceratione in aqua ſimplici aut alia deſtillata calefacta diſſolvitur, & ab eo ſeparatur, ſicut id curioſe ſibi ſervavit DECKERUS Practicus Lugdunenſis, qui non ſine fœnore eo lapide uſus eſt, pro unica enim ejus infuſione duo nummi unciales erant ſolvendi.

Gaudet hic lapis virtute diaphoretica, & alexipharmàca & Indi eum cæteris alexipharmacis præferunt. Calidum; uti loquuntur, nativum conſervat, viſcera roborat, humores crudos in toto corpore conſumit, nimiam pinguedinem cohibet, ab Apoplexia & Epilepſia præſervat, materiam calculi ſine dolore diſſolvere & arthritidem curare perhibetur; ſpecifice Choleram curare dicitur & in ictero calculoſo laudatur. Alvum tamen etiam ſimul movet haud infrequenter lapis porcinus, idque cum euphoria, unde commode tutoque ſubſtitui poterit diaphoretico laxantibus aut emetice diaphoreticis, eoque magis, quod ob particulas oleoſas ſimul blanda vi anodyna imprægnatus ſit, qua moleſtiſſimas æque ac periculoſiſſimas præcordiorum anxietates in febribus, acutis præcipue, malignis, ſi quid aliud, refrænare valet. Forſan gaudet etiam virtute emmenagoga, ita ut ob metum abortus lapidem hunc prægnantibus exhibere ſubveretur FRID. HOFFMANNUS in CLAVE ad SCHROEDERUM. Omnes autem illæ qualitates lapidis Porcini dubio procul adſcribendæ ſunt particulis, quibus gaudet, tenuibus, calidis, & ſalino volatilibus, quas aut a ſpiritu Urinoſo aut ab herba quadam aromatica, quam loca altiora conſcendens hiſtrix devorare dicitur, aut quod probabilius a ſale volatili acriore bilis, in qua generatur, obtinet, cui multum in acceptis ferre lapidem manifeſtiſſima ejus amarities evincit Quemadmodum enim fellea quævis multum ſalis & alcalini volatilis fundunt particulisque ſuis ſalinis & acutis etiam in clyſteribus inteſtina ſtimulant: ita harum intuitu alvum quandoque laxare, illarum vero ope diaphoreſin movere, viſcera roborare, calidum quod dicitur nativum, confortare, cæteraque illis attributa expedire vero admodum ſimile eſt. Penetrantiſſimum autem

in

in hoc lapide eſſe ſal volatile non ſaltem inde conſtat, quod aquæ ſive ſimplici ſive deſtillatæ infuſus vim ſuam menſtruo ſtatim communicet ſed ex eo, quod in vola manus tamdiu, donec incaluerit, detentus, amaritiem ejus in dorſo manus guſtare liceat, uti quidam volunt.

Ob nimium pretium rariſſime vel nunquam iu ſubſtantia ſed potius in infuſo tantum datur, licet in pulvere magnarum quoque virium ſit in febribus malignis propulſandis, ſi tantum ad gran. v. vel vij. ditioribus propinetur.

℞. Lapid. porcin. gr. vj. Cinnab. nat. pp, C.C. philoſ. pp. ana gr. v. Mſc. f. pulvis ſubtiliſſimus in aqu. Centaur. min. aut rub. idæi propinandus.

Infuſio vel cum Malvatico, vel aqua quadam deſtillata, quæcumque demum fuerit, paratur, aqua v. g. Card. Bened. Centaur. minor &c. cujus unciis duabus Pedra del Porco per unius aut alterius horæ ſpatim infunditur, prout aqua citius aut tardius amareſcit. Hæ tinctura, ſeu rectius infuſio, cum aqua non tingatur, prorſus amaricans ægris propinatur in febribus omnis generis, cum primis malignis, aphthis, anxietatibus cordis aliisque ſymptomatibus funeſtis ſtipatis, variolis item & morbillis, ita quidem, ut omnibus aliis, etiam probatiſſimis bezoardicis irritis, tandem ad lapidem hunc tanquam ad ſacram anchoram & quidem felici utplurimum eventu confugiatur.

Cum mihi non licuerit hactenus cum hoc lapide ullum inſtituere experimentum ipſiſſima VALENTINI verba ex Polychreſtis exoticis hic apponere conſultum duxi.

PENNÆ

PENNÆ PERDICUM.

Sunt alarum & caudæ Perdicum pennæ majores.

Sine

Avis iſta πέρδιξ a Græcis item περδίκη, Latinis Perdix Germanis Räb & Feldhun/ Rephun/ PERDRIX Gallis dicitur. Nomen Germanum exinde obtinet, quod in vinetis & campis frequenter degat. Uſurpatur vox πέρδικος ab Ariſtotele tam in maſculino quam fœminino genere. Nomen accepit a ſono, quem edit, teſte ISIDORO.

Avis hæc duorum fere dodrantum longitudine, colore omnino vario. Roſtrum ſubfuſcum eſt, ſubflavum & rufum ſaturum, colores obtinet per transverſum alternatim diſpoſitos. Alæ fuſcæ ſunt & lineis longiuſculis maculisque albicantibus & rufis majuſculis per transverſum aſperguntur. Caudæ pennæ utriusque lateritii coloris ſenæ, mediæ totidem cum dorſo ſimiles. Sinciput, partes circa oculos & prora capitis cum mento ſimplici rubore inſigniuntur. Collum & pectus dilute cinerea ſunt, exiguis punctulis nigris quaſi per verſus criſpos & undantes interſtincta. In medio ventre pennæ rufi coloris ad fuſcum tendentes, Venter inferior & crura albicant, Pedes ex glaucedine fuſci.

Salaciſſima eſt perdix & de illius ſalacitate jam teſtantur ARISTOTELES & PLINIUS. ARISTOTELES memorat usque adeo tum perdices, tum etiam coturnices copia libidinis gaudere, ut in aucupantes corruant & ſæpe numero capitibus eorum reſidant. Mares ova, quæ compererint, pervolvere & frangere præ ſua ſalacitate, ne fœmina incubet; quod ne accidat, fœminam clanculum aufugere & parere. Fieri autem ſæpius ut præ turgore parturiendi quolibet loco edat, etiam mare præſenti. Sed ut ova ſerventur, nunquam ex eo quo peperit loco ſecedere, & ſi ab homine viſa ſit, ita ſe ab ovis aſtute, quemadmodum a pullis ſubtrahere labantem ante hominis pedes, dum dimoveat. Verum cum aufugerit fœmina, ut incubet, mares tumultuari, clamitare pugnamque inter ſe conſerere, quo χήρευς cœlibes vocant, quod fœminis incubationi intentis quaſi vidui exiſtant. Qui autem victus in pugna fuerit, ſequi victorem, a quo etiam ſolo initur. Quod ſi quis ab illo altero, aut quovis alio ſuperetur,

illum

illum clam ſubigi a ſuperatore. Verum hoc non ſemper ſed certo anni tempore fieri ſolet. Sæpe & fœmina incubans exurgit, cum marem ad fœminam venatricem accedere ſenſerit, occurrensque ſe ipſam præbet libidini maris, ut ſatiatus negligat venatricem & ab hac abſtrahatur. PLINIUS de libidine perdicum ſic loquitur. Ovis ſtragulum molli pulvere contumulant, nec in quo loco pepererunt incubant: neve cui frequentior converſatio ſit ſuſpecta, alio transferunt. Illæ quidem & maritos ſuos fallunt, quoniã intemperantia libidinis frangunt eorum ova, ne incubando detineantur. Tunc inter ſe dimicant mares deſiderio fœminarum. Victum ajunt Venerem pati. Id quidem & coturnices, Trogus & Gallinaceos aliquando: Perdices vero a domitis feros & novos aut victos iniri promiſcue. Capiuntur quoque pugnacitate ejusdem libidinis contra aucupis indicem exeunte in prælium duce totius gregis. Capto eo procedit alter, ac ſubinde ſinguli. Rurſus circa conceptum fœminæ capiuntur, contra aucupum fœminam exeuntes, ut rixando eam abigant. Neque in alio animali par opus libidinis. Quæ ultima verba ſic ARISTOTELES expreſſit. Perdices cicures ſubigunt feros & pulſant & contumelioſe tractant. Perdicem venatorem dux ſylveſtrium primus invadit, pugnamque aggreditur. Eo vero capto viminea cavea, denuo alter procedit contra eodem modo. Si igitur mas ſit, quo venantur, hoc faciunt. Quod ſi fœmina fuerit venatrix & cantet, occurreritque dux ei, cætera turba conglobata pulſant illum, atque a fœmina fugatum perſequuntur, propterea quod ad illam, non ad ſe accedat. Ille vero hanc ob cauſam ſilentio progreditur, ne quis voce exaudita prodeat ſecum pugnaturus. Uſu periti ferunt accedentem marem interdum efficere, ut fœmina ſileat, ne audientibus maribus cogatur cum ipſis dimicare.

Perdices nidum ſibi non faciunt. Neque enim prodeſt, cum minus volatiles ſint, idque ob corporis gravitatem. Quam ob cauſam neque coturnices nidificant. Facto autem in aprico, vel, ut SCALIGER interpretatur, loco puro & aperto & glabro, area & materia ſpinoſa congeſta, quo ſit adverſus accipitrum aliarumque avium rapacium injurias pro munimento, ibi ova ponunt & incubant. Alibi enim nusquam pariunt.

Verſus

Verſus de nidificatione Perdicum ita ſe habent;

Nec facit in ramis altoque cacumine nidos.
Propter humum volitat, ponitur in ſepibus ova.

Excluſos prorſus educant pullos, ſecumque educunt cum volando illis victum parere nequeant. Requieſcunt vero collectis ſub ſe pullis, tum perdices, tum coturnices gallinarum more. Non eodem loco & pariunt & incubant, ne diutius ſedentibus ipſis locus ille a quopiam deprehendatur. Cum venator ad nidum acceſſerit, provolvunt ſe ante pedes ejus, quaſi jam in eo ſit ut capiatur: Et abſtrahunt ipſum capturientem ad ſe ipſas, usque dum pulli aufugerint ſinguli. Tum avolant & prolem revocant.

Ova parit plurima alba quindecim usque ad viginti. Sunt qui dicunt, Bina ovorum receptacula facere, in quorum uno fœmina, in altero mas incubat, excluditque, ſua uterque & educat. Pulli quoque ipſi ſubjunguntur a mare ſtatim cum procedunt: Excluſionem quod ſpectat nullos moræ impatientes, occupatis ſpatiis ſponte eumpere pertuſisque ovis ubi primum caput exeruerint pedesque protulerint, reliquo corpore adhuc adhæreſcente procurrere ſibique cibum ductu matrum inquirere ajunt.

Coëunt etiam perdices cum aliis avibus, uti quidam perhibent. Fabuloſum eſt quod dicitur, quod fœmellæ ſi adverſæ ſteterint maribus, ex ea parte vento excepto concipiant: h. e. ſi ventus eas afflet, ubi mares ſtant. Sæpe etiam voce duntaxat marium audita, ſi per id tempus pruriant & libidine turgeant, concipere ſed falſo perhibentur. Effici idem quoque poſſe, ſed eodem fundamento, id eſt male dicunt, maribus ſuper illas volantibus videlicet dum mas in fœminam ſpiritum fœtificum demittit. Ore enim hiante, tum mas, tum fœmina ac lingua exerta coëunt. Cum Venerem exercent: teſtes illarum inſigniter tument. Hybernis menſibus nullos habere teſtes quidam falſo arbitrantur.

Perdices aliæ κακκαβίζουσιν caccabant juxta verſum

Caccabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anſer

aliæ

aliæ perdices τρίζουσι ſtrident. Ideoque non eſt eadem vox omnium, non modo enim canunt, ſed & ſtrident & quasdam alias emittunt voces pro temporis locorumque diverſitate.

Propter corporis gravitatem in altum aërem non elevantur. Curſu plus valent quam volatu; & pedum velocitate magis quam pennarum auxilio ab aucupibus ſe defendunt. Certum eſt interim, quando ſe ad volatum componunt, humilem quidem ſed velocem tamen & impetuoſum exercere.

Veſcuntur perdices variis rebus; baccis, ſeminibus, frugibus, vermiculis, etiam limacibus. Hinc ARISTOTELES dicit ubi perdcies ibi limaces non ſunt, Omnes enim ab ea comeduntur. Paſcuntur & gemmis Coryli & Betulæ, gramine & ſegete virente. Æſtate legit ſemina & ova formicarum. Saginantur incluſæ tritico.

Hyeme gregatim volant, duodecim quindecim aut plures unico incubatu excluſi, tota hyeme invicem degunt ad fonticulos & ſub nive in agris virentibus latitantes. Ein Volck Räbhüner / ein Kütt Feldhüner/ ein Compagnie Feldhüner. Vere cum proli ſtudent mas fœmellæ ſe adjungit & binæ volant.

Pulveratrix eſt avis atque olfactu pollet. Vita ejus ad annos 25. ſeſe extendit, juxta ARISTOTELEM. PLINIUS annos tradit ſedecim. Tanta animi eſt contumacia, inquit SCALIGER, ut capta ab aquila fleat, & captiva intra horam carne fiat deteriore.

Reperiuntur in plerisque Europæ regionibus. Dantur diverſæ ſpecies, præter enim ſupra deſcriptas reperiuntur quoque perdices ſic dictæ rubicundæ, rothe Feldhüner/ Perdrix rouges, quæ prioribus longe anteponuntur.

Capiuntur retibus, canibus, & bombardis enecantur. Cicurari interdum poſſunt, ut cum Gallinarum domeſticarum cohorte promiſcue habitent.

ATTAGEN

Sine Perdice, inquit SEBIZIUS ſumptuoſa convivia gratiam & ſplendorem amittunt, præſertim ſi etiam attagenis, turdis & ficedulis careant. Diſtinguitur in marem & fœminam. Mas major & ſpecioſior, & in pectore rubicundior, fœmina vero minor exiſtit, minus rubra circa pe-

ctus, cinerea potius ut & circa collum. Utriusque ſexus CARO eſt ſapidiſſima, præſertim juniorum, Der jungen Feld-Hühner des perdreaux, cum aliquandiu in aere ſuſpenſa. Caro enim hac ratione tenuior fit & friabilior. Eſt autem caro quadantenus ſicca, magis tamen annoſarum quam juvenum. Boni laudabilisque ſanguinis genitrix eſſe perhibetur. Optima autem ſapidiſſimaque hæc eſt caro meſſis & autumni tempore. Tunc enim ſaginata & pinguis. Vetula dura eſt, lenta & ægre coctilis. Pulli delitioſæ ſunt epulæ. Non minori in pretio eſt, quæ facta adultior, & quæ jam provolare ſolet. Apponitur utplurimum aſſa & lardo condita. Caro pectoris præſtantiſſima eſt & ſucci bonitate & concoctionis facilitate. Cibus, CARDANI de ſententia, convenientiſſimus iis, qui gallica lue ſunt infecti. Hanc quippe profligare dicit multis diebus eſitata. Memoriam auget, ſemen multiplicat, Venereos injicit ſtimulos. Alvum autem coërcet. Utilis proin iis, qui diarrhœa vexantur, ſi aſſa cum aceto aut ſucco aurantiorum ingeratur. Putredini reſiſtit, ſuperfluos ventriculi humores abſorbet. Recte faciunt, qui non recentes comedunt perdices, ſed aliquandiu in aëre ſuſpenſas, ob rationem ante datam. Hæc caro iis alimentum optimum, qui ſe non exercent, & vitam degunt otioſam; quique imbecilliores & invalidi ſunt, tum etiam attenuante victus ratione aſſuetis, hydropicis, quique humido ſunt ventriculo. Vitioſos enim & corruptos ipſius humores conſumit atque abſtergit. Cum cydoniis & vino cocta ſtiptico, Cœliacos & ſtomachicos juvat. Jus recreat ſtomachum & morbo regio reſiſtit.

HEPAR PERDICIS ſiccatum diligenter, tritum ac bibitum epilepſiæ confert: dicunt quidam, quod ſpatio unius anni, quotidie comedi debeat, ſi juvari velimus. Morbo re-

gio,

gio reſiſtere fertur, ſingularisque perhibetur antitodus contra febrem ſi aliquoties in aqua millefolii aſſumatur.

FEL incipientes ſuffuſiones diſcutit, oculorum caliginem & palpebrarum aſpredinem cum mellis æquo pondere illitum tollit. Oculis quoque contuſis prodeſt. Fel hoc arteriis temporum illitum ſemel in menſe, ita tamen ut penetret, plurimum prodeſſe ad confirmandam memoriam quidam tradunt. Ad difficilem âuditum & ſurditatem Perdicis fel calidum inſtillari a nonnullis ſuadetur.

MEDULLA ut & CEREBRUM morbo regio mederi perhibetur.

SANGUIS oculorum ictibus & recentibus vulneribus maxime prodeſſe dicitur.

OVIS Perdicum excitandæ libidinis ineſſe potentiam quidam volunt: Kyranides hinc perdicum ova in cibum ſumpta, amatorium poculum vocabat: Hinc etiam Aëtius frigidis & ad venereas actiones debilioribus, inter cætera ovis perdicum veſci conſulebat. Inſuper ova Perdicum ſi ſorbeantur, fœcunditatem cauſant, conceptum promovent & lac adaugent. Eadem ova ſi in vaſe æreo decoquantur, cum melle, ulceribus oculorum & glaucomatis remedium ferent.

PENNÆ alarum majores & caudæ crematæ & linteolo ad olfaciendum porrectæ fœminas utero ſtrangulatas excitant. Suffumigium ex pennis infra ſuſceptum a fœminis, quæ matricis deſcenſum patiuntur, maxime juvat, ſic e contra in aſcenſu ſive præfocatione ſi naribus applicetur; ſecundinas quoque pellere compertum eſt. Doloribus colicis aliisque mitigandis & diſcutiendis fomentationis formula adhibitæ proſunt. Cum mentha ac abrotano in forma ſacculi infantibus remedium exiſtunt ad tormina ventris compeſcenda.

PENNÆ ATTAGENIS.

Sunt Attagenis ſive Gallinæ Corylorum pennæ.

CARO,

ATTAGEN dicitur etiam ATTAGENA; Græce nuncupatur ἀτταγᾶς, & ab ARISTOTELE appellatur ἀτταγὴν, Ἀτταγὴ aliis audit. GALLINA CORYLORUM vocatur, quod inter Corylos verſetur, ejusque gemmis & julis veſcatur, GALLINULA SYLVESTRIS MONTANA, PERDIX ALPINA, PERDIX SYLVATICA, BONOSA, ORYX, PERDIX ASCLEPICA, ein Haſelhuhn/ GELINOTTE.

SCHWENCKFELDT hunc in modum hanc deſcribit avem, Avis eſt perdice major, ſpithamas duas longa, tota varia & elegans, cui roſtrum perbreve nigricans; pedes hirſuti, plumis ad principium usque digitorum percurrentibus; digiti corticoſi, ſquamoſi glauci, multis lineis articulati. Tota circa dorſum κατάφραγος id eſt verſiculoribus picta maculis, caſtaneæ ſeu teſtæ figulinæ colore ſed magis rufa. Vertex capitis ex fuſco rubet nigris maculis reſperſus. Palpebra ſuperior fere Cocci colore ſplendet, cui adſunt utrinque maculæ candidæ. Mentum nigrum, e quo ejusdem coloris tenues quædam pennæ ceu villi dependent, tanquam barbulam efficientes. Cauda quam Perdici longior, ut dorſum varia ex pennis quindecim conſtans, coloris in extremitate glauci, paulo inferius linea nigra transverſalis, digitum lata, exceptis mediis duabus, quæ ea carent. Ad latera ſub alis & pectore maculis ferrugineis tingitur. Venter albet.

Degit in montibus altis, ſylva Hercynia, Alpibus &c. ad plana raro deſcendit, montium enim eſt incola. Vox illi ἀτταγᾶν. Nomen enim, inquit ÆLIANUS loquitur, qua voce poteſt & decantat.

Vivit ex julis ſeu nucamentis Coryli, Betulæ, gemmis primis Betularum, acinis Sambuci Alpinæ, baccis Juniperi, Vitis idææ &c. Tritico etiam & hordeo veſcitur in conclavibus, at difficile manſueſcit.

In altum non admodum volat, ſed terræ eſt propinqua.

Coit

Coit oſculatione, ut Columbæ, præſertim poſt æquinoctium vernum. Nidum parat ſub Corylis, aut Filice montana maxima, in terra. Ova parit, uti perhibent, viginti , Columbinis paulo majora. Pullos educatos extra locum educationis ipſorum abducunt ; illi vero bini mas & fœmina aliorſum ſe conferunt.

Gallinæ corylorum bis anno capiuntur : vere & autumno ac quidem frequentius. Laquei ſeu retia in terram illis locis , ubi degere ſolent, frequentius, figuntur, quibus huc illuc diſcurrentes implicantur. Juxta ÆLIANUM Attagenæ & Gallinacei inter ſe graviter ſunt inimici.

Quondam exiſtimata fuit inter raras aves ; jam in plurimis Europæ regionibus eſt notiſſima.

Κορπιὸν,

CARO, ut loquitur SEBIZIUS, quæ candida, tenera & friabilis, facile concoquitur, bene aperit: probum & multum ſanguinem gignit, puros ſpiritus producit: liberaliter alit nulli ſexui, nullique ætati noxia: omnibus naturis conveniens: Perdice melior, non tantum quia carior & rarior, ſed etiam ob recenſitas modo virtutes. Tam delicata eſt & tam grati ſaporis, ut cibum prorſus nobilem & ferarum avium omnium laudatiſſimam eſcam præbeat, adeo ut Regibus & Principibus commode apponatur. Inter ſuaviſſimos jam cibos olim hanc avem habitam fuiſſe argumento eſt verſus ARISTOPHANIS.

Ἀττάγας ἥδιςον ἐν ἐπινικίοις κρέας

Attagen jucundiſſima caro in triumphali coena

cui & MARTIALIS videtur ſubſcribere dicens:

Inter ſapores fertur alitum primus
Jonicarum guſtus Attagenarum.

Calefacit hæc caro & ſiccat, dicente SCHWENCKFELDTO. In cibo artheticis, paralyticis, Epil pticis, calculoſis, ſtomachicis ſalutaris. Bonum corpori colorem conciliat. Aſſatur utplurimum. Cerebrum roborat & intellectum ac genituram augere dicitur.

Fœminæ ſuffitu PLUMARUM utero ſtrangulatas erigunt, non ſecus ac perdicum pennis. Quidam requirunt ut certo tempore ſint decerptæ.

Hippiatri tres quatuorve ATTAGENUM VENTRICULOS una cum cibo in eis contento, equis aſthmaticis devorandos dari præcipiunt.

SCARABÆUS STERCORUM.

Eſt Scarabæus in fimis præſertim autem ſtercore equino atque vaccino degens atque exinde nutrimentum hauriens.

SEA

Κορπιὼν, κάνθαρος, ἡλιοκάνθαρος, SCARABÆUS SOLARIS, SCARABÆUS STERCORUM a loco ubi potiſſimum reperitur & in quo verſatur. SCARABÆUS PILULARIUS aut PILULARIS, quod Stercoreas pilulas provolvat, ein Roß-Käfer/Pferd-Käfer/Miſt-Käfer. Eſcarbot. FOUILLE MERDE.

Corpus ei eſt compactum latum, ex cæruleo nigrore ſplendeſcens: caput planum inferius & nonnihil ſuperius arcuatum, multis eminentiis conſpicuis, e quo ab utraque parte duæ prominent antennæ breviuſculæ ſed in fine in plurima tenuia filamenta diviſæ, pedes anterius ſunt ſerrati in fine.

PORPHYRIUS hoc modo illius naturam pingit: Pilularii omnes fœminas non habent, genitura in cœlum emiſſa, pilulas magnas poſterioribus fingunt & in contrarium agunt, ut Sol cœlum circuitumque octo & viginti dierum obſervat. Pene idem ÆLIANUS Cantharus nullus fœmina, ſemen in globulum fimarium emittit, quem

quem viginti atque octo dierum ſpatio volutat & calefacit, deinde fœtum procreat. Hoc dicere voluerunt, inquit THOMAS MOUFETUS ANGLUS in THEATRO INSECTORUM. Scarabæum pilularium e ſtercore pilulam ad cœli formam conficere, quam ab ortu ab occaſum tamdiu verſat, dum ad mundi figuram perduxerit: poſtea eandem in terra ſubter ſtercus (ubi nidificat) reponit, repoſitam permanere ſinit ad menſem lunarem, quo exacto pilulas ſigillatim ſingulas caverna ejicit, quibus in aqua diſſolutis, prodit Scarabæus vermis, impennis, qui a paucis diebus abſolutus in volucrem mutatur. Hac de cauſa hunc Ægyptii Apollini ſacrum fecerunt & pro numine non parvo coluerunt, curioſa APIONIS interpretatione, qua collegit ſolis operum ſimilitudinem huic animali collatam ad excuſandos gentis ſuæ ritus. Roſas veluti ſuæ familiæ peſtem valde adverſantur. Stercora vero præcipue etiam Vaccarum & fimeta ſic diligunt, ut eorum odore, quam longiſſime naribus hauſto frequentes & citi advolent. Verum greſſus eorum tardior, labor e contra continuus atque improbus amorque in prolem exuſcitandam fere proprius. Sæpe enim pilulas, quas formarunt, præ loci ventorumque iniquitate relabuntur & de ſummo loco ad imum ſe præcipitant; perpeti nihilominus cura propagationis ſtudio volucella vigilat, pilulamque Siſyphiam ad foſſam variis excidens conatibus tandem reducit. Quod autem unicum tantummodo ſexum in hoc genere Scarabæorum adeſſe dicatur, id merito ridetur. Saniores hos eodem modo ac reliqua inſecta propagari docent per coitum utriusque ſexus, concedimus quod in talibus pilulis ſtercorariis ovula deponant, & eadem in iis foveant.

Hic Scarabæus licet ædes habeat ſtercorarias, tamen iiſdem vivit contentus, verſatur, oblectatur, deliciatur, nec lubentius in roſis potat prandetque, quam in fimo caprino, quod amaricinum olere illi videtur: vivit naturæ ſcripto, ejusque leges tranſire ſcelus ducit. Præcipuum ei ſtudium, pilas quam maxime poteſt componere ſeu paſtillos, quas miro conamine volvit adverſus, quod ſi contingat, ut adverſus molem aliquam onus protrudat, elapſis ſubinde pilis ac deorſum recurrentibus putes te Æolidem videre, recurrentem ſcopulum ad verticem montes ſemper volventem, nec defatigatur, nec conquieſcit tamen, donec in antrum ſuum devexerit. Cum aquila ipſa pugnare audet uti perhibent. Scarabæus hic in ſtercore ſemper purus eſt ſemperque cruſta nitida. Ciconiam

SCARABÆI STERCORARII non modo geſtantur in crumena, ut loquitur MOUFETUS, verum etiam de collo ſuſpenduntur, nonnunquam & auro incluſa contra omnes infantium morbos.

Scarabæus hic oleo roſaceo cum terræ inteſtinis coctus optime doloribus aurium medetur juxta PLINIUM. AVICENNA ſolos pilularios contuſos coqui jubet ſine vermibus. SILVATICUS ex AVICENNA ſcribit: Scarabæi pilularii conferunt matricis doloribus, provocant urinam & menſes, abortum faciunt: valent ad hæmorrhoides ſanandas. Sunt qui inter calculi remedia referunt.

℞. Scarab. combuſt. gran. v. condiſi ʒj. Stercor. columbin. ʒiß. ſiccentur & fiat pulvis doſis ʒj; cum aqua decoctionis raphani, tribulorum vel cicerum nigrorum: ad calculi curationem.

℞. Ung. popul. ℥j. ol. roſar. in quo diu bullierunt Scarabæi viginti totidemque aſelli ſive milleped. ʒiß. croci gr. iv. incorporentur & fiat unguentum ad hæmorrhoides haud parum laudatum.

℞. Piperis, Euphorbii, Pyrethri ana, Scarabæorum ad pondus omnium, pulveriſata omnia & commixta in balneo cum ſucco flammulæ q. ſ. macerentur, & fiant ad modum unguenti, ex quo pulſatiles venæ bracchiorum, pedum temporum cum umbilico & ſpina inungantur in ſpaſmo.

Scarabæos pilularios vivos duos vel tres ſub mediæ juglandis cortice concluſos circa occipitium bene raſum prius & ſuper muſculos bracchiorum anteriores (in unoquoque unum) & ſub plantas cujusque pedis unum alligari jubent, quia mirabiliter excitat lethargicos.

Scarabæus pilularius cum oleo lini infuſus, ut habet

ETT-

ETTMULLER, & coctus in uſu eſt: tale enim oleum ſingulariſſimum & expertiſſimum eſt anodynum in doloribus & tumoribus hæmorrhoidalibus cœcis. Oleum hoc Principiſſa quædam Italiæ pro ſingulari habuit ſecreto; unde etiam plures Practici hoc oleum commendant. Loco hujus ex ſcarabæis poteſt uſurpari oleum violaceum ad ℥ij. cui mixta eſt ℥j. aſellorum contuſorum: ſed qui habent oleum ſcarabæorum pilulariorum habent remedium magis expertum. Scarabæi etiam pilularii bulliant in oleo maſtichis & hoc oleum inungatur anis prolapſis in ſpecie ſi procidentia ani contingat poſt hæmorrhoidum inflammationem.

Cinis Scarabæorum pilulariorum, ſi inſpergatur inteſtino recto ſeu ano prolapſo impedit, quo minus poſt factam repoſitionem poſſit denuo prolabi & eſt expertum in tali caſu remedium.

Verrucæ his Scarabæis tritæ tolluntur.

STERCUS CICONIÆ.

Eſt avis gracilipedis Ciconiæ dictæ excrementum albicans.

Prin-

Ciconiam Græci vocarunt πελαργὸν, quod alarum pennæ partim ſint nigræ, partim albæ; CICONIA quaſi Cicania a ſono quem roſtro quatiente facit. Germani Storck/Storch appellant ἀπὸ τῆς ϛοργῆς, in quibusdam locis Adebar audit, quia ſtudio indefeſſo mirabilique amore pullos ſuos perſequitur; Galli Cicogne nominant. Avim hanc nobis notiſſimam appellant gracilipedem, pietatis cultricem, crotaliſtriam, gratam, peregrinam, hoſpitam, & avem exulem hyemis.

Avis eſt mediæ magnitudinis inter Gruem & Ardeam pennis albis & nigris diſtincta. Crura obtinet longa, rubentia. Roſtrum gruinum, longum, ſed rubrum & craſſum. Linguam habet ſubrubram

breviſſimam; unde a quibusdam ſed falſo creditum fuit carere illam lingua.

Ad quæſtionem iſtam an urbanæ & domeſticæ ſint Ciconiæ, an feræ & agreſtes, reſpondet SEBIZIUS, utriusque eſſe generis. Urbabanas quidem, quatenus in urbibus urbiumque tectis atque caminis ſua habent domicilia nidosque ſuos imo & in hortorum arboribus ſummis. Feras autem & agreſtes quatenus prata, ſylvas montes lacusque & paludes frequentant, in iisque ſuam quæritant alimoniam.

Vox illarum eſt glotterare, quia juxta quosdam ſonus ille duabus roſtri partibus ad inſtar crotali vel crepitaculi quod ex duplici ærea lamina vel duobus oſſiculis ſe invicem collidentibus, inter ſe colliſis fit. AUTHOR DE PHILOMELA ita loquitur.

Glotterat immenſo de turre Ciconia roſtro.

Verum, quo modo ac ratione hunc ſonum edant, litigatur. BELLONIUS negat ſonum illum, quo crepitant, vocem eſſe, ſed perſuaſum habet, ex mutua mandibularum concuſſione provenire: nequaquam ex pulmonibus. SOLINUS arbitratur ſonum tantum oris eſſe non vocem. Alii ſonum illum excitari volunt ex modulata linguæ roſtrique compoſitione. Cenſemus, inquit SEBIZIUS, partem quidem roſtri ſuperiorem & inferiorem mutuo collidi: ſed hanc colliſionem ad glotterationem minime, ſufficere. Nam ſi partes iſtæ roſtro tantummodo colliderentur, ſonus e longinquo non ita clare audiretur, quia violenta colliſio non fit; alias dolorem pareret. Deinde quia novimus ſonum non eſſe uniusmodi. In principio enim acutior eſt, in fine vero gravior. Tertio, quoniam Ciconiæ, dum glotterant, wann ſie klappern/ colli partem inferiorem, & caput aſperæ arteriæ, quod Laryngem vocant, in tumorem quendam elevari cernimus: cujus cauſa non videtur alia eſſe, quam dilatatio illius & copioſi aëris eruptio. Denique quia diu Glotterare nequeunt, ſed neceſſe eſt, ut brevi ceſſent, quo reſpirare valeant. Poſſent autem glotterationem longo temporis ſpatio continuare, ſi glotteratio oris tantum actio eſſet, ipſæque mandibulæ ad invicem concuterentur.

Celebrantur in Ciconiis virtutes aliquot eximiæ: Caſtitas quatuor palam fit indiciis. Primum, quia Veneri non indulgent, alibi niſi in

nido.

nido. Deinde, quia fœdus conjugii ſervant intemeratum. Tertio, quia adulteræ graviter puniuntur cum ſolum ipſis vertendum. Fama ſiquidem eſt (quæ tamen maxima probatione adhuc opus habet,) quando migrare ipſis eſt animo, congregari omnes, judicium exercere, & ſi quam adulterii crimen convincit, eam communibus damnare ſententiis & necare. Quarto, quoniam obſervatum mares adventum fœminarum decem fere diebus antevertere, priſtinos repetere nidos, violatos reparare, conſpurcatos purgare, magnoque cum deſiderio earum expectare acceſſionem; præſentes cum applauſu ſingulari excipere, gratulabundos ſalutare, amplecti & quaſi exoſculari. Fœminas autem mares promiſcue mimime admittere, ſed priſtino proſequi amore ſuos, eosque ſollicite inquirere.

Juſtitia ex eo deprehenditur, quoniam diſſceſſuræ in prato longe lateque patente conveniunt, judicium exercent, & in eas, quæ deliquerunt, aut ad conventum acceſſerunt tardius, ſevere animadvertunt. Fides ſit penes authores.

Gratitudo earum pluribus argumentis dicitur eſſe probata. Primum, quia, ut ARISTOTELES & PLINIUS notant, Genitorum ſenectam educant. Nam cum parentes ob ſenium viriumque infirmitatem ad volandum factæ ſunt inhabiles, nido ſe continent & quiete fruuntur. Ne vero fame pereant, liberi earum de victu ipſis proſpiciunt, & ſic gratum ſuum animum pro acceptis beneficiis ſedulaque ac diligenti educatione teſtatum faciunt. Atque hoc eſt quod Græci vocant ἀντιπελαργεῖν, reciconiare ut SCALIGER loquitur, vel ut alii vertunt, redhoſtire, mutuamque officii vicem rependere. Quin imo tanta juniorum erga parentes ſuos gratitudo eſt ac reverentia, ut etiam illos dorſo ſuo geſtare minime recuſent, cum neque volare, neque ambulare ipſis eſt integrum amplius. Quam illarum pietatem & ἀντιπελάργωσιν h. e. retributionem beneficiorum & gratiarum relationem etiam ſancti patres alliique viri docti mirum in modum deprædicarunt. PLUTARCHUS gratitudinem Ciconiarum exinde etiam elucere ſcribit, quod mercedem loci, quem occuparunt, perſolvant, dum infeſta hominibus animalia rubetas & angues circumeuntes interficiunt; ut non dicam jam de aliis gratitudinis Ciconiarum exemplis, quæ non omnino certæ videntur eſſe fidei.

Quantus earum ſit amor erga prolem ex ſollicita nutricatione &

educatione eſt clariſſimum. Nunquam fere a latere Ciconiolarum ſuarum recedunt. Si recedere pabuli cauſa neceſſe ſit, parens altera manet, dum redeat altera. Ex venatione cum reverſa eſt, quæ cibi quærendi cauſa evolarat, partam eſcam e ſtomacho egerit, illamque veluti præmanſam, in os cujusque ſobolis ingerit, huncque laborem tam diu continuat, dum pulli per ſe cibum capere queant. Docent inſuper parentes volare pullos caute admodum & circumſpecte. Nam priusquam avolare longius a nidis poſſint ad vicina loca eos aſſuefaciunt. Tam flagranti amore fœtus proſequuntur, ut in incendio Delfdenſi cum ſubſtrahere non poſſent, cum iisdem alis contectis interire quam deſerere maluerint.

Ingenii & prudentiæ ſpecimina Ciconiæ edunt bene multa eaque ſatis egregia. Etenim mature a nobis diſcedunt, ne frigori hyemis preventæ a profectione avocentur. Longinquum enim iter ſuſcipiunt. Migraturæ uno in loco noctu congregantur, nocturnoque tempore lares noſtros deſerunt, quo tutiores in itinere ſint ab aliarum avium impetu. Nullā poſt ſe relinquunt niſi captivam & ſervam. Abituræ etiam ſecundum Aquilonis flatum ſolerter expectant. Accepto in pugna vulnere ſibi ipſis appoſito origano mederi perhibentur. Platani folia in nidos inſerunt, quo minus Veſpertiliones, cum quibus naturale illis eſt diſſidium, perniciem afferre queant. Cum venter eſt pigrior, roſtro in anum immiſſo excrementa proliciunt. Prænoſcere dicuntur futuras urbium clades atque interitus: ideoque una cum fœtubus fuga ſibi conſulunt, prius quam ab hoſte expugnentur, aut incendio perdantur. Alias etiam tempeſtates ſentiunt antequam veniunt. Cum enim imminent, in nidum medium ambobus pedibus ſe confeſtim ſiſtunt, triſti habitu pennas diffundunt, roſtrum in pectus condunt, plumas ſeu barbam promittunt, vultumque demiſſum eo obvertunt, unde tempeſtas ingruit. Pullos ſuos durante tempeſtate alis ſuis optime tegunt, ne noxam capiant.

Victum Ciconiarum quod attinet, eſt is ranarum, bufonum, ſerpentum, aliorumque hujus farinæ animalium genus. Bufones tamen nonniſi magna in fame guſtare dicuntur. Magnopere cæculis ſive Cæciliis delectantur. Vorant & piſces, hacque de cauſa lacus & flumina petunt. Devorant quoque aviculas aliasque carnes, panem itidem &c. Petunt & prata in convallibus locisque riguis ſita.

Ineptæ

Ineptæ quidem ſunt ad natandum; aquas tamen locaque aquis abundantia amant.

Nidificant in ædificiorum apicibus, ſummitatibus caminorum, ſpeculis altiſſimis, eminentiſſimis arborum faſtigiis montiumque verticibus; quoniam humo humilibusque locis minime fidunt, ratum habentes immunes ſe eſſe in ſublimi ab omnibus fortunæ caſibus. Repetunt Ciconiæ priſtinos nidos: ſed laceros inſtaurant, minores anguſtioresque amplificant: inquinatos perpurgant, ſordesque ejiciunt. Non facile inſidet nido niſi eum probe perluſtrarit & crebro volatu circa eum girans explorarit, an tute eidem ſe committat. Non coëunt niſi in nido.

Ova fœminæ pariunt bina, terna, quaternave colore & magnitudine anſerinorum. Fovent ea mas & fœmina. Mas incubandi munus tamdiu obit, dum fœmina per otium ſibi victum quærit. Incubatu plurimum ſpatio menſis abſolvit mater. Pullos excluſos accurate fovent, iisque evulſas plumas tomenti loco ſubſternunt, ut tenella membra præſervent a lignorum duritie. Non omnimodæ ϛοργῆς eſſet teſtimonium ſi verum exiſtit, quod interdum ovum aut pullum ejiciant nido famem metuentes Ciconiæ.

Volatum habent nunc altiorem, nunc humiliorem, nunc velociorem, nunc tardiorem. Dum volat pedibus moderatur iter, vel ut gubernaculo nauta. Uni innititur pedi ſæpe cum vigilat, uni etiam cum dormit, caput humero alteri imponit.

Quo e loco veniant inquit PLINIUS, aut quo ſe referant incompertum eſt. E longinquo venire non eſt dubium. Redeunt & abeunt tempore nocturno. Nemo inquit idem, agmen diſcedentium vidit, cum diſceſſurum appareat. Nec venire ſed veniſſe cernimus: utrumque nocturnis fit temporibus. BELLONIUS aſſeverat Ciconias hyeme degere in Ægypto & Africa & Ægyptum menſibus Septembri & Octobri infinitas alere. Teſtem ſemet ipſum producit oculatum. Idem cum circa Abydum eſſet, 24. die Auguſti, ingentem earum copiam conſpexit, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbantur. Volabant illæ e Ruſſia & Tartaria, & Helleſpontum agmine decuſſato transverſum trajiciebant, & cum ſupra Tenedum inſulam eſſent, longo per anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur; inde priusquam longius a faucibus Propontidis pergerent,

gerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant, & ſe invicem verſus meridiem ſequebantur. Addit producere poſſe teſtes homines fide dignos. Ut adeo falſum videatur quod ſe occultent in deſertis paludum & cavearum. Equidem extractum aliquando ex quodam prope Metim in Lotharingia lacu ſimul junctarum globum CAMPEFULGOSUS teſtatur, quæ thermis excalefactæ revixerint. Ex Lario lacu eductas alias, ſimul roſtra in ano habentes inſerta, & eodem modo reviviſcentes author eſt Gaudentius Merula. Sed quicquid ſit Bellonii tamen opinio verior comparet.

Odium Ciconiæ dicuntur habere cum Serpentibus, Buſonibus & Veſpertilionibus, VIRGILIUS ait

Candida venit avis, longis inviſa colubris.

ÆLIANUS hæc verba habet: Ciconia non modo magno Veſpertilionis tenetur odio; ſed hæc etiam illius.

Proſunt, ut SPERLINGIUS loquitur, omnibus Ciconiæ; nocent paucis. Columbas non dilaniant ut accipitres, (interim pullos gallinaceos minores devorant) gallinas non rapiunt, ut Milvi, non veſcuntur cadaveribus ut Vultures. Non in conſpectu hominum congrediuntur ut Anates aliæque aves, non furto res auferunt ut Corvi. Cæterum in hunc præcipue finem hanc avium ſpeciem mater natura procreare videtur, ut terram ab animalibus venenoſis vindicet; etenim ſtudio mirabili perſequuntur ſerpentes quales quales etiam illi ſint. Nec ſufficit, quod eos in propriam eſcam devorent, ſed & iiſdem ſuos a teneris enutriunt pullos, ut diſcant eos ſectari & devorare: ideo JUVENALIS

Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inventa, per devia rura, lacerta.

Idcirco in Theſſalia, ubi ſerpentes eatenus multiplicantur, quod incolas ſedibus ſuis exigerent (teſtante ARISTOTELE) niſi ab inimicis Ciconiis imperitæ caperentur, captæque devorarentur, non exiguo incolarum commodo: atque ideo Ciconiis decreta fuit immunitas; cavit enim hic populus lege quadam, ne quis beneficæ huic avi

avi injuriam faceret, & in occiſorem animadvertendum ut in homicidam.

Tandem notandum quod detur etiam CICONIA NIGRA, CICONIA FUSCA, ein ſchwartzer Storck/ quæ forma & magnitudine ab aliis Ciconiis non differt. Color dorſi ſubniger cum viridi vel ſubcæruleo & pauco purpureo mixtus. In ventre & lateribus ſub alis albus. Roſtrum magnum validum, puniceum ut crura etiam & pedes. In paluſtribus & humidis locis aliquando conſpicitur. Nidum parit in abietibus; piſcibus, ranis, &c. in cibo fruitur.

CORNIX,

Principatu Auguſti incœperunt Romani Ciconiis veſci & Gruibus prætulerunt, ut auctor eſt CORNELIUS NEPOS apud PLINIUM, cujus rei auctorem ferunt Virum Prætorium fuiſſe, quem aliqui Sempronium, vel Aſellium, alii Ruffum vocant. HORATIUS inquit;

Tutus erat Rhombus, tutoque Ciconia nido
Donec vos auctor docuit Prætorius.

PORPHYRION Scholiaſtes refert Ruffum Prætorium inſtituiſſe, ut Ciconiarum pulli manderentur, illumque, cum repulſam in Prætura tuliſſet, tale Epigramma meruiſſe.

Ciconiarum ruffus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior plancis,
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem,
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Sed brevi tempore illarum gratia deflagravit, nam ætate PLINII, nemo illas in triclinium recepit. Noſtra tempeſtas ab eſu Ciconiarum abhorret, tum quod caro illarum dura ſit, concoctu difficilis, excrementitia, cacochymos, ma-

malique ſaporis: tum quod earum pabula ſint ſerpentes, ranæ, bufones, piſces mortui, fœda alia. JULIUS ALEXANDRINUS ſcribit ſe comediſſe aliquando ex adoleſcente adhuc pullo, Cæſarei Archimagiri juſſu operaque diligenti optime parato, maceratoque diu prius, herbulis & aromatum multorum infarctu condito: neque tamen exui potuiſſe in totum ſylveſtre & abhorrens a natura noſtra illud, ut non guſtu paulo exquiſitiore deprehenderetur. Sunt qui Ciconiam nigram comedunt, ſed & illa ferini admodum & fere piſcoſi eſt odoris atque ſaporis. MARCELLUS & cum eo PLINIUS inquiunt, eum qui Ciconiæ pullum comederit, non lippiturum annis continuis. MYRALDUS affirmat ſi quis verno tempore Ciconiam aſſam vel elixam edat, eum immunem futurum ab omni omnino juncturarum ægritudine, nec ullam ab hoc experietur moleſtiam.

Paratur ex deplumatis, exenteratis & in ſufficienti quantitate olei decoctis, donec carnes ab oſſibus ſeparentur, deinde contritis, denuoque in oleo elixis atque expreſſis oleum, quod paralyticis membris inunctum maxime eſt proficuum. Paratur & ex pullis roſtro ſub alam inclinato ſuffocatis & minutim conciſis & in cucurbitam conjectis aqua, quæ eadem virtute pollet, & ea quidem mirabili, ſi primum paralytica membra decocto cancrorum absque ſale abluantur, poſtea aqua illa illinantur. Faciendum hoc aliquandiu, idque alternis vicibus.

SANGUIS CICONIÆ multum commendatur in dictis affectibus, qui etiam tanquam baſis ingreditur Antidotum de ſanguine Paracelſi, Electuarium alexipharmacum de Ciconia dictum, contra venena omnia laudatum, una cum radice Anthoræ, Mumia, Bezoar, Theriaca &c.

℞. Re-

℞. Recentem Ciconiæ ſanguinem, quantum in ſuo corpore continet, deſtilletur per MARIÆ BALNEUM, in vitrea cucurbita, aquam quæ promanat ſerva diligenter, & ſanguinem coagulatum loco paululum calidiori exſicca & contere in pulverem. Ventriculum ſimiliter exſiccari convenit ac crucibulo impoſitum comburi tantiſper, donec in cineres vertatur, e quibus cum proprio ſanguinis liquore extrahendum eſt ſal, id quod diligenter cuſtodiendum & ſanguini pulveriſato jungendum eſt. (Notetur quod SCHROEDERUS aliique malint ipſas tunicas pulveriſatas admiſcere, loco ſalis.) Hiſce in vitro ſatis capaci impoſitis addi debent Succini albi el. ℥j. Corall. rubr. Baccar. Uvæ verſæ vel Paridis, nigrarum & maturarum exſiccatarum & pulveriſatarum, Eſſentiæ Mumiæ (quæ tamen jure omitti poteſt) Radicis Anthoræ ana ℥ß. Lapidis Bezoar ʒij. Theriacæ optimæ ℥iß. Hæc cum oleo, (quod e nucleis Pini per validam expreſſionem conficitur) incorporanda & commiſcenda ſunt omnia ſimul, ac deinceps tantum olei ſuperaddendum, ut trium digitorum vel quatuor latitudine id ipſum emineat Deinde orificio vaſis diligenter obſtructo inſolentur,quo enim vetuſtior hæc compoſitio evaſerit,eo melior & fortior.Eſt arcanum THEOPHRASTI ad quævis veneni genera, juxta CROLLIUM, præſentiſſimum, cujusmodi ſunt Mercurius ſublimatus, Arſenicum, Napellus, Pulvis Adamantis, Virus Aranearum & Bufonum, Thora, Cerebellum Felis, cum pruriunt in Venere, menſtrua &c. Hinc dicitur efficaciſſimum medicamentum, contra omnia metallica, animalia & vegetabilia venena. Uſus hujus medicamenti eſt, ut in omni veneno corporali ejusdem detur ʒß. cum hauſtu aquæ, vini vel quod melius eſt lactis tepidi: nam decima ſexta pars horæ, ut CROLLIUS aſſerit, non

tranſitura eſt, quin patiens veneni ſumpti ſubſtantiam a ſe ejiciet, ac liber evaſurus eſt, qui deinde confortantibus refici poteſt. Optime hoc fit, ſi in recenti lacte Corallorum rubrorum pulverem quotidie ſemel aſſumpſerit prius calefacto. Hoc arcano aliqui magnates intoxicati reſtituti ſunt priſtinæ ſanitati, cum prius eſſentiis Monocerotis & aliis Theriacalibus ac hujusmodi innumeris mediis fruſtra uſi eſſent.

BURGGRAFIUS quoque ex ſanguine Ciconiæ parari poſſe remedium contra omnia venena aſſeverat, nam ſubminiſtrat ſal volatile copioſum & dicente ETTMULLERO ſal cordis Ciconiæ & ſal cordis Pavonis contra omnia venena mirifice commendatur.

CICONIÆ VENTRICULUM contra omnia venena valere dicit & docet PLINIUS; & eundem ex vino decoctum & appoſitum furunculis mederi tradit idem. Sentiunt quoque aliqui, inquit PONCETTVS, ventriculum Ciconiæ, vel ejus cerebrum, cum vino diluto ſumptum additis duobus granis ſpicæ nardi curare venenum cujuscunque naturæ.

INTESTINA CICONIÆ in cibum ſumpta colicos ſanare & nephriticos perhibentur.

FEL ad oculorum vitia commendatur; juxta KYRANIDEM felle hoc inuncti oculi clareſcunt & acuitur viſus.

AXVNGIA podagricis & tremulis articulis utiliter illiniri dicitur.

Sunt qui ex PELLE tibialia faciunt, quibus incedant pro uſu podagræ.

Diverſi diverſa ex FIMO CICONIÆ remedia deſumi volunt, quæ tamen omnia improbat GALENUS. DI-

OSCO-

OSCORIDES nihilominus Ciconiæ ſimum morbo comitiali mederi tradit, ſi cum aqua bibatur. PAULUS ÆGINETA hunc ſimum, nonniſi recta cervice ſpirantibus, ſive orthopnoicis auxiliari refert. Fimum Ciconiæ podagræ conducere plurimi ferunt, ſed diverſo modo applicatum. AETIUS ita de eodem loquitur. Stercoris Ciconiæ quadrantem cum pari axungia tritum illinito & eo utere, neque cuiquam patefacito: multos enim ſervavit, pro ſecreto hoc habuiſſe videtur. Idem ſtercus a NICOLAO MYREPSO præſcribitur his verbis: Emplaſtrum Ciconiæ omnino podagricos ſanans, ſtercoris Ciconiæ & adipis Suilli veteris ſingulorum ſelibram habet. Aliter FUMANELLUS: cum Anatis nempe pinguedine mixtum Ciconiæ ſtercus & illitum podagræ valde conducere ſcribit. Denique eundem ſimum cum Hyoſcyami foliis & lactucæ ſylveſtris prodeſſe ait KYRANIDES. Stercus porro hoc, ſi ex aqua hauriatur comitialibus aliiſque morbis capitis prodeſſe credunt juxta CRATONEM. Doſis ad ʒß, &c.

Ova in vino conquaſſata & capillis inuncta eos reddunt nigros: requirunt autem quidam, ut prius capilli bene laventur & mundentur, poſtmodum oleo jrino aut ex olivis immaturis expreſſo, in quo axungia Urſi vel Apri fuerit diſſoluta ungantur, & tandem ſupra dicta mixtura adhibeatur.

STERCUS CORNICIS.

Eſt Cornicis præſertim cæruleæ vel nigræ ſimus.

CORNIX, *κορώνη*, quaſi *κρώνη* a *κρύζω*, a vocis aſperitate: *κορῶνα*, *κυράνα*, *κεραὶς*, dicitur etiam Coredula quibusdam, quia carnivora

vora eſt & cæteris partibus libentius corde veſcitur, ein Kråhe/ CORNEILLE.

SCHWENCKFELDT quatuor Cornicis ſpecierum mentionem injicit, cinereæ, nigræ, candidæ atque cœrulææ.

CORNIX CINEREA, CORNIX VARIA, CORNIX HYBERNA, κορώνη σποδοειδής, eine Schildkråh/ Winterkråh/ Nabelkråh. Avis eſt voraciſſima, Corvini generis, ſed paulo minor: Caput, collum inferius, mentum, roſtrum, alæ, cauda, crura admodum nigra, qui tamen color in mento roſtro, atque illa parte, quæ ſupra ſtomachum eſt tanquam ſetis quibusdam tecta, multo intenſior eſt. Dorſum totum, collum ſuperius, alarum latera, nates & totus venter cinerea. Lingua bifida, craſſa, ſubcærulea. Pamphaga eſt quadrupedum, hominum infeliciter mortuorum, & in crucem ſublatorum, denique & piſcium carnes affectat. In fruges pariter vermesque & omne inſectorum genus ſævit. Toto anno obvia eſt. Vere & æſtate in ſylvas avolat, ſupra abietes & pinaſtros nidulatur. Ova parit quatuor, quinque: Circa Autumni initium ad plana deſcendit, ibique totam poſtea hyemen degit.

Cornicis vita eſt longiſſima, utpote cui multas id eſt novem ætates tribuit HESIODUS.

Ter tria ſecla hominis transmittit garrula cornix
Quatuor & peragit Cornicis tempora Cervus.

Cornicis clamorem nimium ſeu crocitationem frequentem pluvias præſagire etiam pueri norunt.

Crocituque gravi pluviam increpat usque morantem.

CORNIX NIGRA, FRUGILEGA, κορώνη σπερμαλόγος, σπερματόλογος, CORNIX GRANIVORA, COCIS, CORNIX FRUCIFERA, ein Roocke Rooche/Rauch/forte a roſtri ſcabrioris aſperitate, ein ſchwartze Krahe. Tota nigra eſt, roſtro cruribus & toto corpore undiquaque nigerrima, ita ut piæ nigredine ſplendeat. Roſtrum prope caput albicans aſperiuſculum, duriſſimum, firmiſſimum ad inſtar Cornu oblongum, haud aduncum ſed acutiſſimum

Re-

Reliqua habitudo corporis Corvo ſimilis, at multo minor. Frugibus maxime inhiat in agris, neque terræ interim lumbricos aſpernatur. Carnes non guſtat. Vere gregatim ad pagos & oppida in cæmiteriis maxime ſupra arborum cacumina, Tilias maximas, Quercus & Alnos nidos parat. Moleſtæ ſunt dum pariunt, obſtrepero ſonitu, & noxiæ Agricolis, dum ſemina recentia in agrum recondita devaſtant ac depaſcunt. Hyeme abeunt, poſt æquinoctium vernum revertuntur æſtatis nunciæ.

CORNIX CANDIDA, ein weiße Kräh / hæc aliquando viſitur.

CORNIX CÆRULEA, CORNIX FERA, SYLVATICA, CORNIX PICTA, PICA SYLVESTRIS, Pſittacus Germanica. ein Mandelkräh / ein Rache / Helde / Elſter / Kugel-Elſter / Holtz Kräh / Galgenregel / Galskregel / teutſcher Papagey. Avis eſt pulcherrima & pennarum venuſtate nobiliſſima, ſylveſtris plane & immanſueta. Magnitudo ei Monedulæ, minor Cornice. Longitudo dodrantalis & 7. digitorum, latitudo trium ſpithamarum; roſtrum acutum, nigrum, craſſum. Crura obſcure flavent proportione corporis parva, unguiculis nigris. Cæruleo colore paſſim nitet, in capite, alis, cauda circa uropygium & tota parte ſupina, alibi ſinceriore, alibi admixto viridi: Dorſi & colli proni color ſubflavus eſt, tantillum Cupri colorem ementiens. Venter dilute viret, pectus varium ex flavo, rubro, viridi & albido permixtum. Majores alarum pennæ nigræ, intrinſecus cæruleæ, minores ex utriſque mixtæ; fauces intrinſecus flavent. Lingua bifida. Æſtate in ſylvis denſis non frequentatis ſolitaria vitam agit. Nidum ut Upupa ex oleto conſtruit. Meſſis tempore cum jam frumenta colliguntur & manipuli in acervos vulgo Mandlen a numero quino & denario comportantur, in campis paſcuis & ſecus vias conſpicitur. Vivit ex ſeminibus, vermibus, ſcarabæis, nec non projecta Cadavera arrodit.

Vox Cornicis eſt κρώζειν vel κρώζειν, ob aſſiduitatem obſtreperi cantus garrula & loquax dicitur. Volat celeriter, graditur lente inſtante pluvia, celeriter dum pullos paſcit.

Genera earum quod ſpectat, nidulantur in ſummis arborum frondibus. Non temere & impudenter inter ſe miſcentur & eandem cum corvis in conjugio fidem ſervant. Mas enim cum femella vi-

vit

vit inviolata conjugii lege & integerrima fide: ſi contingat alterum conjugum vita decedere, ſuperſtes vidua, etiam mortuo conſtanter fidelis permanet. Ea de cauſa auſpicio explorare volentes, conjugii ſucceſſum, advocata inter nuptias cornicula, præſagium capiebant. Obvia Cornix ſine compare ſola malum omen dabat. Scribit ORUS in Hieroglyphicis, obſervatum antiqua ſuperſtitione fuiſſe, quod unica Cornix obvia præſagire faceret viduam vitam: ſcilicet avis obviæ conditioni aſſimilatam. Quoniam inauſpicata habebatur avis, hinc VIRGILIUS.

Illud namque malum (ſi mens non læva fuiſſet)
Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab Ilice Cornix.

Præterea Cornicibus attribuere varia, quæ ISIDORO ut impia merito reprobantur: ait enim magnum nefas hoc, credere Deum conſilia ſua Cornicibus mandare. Ova pariunt poſt ſolſtitium gemina, natura ita diſpenſante, ut, quæ diu vivunt, pauca procreent. Incubant fœminæ tam impenſe, ut aſſiduo in incubatu plumas exuant. Pullos a cauda exire ſeu pedibus primo prævolutis quidam perſuadere volunt; cœcos naſci veroſimilius eſt. Ex geminis ovis, gemelli fœtus mas & fœmella prodire putantur ſpes futuræ cohortis: ubi vero vel gemini mares vel ambæ femellæ continentur ovis (quod raro accidit) mares femellis & viciſſim junguntur, nec aliunde connubia petunt. Ita ORUS in HIEROGLIPHYCIS, Non prius pullos quam plumis veſtiri incipiant, vulgo creditur. Volandi potentes diu proſequuntur & avolantes ſubinde concomitantur, ideo juſta naturæ latione & decreto, quantum tempus impendere in fœtibus educandis & ipſam ſenio confectæ a pullis ſuis aluntur

Cornices male a ſolſtitio æſtivo habent, ſeu quod ſcabie & lepra afficiantur, ſeu quod carnes a Lupo ſemeſas comedant.

Amicitiam colit cum Ciconiis, quibus maria transvolantibus ducem ſe præbet & cum Ardeola, cum qua contra vulpem pugnat. Perpetuum Cornicum & Noctuarum odium ſempiterna bella ciet, alter alterius deprædare nidum, ſubripere ova, enecare pullos ſtudet, & viſa Noctua ad arma conclamat garrula cornix, quæ etiam columbis infeſta, ova earum exugit.

Corni-

Cornicum ingenium & induſtria in hoc apparet, quod cum cortices nucum, quarum eſu delectantur, roſtro perfringere nequeunt, in altum volent, & nuces in ſubſtrata ſaxa, tegulas aut rudera dejicit, ut confringantur, nec ſemel experiri ſufficit, iterum & iterum allidit, donec nucleo potiatur.

Pluviam præſagire putant Ruſtici, cum frequentius ad aquas clangunt & aquis ſe ipſas uberius inſpergunt & perfundunt. Unde VIRGILIUS

Tum Cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpaciatur arena.

Mone-

CORNICIS CINEREÆ CARO tetrum ſpirat odorem, ſucci pravi, bilioſi & putridi, ob id a culinis prorſus abdicatur. CEREBRUM autem ejuſdem Cornicis pedes frigore uſtos ſanat. Ad eadem a plebecula PINGUEDO uſurpatur.

CORNICIS NIGRÆ PULLI pingues in pauperum menſas veniunt. Carnes in longiſſimis morbis utiles prædicantur. CEREBRUM ejusdem coctum comeſtum capitis doloribus auxiliatur. FIMUS alphos diſcutit, item dyſenteriam ſanat & fluxum alvi ſtringit.

CORNIX FERA autumno admodum pinguis efficitur. A multis in cibum recipitur ſaporis boni & grati.

KYRANIDES amuletum ipſo pretioſius auro recenſet de corde Cornicis maſculæ; quod conjugalem amorem fovere & augere putatur, ſi mulier geſtet; & vir femellæ cor: refero, inquit VON DER BOSCHE, non affirmo: etenim ſuperſtitionem olentia, exploſa magis quam probata narrari ſolent. Occaſione Cornicis liceat ſermonem quoque quendam facere de Monedula.

Vſus

Monedula dicta eſt a moneta, κολοιὸς, λύκος, βωμολόχος, LUPUS, GRACULUS, ein Thale/ Tole/ Dole/ Tule/ Aelcke.

Avis Corvini generis, garrula, quæ humanam vocem ſumma dicacitate imitatur, Cornice minor, tota nigra, minime canora, κλώζειν vox Graculorum Kacken. Veſcitur in cibo vermibus, ſcarabæis, ſeminibus & carne. Nidificat in altiſſimis turribus, nec non arboribus ſylvarum cavis, Bis in anno pullificat. Ova parit utplurimum quinque ſubviridia maculis fuſcis aſperſa.

A loco quædam Monedulæ ab Agricolis nominantur MONEDULÆ MURARIÆ Mauer Tolen quod in foraminibus murorum ſeu turrium nidificent. In altiſſimis turribus ſæpe tam numeroſæ nidificant, ut in una centum interdum nidi conſpiciantur. Aliæ ſunt ARBOREÆ Baum Tolen quod intra arbores cavas pariant.

Datur etiam MONEDULA CANDIDA ein weiſſe Tale quæ tamen rarior; MONEDULA ROSTRO ADUNCO krumbſchnablicht Thale quæ ſimilis Monedulæ vulgari præter roſtrum, quod longius aduncum inſtar accipitris & alas remiges, quæ candidæ ſunt; & tandem, Monedula Crucifera eine Kreutz-Thale/ roſtrum obtinet inſtar crucis veluti in Curvi roſtra decuſſatum. Cæteris vulgari ſimilis, ſed rariſſima.

Auri & argenti furacitas in hac avi mira, unde Monedula a moneta dicta creditur. Gaudet in capite fricari, quaſi pruriret, ideo carnem ejus, pruritum inducere ALBERTUS credidit. Loca plana amat quoque. Quia frumenti aliorumque granorum, ubi ſatiata fuerit reliquias terra recondit, & ſpicas ſubſequenti anno ex iis colligit, ideo frumentum ſerendi rationem hominibus oſtendiſſe creditur. Avem congregem eſſe vel vulgaris parœmia docet, *ſemper aſſidet Graculus Graculo.* Cicures monedulæ voces pronunciare diſcunt adeo, ut e caveis emiſſi ſponte ſua eas repetant. Matutino vero, ſuboriente ſole, tempore citius eas capiunt, & memoriæ tenacius mandant. Epileptico morbo obnoxii veluti extincti ex arborum tectorumque culminibus decidunt. Annuum faſtidium Lauri folio purgare dicuntur.

Mas mortem potius ſubit, quam conjugem derelinquat, altero mortuo alter dolorem perpetua viduitate teſtatur. Loquaciſſimi ſunt Graculi, coitus imprimis, &, quo pullos enutriunt, tempore. In

vini

vini potu mira ipſis laſcivia. Manibus retenti oculos impetere ſolent maxime, ſeu quod effigiem ſuam in illis cernentes, velut ad cognita deſideria tendant, ſeu quod a rebus fulgentibus & mobilibus, quales Oculi facillime, alliciantur.

Uſus Monedularum ſive Graculorum apud multos in cibis. Pulli præſertim a pauperibus comeduntur.

STERCUS CUCULI.

Eſt Cuculi tum adulti tum pulli fimus.

CUCULUS

CUCULUS ita dictus eſt a cantu ſuo, qui unus idemque eſt perpetuo & uniſonus. Græce κόκκυξ a κοκκύζειν id eſt cucurire, Kuckuck/ Guckgauch/ Gucker/ Coucou.

Avis eſt pigerrima & timidiſſima. Longitudo a roſtro ad caudam extremam ſpithamarum duarum & palmorum totidem. Latitudo alis expanſis ſpithamarum trium. Roſtrum acutum leviter aduncum, anterius nigrum, caput verſus fuſci coloris. Tibiæ breviores croceæ, ut & digiti quaterni antrorſum & retrorſum bini, unguibus aduncis armati. Prona pars tota tam cinerea (ſub gula & collo) quam alba (in ventre) lineis ſeu maculis transverſim ductis oblongiuſculis fuſcis diſtinguitur, aſt non continuis, ſed interruptis. Alarum remiges fuſcæ totæ in mediis extremis undiquaque albentes, ultra mediam caudam quam longiſſime protenduntur. Cauda palmos duos & digitum unum longa ex pennis decem condita nigricat, punctis albidis juxta ſpinam referta & lineis utrinque ſecundum longitudinem ferrugineis. Rictus oris cum interiore capacitate & lingua intenſe crocea; Nares in ſuperiore mandibula tubercula quaſi rotunda. Ita deſcribit Cuculum SCHWENCKFELDT.

PLINIUS author eſt videri Coccygem h. e. Cuculum fieri ex accipitre. Tempore anni mutare figuram, quod tunc non appareant reliqui, niſi perquam paucis diebus ipſum modico æſtatis tempore viſum non cerni poſtea. Eſſe autem neque aduncis unguibus ſolum

accipitrum, nec capite ſimilem illis, neque alio quam colore, ac rictu columbi potius. Quin & abſumi ab accipitre, ſi quando una apparuere ſolam omnium avem a ſuo genere interemptam. Cujus dogmatis meminit etiam ARISTOTELES, dicitque, arbitratos eſſe nonnullos Cuculum fieri ex accipitre duabus perſuaſos rationibus; tum quia accipitri ſimilis, tum quia quando alter cernitur, alter minime comparet. Verum hanc ſententiam refutat argumentis ſequentibus. 1. Quia Accipiter eſt γαμψώνυχος, aduncis unguibus: Cuculus nequaquam. Nam Cuculus venatur roſtro, non pedibus; Accipiter contra. 2. Quia Cuculus etiam capite Accipitri diſſimilis eſt; ſed ambabus partibus, pedibus & capite, columbum potius, quam accipitrem repræſentat. 3. Quia perſpectum eſt Cuculum ab Accipitre devorari. At avis ejuſdem generis avem minime devorat; quod tamen SCALIGER falſitatis inſimulat, & ARISTOTELI ipſi adverſari ſcribit. Etenim dicit Cygnos inter ſe devorari Præterea αὐτοψία monſtrat & Coturnices, & Gallos & Falcones & Milvos & Phaſianos & Columbas inter ſe pugnare ac niſi victus victori cedat, ſe interimere: Sed defendi forſan ARISTOTELES juxta SEBIZIUM poteſt, ſi dicatur, hoc in avium genere rarum eſſe: ideoque ac ſi nunquam fieret ab ARISTOTELE pronunciatum. Piſcis enim piſcem ſui generis devorat, v. gr. Lucius Lucium. At aves carnivoræ e ſuo genere cibum minime capiunt; niſi pauciſſimæ, & raro, & famelicæ admodum urgente pabuli penuria. Objicies, Cuculum tamen accipitrem referre colore? reſpondet ARISTOTELES etſi color utriusque ſit idem, coloris tamen modum eſſe diſſimilem. Nam Accipiter maculis linearum ſpecie viſitur, Cuculus quaſi punctis notatus cernitur. Quemadmodum vero Cuculus ſimilis eſt Accipitri; ita idem magnitudine & volatu ad accipitrem accedit minimum: quia per id tempus ἐπὶ τὸ πολὺ Accipiter non comparet, quo Cuculus videtur. Nam ſimul eodem tempore viſi ſunt ambo.

Cuculus fœcundus non eſt, quia, uti loquuntur, frigidus. Frigiditatem autem patefacere dicitur ejus timiditas quam rurſus ex eo colligere licet, quia etiam ab aviculis vellitur & præ metu earum fugit. Parit quidem & parit ovum majori ex parte unum: ſed non in nido quem fecerit ipſe; verum interdum in nidis minorum avium,

&

& aliena ova, quæ reperit, devorat. Maxime vero nidos petit palumbium, quorum & ipſorum ova comedit ſuaque relinquit. Parit quoque in nido Currucæ, ὑπολαΐδος, quæ ova fovet excludit atque educat: quo quidem tempore, pullus Cuculi & pinguis eſt & grati ſaporis. Sed & in nido alaudæ humi, atque in nido Luteolæ χλωρίδος ſuper arboribus parit: ſcilicet nidis alienis, cum nidum non ædificet ipſe: SCALIGER reddit cauſam, quia nidus munimenti cauſa conſtruitur. Cum vero Cuculus avis ſit timidiſſima ideo deſperat poſſe nidum ab ſe defendi. Quæ ova peperit ea incubando minime fovet (οὐκ ἐπωάζει αὐτὸς) ſed illa avis, in cujus nido peperit, ea incubat, excludit, atque enutrit: quæ, quemadmodum ajunt, ubi Cuculi pullus creverit, ejicit ſuos, ita ut intereant. Alii eos a matre interfici dicunt & pro cibo dari pullo Cuculi; propterea quod pullos ſuos improbet: probet autem Cuculi prolem tanquam ſpecioſiorem. Quamvis autem maximam harum rerum partem obſervatam a ſe multi autument, tamen quemadmodum pulli intereant, inter omnes minime convenit. Etenim, alii perſuaſum habent, Cuculum ipſum repetere nidum, cui ſuum mandarit ovum, pulloſque devorare nutricis. Alii opinantur pullum Cuculi, quod magnitudine præſtet, omnem oblatum cibum præripere & deglutire, atque ita cæteros fame perire. Alii denique exiſtimant, eundem Cuculi pullum, utpote robuſtiorem, reliquos cibi conſortes occidere. Itaque prudenter moliri prolis ſuæ procreationem videtur Cuculus. Cum enim conſcius ſibi ſit ſuæ ignaviæ atque imbelliæ, noveritque opitulari ſe proli non poſſe, idcirco pullos ſuos ὥσπερ ὑποβολιμαίους quaſi ſuppoſititios facit, quo ſervari queant, ut docet ARISTOTELES. Ex quibus apparet cur qui benefactoribus malam referunt gratiam, aut accepti beneficii immemores, malefactum pro benefacto rependunt, INGRATI CUCULI vocentur. Proverbium Germanicum ita ſe habet, du lohneſt mir wie der Grauſenmucke der Guckuck?

Mercedem reddis quem Cuculus Currucæ.

Nimirum quia quemadmodum Cuculus ova ſua in alieno parit nido, eaque poſtea nidi incolis fovenda & excludenda relinquit: ſed beneficii immemor earum ova poſtea perdit & conſumit, ita homines

nes ingrati beneficia quidem ab aliis accipiunt, ſed memoriam eorum deponunt, & ἐυεργέτας variis modis offendunt. Liquet deinde etiam, quare PLAUTUS in ASINARI: vocet adulterum Cuculum? ſcilicet propterea, quia ſicuti Cuculus ova ſua in alienum nidum deponit, tum quod ea ob caloris infirmitatem fovere & excludere nequeat, tum quod naturæ inſtinctu cognitum habeat, ut PLINIUS loquitur, omnium avium generi eſſe inviſum & propterea pullos contra inſultus earum minime tutos fore prævideat: eaque incubanda, excludenda, & pullos inde natos aliis avibus, in quarum nido nidulatus eſt alendos atque educandos relinquit: ſic adulter ex alienis uxoribus liberos ſuſcipit, quos maritus poſtea ſuſtentare, tanquam ſui eſſent, neceſſe habet. Ideoque rectius adulteri Cuculi vocantur, quam mariti, quarum uxores fidem fregerunt, ſpuriosque ſuos iis, adulterii commiſſi ignaris, fovendos & alendos callide & aſtute obtrudunt. Ælianus narrat Cuculum ova ſua non in vacuos & inanes nidos avium deponere, ſed in illos in quibus ova jam præexiſtunt. Illis enim ſua admiſcere. Quodſi aliena ova numero plura offenderit in aliquo nido, ex iis quædam ejicere ac perdere; in eorumque locum ſupponere ſua, quæ ab incolarum ovis internoſci ob ſimilitudinem nequeant. Idem memoriæ prodidit, cum pulli Cuculi procedente ætate ad volatum facti ſunt habiles atque idonei, conſcios ſibi eſſe, illegitimos ſe eſſe fœtus; ideoque evolare ad parentem. Nam ſuccreſcentibus pennis ab ave, quæ eos excluſerat, alienos deprehendi & maletractari. OPPIANUS vero refert, cum Cuculus minime nidificet, aliarum quarumdam devorare ova, ſuaque ſupponere & diſcedere. Foveri autem ova ſua a matre aliena, donec excluſis pullis fraus detegatur: qua cognita eos relinquat aliumque nidum ſtruat. ARISTOTELES ſcribit, pullos Cuculi neminem vidiſſe ſcilicet in proprio nido: quia vel non vel perquam raro nidificat, aliorum nido contentus.

Vox Cuculorum propria Cu, cu

Et Cuculi cuculant, fritillat rauca Cicada.

Cuculus itaque ſemper eandem vocem replicat, quæ eſt cuculare, [illegible] græce

græce κοκκύζειν. Mutant autem hanc vocem aut minus explanant, cum ſe abdituri ſunt. Mirandum refert PLINIUS at ſuperſtitioſum de Cuculo. Quo quis loco primum audiat alitem illam, ſi dexter pes circumſcribatur ac veſtigium defodiatur, non gigni pulices; ubique ſpargatur. Apud multos plebejos & ruſticos conſuetudo inolevit, ut qui primo Cuculum ruri canentem audiant, petant ab eo per ludum, aut ex veteri antiqua ſuperſtitione, ut numerum annorum, quos adhuc ſuperſtites vecturi ſint, ipſis præſagiat. Numerant vero totidem annos quoties ille ſuum κοκκυ per intervalla, poſt quæſtionem factam repetierit.

Cibus Cuculo ſunt erucæ, muſcæ, fruges, ſed & carnes, ſi verum eſt, grandiuſculos nutricis pullos, imo ipſam devorare, quod quibusdam creditum, quamquam exinde Carnivorus eſſe negetur, quod nonnunquam Accipitri in cibum cedat. Pullus nitidus in ſe nutricem convertit. Illa gaudet ejus ſpecie, miraturque ſe ipſam, quod talem pepererit: ſuos comparatione ejus damnat, ut alienos, abſumique etiam ſe inſpectante patitur, donec corripiat ipſam quoque jam volandi potens, quod tamen ultimum falſum eſſe obſervatum eſt.

Hyeme in cavernis arborum latet mutus quaſi mortuus atque deplumatus: Alii dicunt intrare latibula terræ & æſtate eo comportare commeatum ut hyeme habeat quo vivat. Certum eſt, quod dum hyeme latitat & implumis eſt vel congeſtis & ibidem repertis vivere, vel hirundinum & urſorum more vitam ſuſtentare credendus ſit. Apparet autem hæc avis optimi anni tempore ab ineunte nimirum vere usque ad Caniculæ ortum.

Cuculus mutat colorem. Nam vere ſupina parte totus fere ex nigro ſubcæruleus exiſtit, parum ferruginei coloris obtinens: cauda nigricans longiſſima, quarum pennæ ad ſpinam maculis albis inſigniuntur. Autumno per totum dorſum, alas, caudam, fuſco, ferrugineo & albo variat colore: ſupra uropygium pennulæ veluti pavonis ſpeculum relucent.

Inimicas tum omnes fere aviculas, præcipue cum ova pariunt, habent, ſeu quod illorum fraudis ſint conſciæ, ſeu quod accipitri perquam ſint ſimiles: tum cicadas, quæ eos frequenti agmine invadunt & poſtquam ſub alas irrepſere, morſibus lancinant. Ideo ſub ortum caniculæ, quo raucis.

Sole:

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis,

Cantilenam ſuam abrumpunt. Alii dicunt quod tantummodo ad feſtum S. JOHANNIS BAPTISTÆ vocem perfectam edant, & quod ſi ultra cuculent, uvæ vix matureſcant. Amicitiam cum Milvo colit. Volatus Cuculo brevis, interruptus, humilis & ut hoſtem effugiat, inſtabilis. Ideo Milvorum ſcapulis quo tempore adveniunt, ſuſcipi putantur, ne per longa aëris ſpatia defatigati Cuculi deficiant.

Salivam Cuculum ſpuere vulgus credit. SALIVA CUCULI, Guckguck-Speichel/ Guckguck-Spey. Verum materia illa, quæ ſæpe æſtivis temporibus herbas inficit, ſpuma Cuculi non eſt, ſed exhalatio, quæ facillime putreſcit, & omnes generis vermiculos & araneas gignit, ac ſæpe herbas & integras arbuſculas niſi abſtergatur, adurit ac corrumpit. Aliquando, ut SCHWENCLFEKDT loquitur, ternum ramuſculum ambiens inſtar piperis longi granulis veluti multis induratur, qui exemptus tubulum refert, per quem ſi potus Epilepſia correptis offeratur, eos erigere vulgi perſuaſio.

FALCO

CUCULUS ADULTUS menſis apponitur raro, quoniam ipſe rarus, & ejusmodi carne præditus, quæ non uſque adeo palato grata. Ideoque ruſticorum & tenuioris fortunæ hominum ferculum eſt. PULLUS CUCULUS dum in nido ab aliena matre educatur, pinguis eſt & boni ſaporis, ob id ab Italis in cibum recipitur. Nec talem pullum alii averſantur, quum ipſarum caro dicatur eſſe admodum delicata.

CUCULUS EXUSTUS datur utiliter febricitantibus paroxyſmi tempore. Medetur Epilepticis. Cineres hi ad dolorem & ventriculi humectationem valent.

CUCULUS juxta PLINIUM leporinæ pelli illigatus ſomnum allicit.

HEPAR CUCULI exſiccatum & pulveriſatum & cum

vino

vino aqua vel ſyrupo convenienti exhibitum; hydropicis conferre ſcribit PLATERUS: addit quoque Cuculi cerebrum epilepticos juvare.

FIMUS CUCULI in vino coctus & potus, morſum Canis rabidi curat, ut quidam volunt.

STERCUS FALCONIS.

Eſt Avis accipitrini generis quam Falconem appellant, fimus.

FEL

FALCO ſic dictus eſt, ut FESTUS innuit, quod ungues in formam falcis introrſum inflexos ſeu incurvos habeat, Φάλκων ein Falcke/ UN FAUCON.

Accipitrini generis nobiliſſima ſpecies & animo & audacia reliquis plurimum præſtat. Differunt Falcones natalibus magnitudine, colore, ſexus ætate; principaliores juxta SCHWENCKFELDT deſcribemus.

FALCO MONTANUS, FALCO MONTANARIUS, CYBINDUS, ACCIPITER NOCTURNUS ein Birckfalck / Bergfalck. Corpus ei breve & valde ſpiſſum. Pectus plane rotundum & magnum; crura fortia & brevia; pedes nodoſi unguibus fortioribus; dorſi alarumque exterior color cinereus, qui paulatim fuſcus efficitur & pallidior; in montium foraminibus nidulatur; ferum eſt hoc genus, malis moribus præditum & iracundum.

FALCO PEREGRINUS, FALCO COMMUNIS, FALCO MIGRATOR ET COMMEATOR, ein Wander-Falck/ gemeiner Falck/ frembdling Falck/ ſemper peregrinatur & migrat de una regione in aliam: minor eſt montanario, cauda brevi, alis longis, capite craſſo, coxa longa, cruribus brevibus iisdem & pedibus albicantibus, bonis eſt moribus, præſertim ſi bene nutriatur.

FALCO NIGER, FALCO CARBONARIUS ein Kohlfalck/ figura peregrino per omnia ſimilis, at brevior. In dorſo & exteriore alarum parte & cauda tota fuſcam habet nigredinem. Guttas

tas in facie falconarias prorſus atras, quæ circumfunduntur quodam obſcuro & fuſco pallore.

FALCO CANDIDUS, FALCO ALBUS, FALCO MOSCOVITICUS, ein weiſſer Falck. Major eſt falcone peregrino: figura pedum, unguium roſtri ac totius corporis, naturam falconis præ ſe fert: in dorſo & alis ſubalbus eſt, alibi vero maculas ſeu guttas habet valde albas aliis guttis ſubpallidis interpoſitas. Hunc mittit Septentrio & Oceanus e Norwegia, Suecia, Eſtovia, Moſcovia. Albus falco perquam audax & bonus, nec unquam a natura falconis aberrat.

FALCO SACER, ἱέραξ, πτέρνης, FALCO BRITANNICUS, FALCO AËRI PHILUS, ein Saccker/ Sacckerfalck/ Stocckerfalck/ Köppel quaſi copulatus, Stosfalck. Magnitudo ei fere aquilæ, cruribus craſſis & unguibus maximis. Oculi flammei ex citrino ad rubeum declinant: caput magnum, roſtrum fortiſſimum, cauda longa, pennæ ruſæ, vox barbara: in altiſſimis montibus nidificat. Nulla eſt avis tanta, quam non ſtatim dejiciat, nec unam tantum, ſed quotquot habuerit obvias: amat hominem & canes venaticos.

FALCO MEDIUS, HIEROFALCO quaſi ſacer falco, HIEROFALCHUS HERODIAS quod Ardeas venetur. Ein Gierfalck/ Gerfalck/ Mittelfalck/ Regerfalck; Probis pedibus præditus eſt, digitis longis, corpore valido & pulchro, præſertim poſtquam pennas mutaverit; ſtrenuus ac ferox eſt ad omne aucupium utilis.

FALCO MIXTUS, FALCO MONTANUS CÆRULEUS, FALCONIS MONTANI SECUNDUM GENUS, AN FALCO CINEREUS SEU LEUCOPHÆUS? Ein Zwitterfalck/ Liechtblauer blaufuß/ Aſchfarbner Bergfalck. Avis eſt elegans & audax ſpithamas duas & digitos tres longa, lata ſpithamas quatuor & palmos duos: roſtrum habet breve, uncum, indici fere coloris: crura alta, tibiæ graciles longæ, luteæ, unguiculis nigris acutiſſimis, digiti exteriores duo utrinque tunica aliquatenus junguntur: Color cinereus ad cæruleum vergens dilutius obſcuriorve pro diverſa partium ad lucem obverſione. Capitis, colli, gulæ, alarum ſuperiorum & cauda dilutius, dorſum obſcurius: pectus cum ventre

tre toto & ſemoribus nivei ſunt candoris. Alarum remiges ſex nigræ ſunt, reliquarum tantum extremitates nigræ ſunt, mediotenus ſecundum ſcapi longitudinem albæ. Nares membrana circumtegit lutea : juxta roſtrum & oculos albet : oculi pupilla ex nigro cærulea : cilia ſeu ambientes circulum membranulæ luteæ ſunt, ut & iris. Capite donatur craſſo & collo, corpore admodum gracili. Alæ ad mediam fere caudam extenduntur, quæ dodrantem longa ex duodecim pennis, dilute eſt cinerea, quarum mediæ dilutè coeruleæ ſunt, exteriores quatuor, utroque latere binæ, candidæ, omnes ad nervum utrinque maculis triangularibus fuſcis inſigniuntur; ſupra oculos juxta roſtrum pennulæ ut pili rigent. Venatur aviculas & perdices inſequitur. Rariſſimus eſt.

FALCONELLUS, FALCO PARVUS, FALCONELLUS FERIENS, Ein Stosfälcklein / kleiner Falck / Lerchfälcklin. Longitudo ei ſpithamalis cum palmo, pallidi pedes ſeu ſubflavi: dorſum nigrum ad indicum inclinat: pennæ alarum nigriores: pectus albidæ & nigræ maculæ variant: oculi toti nigri, quos circulus anguſtiſſimus pallide luteus in periophthalmio ambit, genæ albæ, gula in maſculo rubet in femina pallet: cauda fuſca maculis tranſverſim nigris diſtinguitur, ſub uropygio ſpicei eſt coloris: alæ longiſſimæ ultra caudam extenduntur crucem efformantes, roſtrum cæruleum. In montibus nidulatur: frequens ejus uſus in aucupio, maxime ad alaudas & perdices capiendas.

FALCO PALUSTRIS, ὁ καταῤῥάκτης, FALCO LITTORALIS ein Rohrfalck. Milvi fere eſt magnitudine, corpore longiore, roſtro adunco nigricante: cruribus craſſioribus ſquamoſis, cæruleis, digitis ſimilibus, qui unguibus armantur nigris acutiſſimis: per dorſum ex fuſco purpuraſcit in capite dilutius. Alæ longiſſimæ & acutæ, quarum majores pennæ lineis fuſcis interſecantur: venter ſubalbidus: oculi luciđiſſimi ſunt. Omnium falconum ignobiliſſimus eſt. Circa paludes piſcinas & flumina degit, & piſcibus tantum veſcitur. Præceps ex alto in aquas ſe dejicit & diſcuſſis pectore aquis piſces rapit.

Falco mira quadam volandi ratione, in principio medio & fine venationis utitur. Ad prædam pergens celeri volatu in ſublime aſcendit, & rurſus compoſitis ad pectus, quibus iturus eſt, un-

guibus tanto impetu, in avem obliquato volatu deſcendit, ut ſtrepitum quaſi concitati venti ſuo deſcenſu excitet, in deſcenſu avem percutiens adeo longum vulnus infligit, ut a capite ad caudam uſque diſciſſa, aut toto capite truncata, nonnunquam in humum decidat. Cum Ardea ipſi periculoſum certamen. Hæc enim ubi infra poſitam ſe videt, roſtro ſuo prælongo ac acuto, quod prius abſconderat, rurſum elato irruentem ita excipit, ut eo ſemet falco ſæpiſſime medium pectus induat, & ambo interdum illiſis interaneis humo affligantur.

Cum multis ſæpe morbis conflictantur falcones, febri apoplexia, apoſtematibus capitis, vertigine, aſthmate, vermibus, podagra pediculis &c.

FEL FACONIS viſui multum prodeſſe putatur, quia oculos ſerenat, & viſum acuit abſtergens maculas & nævos oculorum.

FIMUS FALCONIS quantitate unius drachmæ cum vino ſumptus, ſecreta proprietate promovet partum, ut docet RODERICVS a CASTRO: fimo quoque vis ophthalmica adſcribitur.

STERCUS GLIRIS.

Eſt Muris domeſtici majoris ſive Gliris ſtercus, muris minoris ſtercore majus, acrius, & nigricans.

GLI-

GLIREM a pinguedine nuncupatum putavit ISIDORUS. Gliſcere enim, creſcere & pingueſcere ſignificat. Græcis dicitur ἔλειος, quod antiquioribus addito Gamma γέλαιος, unde forte Glis. Vocatur ita ſeu ab ἕλη, quoniam in ſylvis & locis apricis degit, ſeu ειλεω, quod in arborum foraminibus per integram hyemem circumvolutus & ſoporatus maneat. Alii λαγονηρον quaſi leporem dormientem vocarunt; quidam μυοξὸν, quaſi rictum in comparatione ad alios mures magis acutum habeat. Dicitur etiam ῥάϛηρ, ὕραξ, ῥίσκος, R-TTUS vulgo, RATTUS TERRESTRIS ein Ratte / ein Ratz / un RAT.

Qua-

Quadruplo fere major mure domeſtico minore,corporis magnitudine muſtelam aſſequitur & exæquat. Pilis eſt ſubnigris, cauda procera nec admodum gracilis, nec prorſus nuda pilis.

Vocem habent glires acutam. Clamante uno concurrunt reliqui & clamore amicum teſtantur conſenſum. Motum habent mediocrem & felis inſtar arbores & pariete; ſcandunt. Sæpe Sciurorum more de muro in murum, de tecto in tectum ſaltat; Nec periculum gravioris lapſus eſt, cum expanſo corpore rem agat, felium moribus aſſumtis. Odoratu præcellit, quo gallinas latentes inveſtigat. Dormire dicitur tota hyeme nec ullum tunc capere cibum.

Hinc verſus eſt

Tota mihi dormitur hyems & pinguior illo
Tempore ſum quo me, nil niſi ſomnus alit.

Sed & hic a neceſſario, ut bene SPERLINGIUS dicit, ad nimium progreſſi ſunt authores. Conſpiciuntur enim hyberno quoque tempore in domibus. Semiferum animal eſt habitans partim in ædibus partim in ſylvis. In domibus diſcurrit & ſtabulis hyberno tempore, frugum & leguminum peſtis & pernicies, inviſus hominibus. Glis ſylveſtris aliquando foveas facit profundas, quas replet ſpoliis ac terra foliis ac lignis aperit. Veſcitur fructibus arborum, appetit ova atque gallinas. Has indeque conquirit inventaſque trucidat; Occiſa una non ſtatim devorat prædam quam nactus eſt, ſed inquirit altius. Quotquot reperit, jugulat ac recondit. Nulla demum ſuperſtite devorare incipit ac replere ventrem. Dominis propriis non facile ova ac gallinas ſurripit, ſed tum ubi neceſſitas urget. Catulos cum alit, maxima ſolet inferre damna.

In ædibus capiuntur muſcipulis. In ſylvis venatores obturant limo foramina cavearum, quas inhabitare ſolent & revertentes ac in patefaciendo aditu occupatos transfigunt vel baculis interficiunt. Alii profundas foveas parant & lignis ac palis tegunt, ut tranſeuntes incidant. Omnes glires ejuſdem ſylvæ quandoque congregantur & ſi aliqui monte vel flumine diſcreti ad eas accedunt, præliantur invicem.

Fœcundum animal eſt & partu uno plures edit, parvo tempore adeo ſe multiplicat, ut pagos totos & tota oppida repleat.

Feles captis caput abripiunt, relicto reliquo corpore. Venenum in cauda geſtare dicitur.

GLIRES SYLVESTRES olim in cibum cedebant & horum etiam animalculorum inſtituebant vivarium, quod Glirarium Varro nominat.

CARNIS eſu bulimo laborantes liberantur. PINGUEDO Gliris ad conciliandum ſomnum plantis pedum illinitur, commendatur etiam in membris paralyticis.

EXCREMENTA in liquore aliquo pota calculos diſcutiunt. eadem cum aceto & rore marino alopeciam ſanant. Quæ de Muſcerda dicta ſunt, valent etiam de hoc ſtercore.

CINIS combuſti ad claritatem oculorum prodeſt ſi credimus Plinio.

URINA GLIRIS, ſi nudam aliquam corporis humani partem attigerit, præſertim cum libidine accenditur, carnes ad oſſa putreſcere facit, & difficile vulnus cicatricem admittit, ut quidam perhibent.

STERCUS LUTEOLÆ.

Eſt Luteolæ Germanicæ ſtercus.

Mirum

** Ἀκανθὶς, Ἀκάνθυλις, χλωρὶς, διὰ τὸ τὰ κάτω ἔχειν ὠχρὰ id eſt a partis ſuæ inferioris colore luteo. σπῖνος, LIGURINUS διὰ τὸ λιγυρὸν τῆς φωνῆς a vocis argutie, SERINUS quaſi ſyren a vocis dulcedine, SERIS, CITRINA, ZISELA, ein Zeiſel / Zeiſich / Zeiſzgen / Zeuſle / Ziſzle / SERIN.

Avicula vulgaris notitiæ colore viridi ſed obſcuro non ſplendido: pectus luteum; roſtellum longiuſculum tenue & acutum; maculas duas

duas habet nigras, alteram in fronte, alteram ſub mento. Extremitates alarum nigricant: femina palleſcit, cinerea nimirum & ventre imo pulla.

Frequentiſſima in montibus præcipue & nemoribus, in quibus per æſtatem etiam nidificare ſolet: fœcundiſſima eſt, nam duodenos & plures ſimul parit pullos.

In hypocauſtis & caveis cantus gratia alitur papavere; facile cicuratur & imperata facere perdiſcit pedibus & ore. Cum enim e fune hinc cibus hinc potus propendeat, avicula hæc fune cibum & potum ſibi e profundo trahit alternatim laborans, quod ſenſiſſe aut vidiſſe conjicitur.

Mirum in modum pingueſcit boni ac laudabilis nutrimenti, ſaporis ſuavis. Viſco facile capitur.

STERCUS alvum duram emollit, infantibus ex lacte inſtillatum ſeu aqua decoctum pauperculararum feminarum uſu.

STERCUS MERULÆ.

Eſt Merulæ præſertim nigræ ſive vulgaris ſimus.

Roma-

MERULA, dicitur a Græcis κόψιχος ſive κόψυχος & κόσσυφος κόττυφος. Merula dicitur quaſi MEDULA; ſic enim antiqui nominabant inquit ISIDORUS, eo quod moduletur. Alii inter quos VARRO vocatam perhibent, quaſi MERAM, hoc eſt ſolam volantem. Sed hanc etymologiam QUINTILIANUS ridet. Quidam propter nigrum colorem, quo conſpiciendam ſe exhibet, NIGRETTAM nuncupant; verum vox hæc eſt barbara, neutiquam latina. Dicitur quoque MERULA NIGRA, MERULA VULGARIS. Ein Amſel/ ein ſchwartz Amſel/ Meerlen/ MERLE.

Variæ dantur Merularum ſpecies

MERULA VULGARIS magnitudine eſt Turdi pilaris; roſtro longiuſculo recto, cereo, pedibus aterrimis colore nigro & ſplendente. Colorem cum roſtri tum plumarum pro diverſitate temporum mutat;

mutat: fœmina fuſca eſt, roſtro inferius tantum luteſcente, ſupra plane fuſcido. Gula pectusque totum ex albicante & fuſceſcente coloribus maculantur.

MERULA CANDIDA, ἔκλευκος κόττυφος, Merula alba ein weiſſe Amſel / quæ tamen rarior eſt.

MERULA VARIA, MERULA ALBA & NIGRA, ein weiß-geſcheckte Amſel. Hæc tota nigra præter pennas majores & caudam, quæ nivei ſunt coloris.

MERULA ALPINA, MERULA MONTANA GERMANORUM, ὁ φαῖος κόττυφος, πετροκόσσυφος, MERULA FUSCA, ein Berg-Amſel/ Stein-Amſel/ Hag-Amſel/ paulo minor eſt cæteris, roſtro & pedibus, coloris ex nigro in fuſcum vergentis, rufo quodam modice admiſto. Cauda atra. Venter ex cinereo & nigro mixtis ſaxa incolit montium altiſſimorum.

MERULA TORQUATA, ein Ring-Amſel / Schnee-Amſel/ Meer-Amſel/ Roß-Amſel. Turdi magnitudine ſimilis. Inter collum & pectus parte prona plumas habet albas, duorum digitorum latitudine, (non torquem in collo) reliqua pars tota inferior maculoſa eſt & varia nigris in medio pennis ambitu albis. Roſtrum inferius ſubflavum, tota pars ſuperior fuſca. Alarum pennæ margine extrinſecus albicant, præſertim quæ in medio ſunt. Crura ex nigredine obſcure rubent. Macula ſub gutture fœminæ candidior, Mari obſcura qui eſt nigrior & ſplendidior eſt. Montium eſt incola & hyemis initio capitur, nec ſingulis annis apparet.

MERULA AQUATICA, MERULA RIVALIS, κόττυφος ἔνυδρος, ein Waſſer-Amſel/ Bach-Amſel/ See-Amſel. Paulo minor eſt Merula vulgari, cui non diſſimilis. Roſtrum Merulæ nigrum, pedes fiſſi phæopi, verticem capitis obtinet fuſcum. Dorſum et cauda quæ brevis, nigra ſunt. Collo ſupino ad dorſi initium ex rubro nigricante. Alæ ſunt partim nigræ, partim cinereæ. Gula, collum, pectus alba ſunt, ventre rubente maculis ſeu punctis cinereis vario. Secus fluenta vivit, limo vermiculis & arena in cibo fruitur, nec hyeme ab iis diſcedit.

Hic ſermo maxime eſt de MERULA NIGRA ſive VULGARI. Hæc conſitis nemoribus gaudet, in quibus nidum conſtruit durum & quaſi glutino quodam firmatum. Bis parit anno: verum primi illa-

illarum partus intereunt frigore hyberno: omnium namque avium primæ pariunt; poſteriorem autem educant, feliciterque ad finem perducunt.

Fruitur in cibo vermiculis, bacculis Sorbi Alpinæ, Sambucique acinis. Clauſæ ergaſtulo, carnibus & pane candido, ſive farina hordeacea permixta veſcitur. Nam mares etiam cum fœminis condiuntur. Conditæ etiam fœtificare ſolent. Hyeme abeunt & latent, juxta ARISTOTELEM & PLINIUM.

Aves ſunt canoræ. De earum voce fringulicire quidam uſurpat. Veteres ejus non exprimunt proprium, ſed inter canoras ponunt. Merula dulce canit, & vocis amœnitate ſe ipſam oblectat, maxime cum vernum tempus imminere proſpexerit. Incipiunt nempe vere canere, continuant per æſtatem, hyeme cohibendo vocem, ſtrepitant, & ut ÆLIANUS loquitur, παταγῦσι καὶ τεταραγμένον φθέγγονται, ſtrepunt & vocem edunt inconditam, & tumultuoſe vocculantur. PLINIUS ait Merulas canere æſtate, hyeme balbutire. Ut diutius canant ſuaviusque carnibus paſcuntur. Docilis ſunt ingenii, hominumque ſermonem imitantur, ſi inſtructæ fuerint; verum illum non ita articulate proferunt ſicut pſitacci. De voce Merulæ ita author PHILOMELÆ;

Eſt Merulus modulans tam pulchris concinit odis,
Nocte ruente tamen, carmina nulla canit.

Amicæ ſunt turturibus ut & turdis; purgant annuum faſtidium Lauri foliis juxta PLINIUM.

Capitur Merula præſertim autumno & ſequentibus menſibus, laqueis imprimis inter duas arbuſculas extenſis ſuſpenduntur bacculæ Sorbi aucupariæ, quibus ineſcata illaqueatur.

Avis

Romani olim Merulas cum Turdis ſaginabant & Aviariis includebant. Quidam eas Turdis præferunt, hinc SAVANAROLA & FIERA canunt.

Si

Si mihi pinguis erit Merulus, tua gloria cedit,
Turde, ſalutifera vult mea menſa cibos.
Igneus ardor ineſt major tibi, ſiſtitis ambo,
Tu gravior redolens, ni tibi bacca favet.
Si tamen aucupiis, laqueo vel rete latenti
Falleris inde mihi non minus ipſe places.

Sed turdi revera iis palmam præripiunt, carne enim conſtant ſuaviori, meliori, delicatiori & concoctu faciliori. Placet caro Merulæ potiſſimum ea, quam habent in pectore. HORATIVS innuit moris fuiſſe, ut Merulæ aduſto pectore ponerentur in menſa.

tum pectore aduſto,
Vidimus & Merulas poni, & ſine clune Palumbes.

Caro, juxta SCHWENCKFELDT calefacit & ſiccat, durior eſt, concoctionis tardæ, parum alit & ſuccum procreat melancholicum: alvum ſiſtit. Prodeſt ſcabie vexatis aſſata, cum myrtillis adverſus dyſenteriam eſtur. Qui hæmorrhoidibus & cancroſis ulceribus vexantur ab earum eſu abſtineant. Oleum vetus, in quo Merula diſcocta eſt, donec diſſolvatur, innunctum, opiſthotonon & iſchiadem curat, ut refert KYRANIDES.

MERVLARVM FIMVS, ſi tritus ſit & cum aceto diſtemperatus morpheæque nigræ ſuperponatur eam extirpat, & lentiginem etiam eliminat.

STERCUS PAVONIS.

Eſt ſtercus Pavonis utriusque ſexus variis inſerviens uſibus imprimis cephalicis.

Ejus

Avis iſta a Plinio Pavo & Pavus, ab Ovidio vopatur Junonia Volucri, s quia Junoni ab Ethnicis ob pulchritudinem dicata, ſicuti columba ob ſalacitatem Veneri, a Græcis μηδικὸν ὄρνεον καὶ ταώς. Martialem illum vocat alitem eximiam, cui cauda ſuperba. Dicitur quoque Avis Medica, Avis Persica περσικὸν ὄρνεον. AUSONIUS marem appellat Pavum, fœminam Pavam. Nomen a voce, quam edit, accepiſſe Varroni videtur. Vocabulum Germanicum Pfau magis exprimit vocem ejus, quam latinum.

Avis eſt admirabilis, omnium pulcherrima & pulchritudinis ſtudioſa. JONSTONUS hanc maris & fœminæ deſcriptionem exhibet. Mas capite collo & pectoris initio intenſe cærulei, ſeu ſapphirini coloris eſt. Caput pro corporis proportione habet exiguum & quodammodo ſerpentinum, maculis duobus oblongis candidis, quarum una oculos ſuperequitat, altera brevior at longe craſſior ſubjacet, ornatum. Apicem in vertice è nudis quodammodo ſcapis tenerrimis, virideſcentibus, in ſummitate ejusdem coloris liliorum flores ferentibus conſpicuum. Roſtrum candicat & inſigniter hiat. Collum eſt longiuſculum, tenue & exile. Dorſum ex albo cinereum, maculis atris transverſalibus conſperſum. Cauda in duas quaſi dividitur. Non longioribus quæ ex dorſo prope podicem oriuntur pennis, in rotam extenſis minores quædam eæque fuſcæ non rigent, ſed ut in reliquis avibus extenſæ conſpiciuntur. Oculi τοῦ πτεροῦ quatuor circulis, aureo, caſtaneo, viridi & ſapphirino conſtant & varios ad ſolem obverſæ colores jaciunt. In fœmina pauca colorum perſpicitur varietas. Alæ totæ, dorſum, venter, coxæ, ac pedes coloris ſunt fuſci ad cinereum vergentis. Capitis vertex & apex ejusdem coloris, in vertice tamen aliquot maculæ exiguæ, veluti puncta vireſcentia interſeruntur &c.

Pavo, ut Van Den BOSSCHE loquitur, Junoni Deæ præci-

pue ab antiquis conſecratus, pulcherrima pennarum venuſtate conſpicuus, tot oculis fulgentibus, tot plumis eximie ſplendentibus illuſtratus ſuperbit, & quaſi ambitioſus conſpectus, toto corpore in pompam compoſito, mira gravitate deambulans erecto ac dein flexo collo progreditur, criſtam in ſublime erectam geſtat admirabili pulchritudine ſpectabilem; atque ideo videri gaudet, & omnium in ſe oculos convertit, venuſtate caudæ, quam ſurrectam latiſſime explicat, inſtar gemmantis rotæ, ad verſo potiſſimum ſole; ita enim fulgentius radiat; Hinc LUCRETIUS

Caudaque Pavonis magna cum luce repletur,
Conſimili mutat ratione, obverſa colores:
Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scire licet, ſine eo, fieri non poſſe putandum;

ſed cum in pedes oculos dejicit, verecundatur illos deſpicere præ deformitate, & continuo explicatam caudam contrahere & faſtum deponere incipit, orbem illum ſpecioſum deſtruit; & quaſi conquereretur de natura, quæ corpori formoſiſſimo tam deformes ſubdidit pedes, vociferatur & triſte quid perſonat; unde vulgare dictum.

Angelus in penna, pede latro, voce gehenna.

Datur & Pavo totus albus, Pavo candidus, ein weiſſer Pfau/ qui ex ovis etiam apud nos provenit.

Mas, ut dictum fuit, major eſt & ſpecióſior. Fœmina minor, caretque illis pennarum oculis, quibus mas eſt ornatus. Uterque tamen ſexus criſtam, ſive coronam gerit in capite. Sed mas pulchriorem.

Poeta MARTIALIS vicem pavonum dolet, quod cum avis ſit formoſiſſima, præſertim quando gemmantes explicat alas neci tamen tradatur. Traditorem vocat durum, coquum vero qui illum jugulat, ſævum. Verſus ita ſe habent

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc ſævo tradere, dure, coco?

Erant priſcis ſeculis Pavones Europæ incogniti. Poſtea tamen ob

cor-

corporis venuſtátem, ex India, Africa, Media, Samo &c. in varias Europæ plagas importati, ut loquitur SEBIZIUS.

Coëunt pavones vere, & partus brevi a coitu agitur. Pariunt maxime a trimatu, & colores pennarum recipiunt varios. Excludunt diebus tricenis aut paulo tardius. Semel tantummodo anno pariunt ova duodecim aut pauciora: nec continuatis diebus, ſed binis ternisve interpoſitis. Primiparæ octona maxime edunt; irrita & ſubventanea illa pavones etiam pariunt.

Columella ſcribit ineſſe pavoni gallinaceam ſalacitatem, atque idcirco quinque deſiderare fœminas. Namſi unam vel alteram fœtam ſæpius compreſſit, vix dum concepta in alvo vitiat ova, nec ad partum perduci ſinit; quoniam immatura genitalibus locis excidunt. Quinimo eo ſalacitatis quandoque mas procedit, ut niſi adſit alia quacum coëat, incubantem fœminam invadat ac ova frangat. ARISTOTELIS dictum de coëundi tempore ſic intelligendum, non quod vere tantum pavones coëant, ſed quod tunc magis in Venerem ruant. Nam ter quotannis fœtus edere rei ruſticæ ſcriptores aſſeverant. Id quod de iis accipiendum videtur, quæ non incubant. Reliquæ, quæ totum tempus aut excludendis, aut educandis pullis conſumunt, toties parere non poſſunt. Nam & a Venere Gallinarum more tunc temporis ſibi temperant. Quæ non incubant, coëunt & nova pariunt ova. Quæ ter in anno pariunt, earum primus partus ſecundum COLUMELLAM quinque fere eſt ovorum: ſecundus quatuor, tertius trium aut duorum: ARISTOTELIS tempore uſitatum erat mulierculis, ut ova pavonia non pavonibus ſed Gallinis ſupponerent: quoniam mas, dum fœmina incubat, advolans ea frangit. Ratio forſan eſt ex mente SEBIZII quia incubantis fœminæ deſiderio flagrat: vel quia ipſe quoque incubare cupit, idque ob amorem, quo erga futuram ſobolem eſt incenſus: aut quoniam natura novit fœminam non continue incubare: idcirco ne ova refrigerata reddantur ſterilia, ipſe quoque incubationis officio fungi conatur.

ARISTOTELES & cum eo PLINIUS vitam Pavonum ad annos 25. ſe extendere ſcribunt. Amittunt pennas cum primis arborum frondibus. Recipiunt eas cum germine earundem. PLINIUS dicit, pavones cauda annuis vicibus amiſſa cum foliis arborum, do-

 nec

nec renaſcatur iterum cum flore, pudibundos ac mœrentes quærere latebras. Volatu parum valent, nec in altum aërem ſeſe elevant; cauſa forſan eſt longitudo caudæ, alarum brevitas & corporis gravitas.

Sunt Aves ornatus & polituræ ſtudioſæ, ſuperbæ itidem, turgidæ, elatæ & gloriæ laudisque cupidæ. Laudatæ gemmantes expandunt colores adverſo maxime ſole, inquit PLINIUS, quia ſic radiant fulgentius. Simul umbræ quosdam repercuſſus cæteris, qui in opaco micant clarius conchata quærunt cauda, omnesque in acervum contrahunt pennarum, quos ſpectari gaudent oculos. Ut autem admiratores & commendatores ſuos mares agnoſcunt ac propterea iis præſentibus auricomas caudæ pennas expandunt, & erectas, ceu pratum floribus pictum oſtentant, ita irriſores & contemptores odio habent, hocque nomine caudam demittunt, recondunt, nec amplius conſpiciendam præbent. Hinc illud OVIDII

Laudatas homini volucris Iunonia pennas,
Explicat & forma multa ſuperbit Avis.

Fœminæ miræ naturæ providentia, ova, quæ fœturæ ſunt, celant, ne a maribus cernantur. Norunt enim mares ea ob nimium incubandi deſiderium fracturos.

Pavo pupillare dicitur, unde verſus:

Pupillat Pavo, trinſat Hirundo vaga.

Malevolum & invidum dicunt Pavonem, quia tegit excrementa ſua, ne cedant in hominum uſum. Sed leve admodum, ut recte dicit SPERLINGIUS, argumentum hoc eſt, & vitium quærit ubi poſuit laudem natura prudens. Pavo munditiei ſtudioſus ac ſordium hoſtis eſt. Hinc excrementa tegit, ne apertæ exponantur luci. Idem feles, idem canes agere cernimus, absque invidiæ ſuſpicione.

Omnium ferme ſententia eſt pedum deformitatem terrere hanc avem, ut quoties conſpiciat eos, contriſtetur & præ dolore vociferetur. CARDANUS ait, ſentit Pavo pulchritudinem ſuam, exclamat-

matque dum pedes intuetur deformitatem eorum aſpernatus. Sed reſpondet CARDANO SCALIGER. De Pavone noſtro plebeja narras; conſpectis cruribus, quod ea turpia ſint vociferari. Quis hoc tibi Cardane palam fecit? quoties ipſe ſibi crura obtuetur, quare non ſemper, ſed aliquando luget inviſum a natura decus? quoties evenit ei ut paſcatur, nec crura conſpiciat ſua. Ubi figat veſtigium, neſcit: niſi oculis captet locum, in quo ponat pedem. At eo ſpectaculo cum ſit a primis aſſuetus annis, quid novi patitur in veteri memoria. Anicularum fabellæ hæ ſunt, Cardane, a quibus modo aliquid dicas, nusquam te abſtinere video. Quid vero habeant ejus pedes obſcœnitatis, haud equidem ſcio. Pedes ſcilicet cinerei ſunt, maculis nigris conſperſi & calcaribus armati.

Noctu expergefactus Pavo vociferatur. Perſuadent ſibi multi, clamorem iſtum triſtitiæ ſignum eſſe. In tenebris enim conſtitutum Pavonem pulchritudinem ſuam cernere non poſſe eamque perdidiſſe exiſtimare. Dicendum potius tempeſtatis mutationem clamore ſuo indicare alitem prudentem. Pluviam voce plus ſolito clamoſa prænunciat. MIZALDUS refert, quando pavones noctu vocem ingeminant efferatam ac clangoſam, pluviam jamjam imminentem ſignificari.

PARACELSUS mortem alicujus in ea domo præſagire tradit, ſi pavo extra tempus cantillet, ſed fabula eſt.

Mutuam inter ſe amicitiam colunt pavones & columbæ recenſente PLINIO. Traditur a quibusdam, pavones terrere ſerpentes & venenata pellere animantia, quæ etiam audita ſolummodo illorum voce ſponte fugiant. Qui eos venenum detegere, defoſſum eruere referunt, fidem ſuam exſolvant, inquit JONSTONUS.

Laborant quandoque ut Gallinaceum genus pituita. Amittunt caudarum pennas, in quibus decor eorum atque venuſtas conſiſtit.

STURNUS

Eſus Pavonum priſcis Romanis fuit incognitus. Illis enim præter pennas in Pavone nihil placebat, ut OVIDIUS in Faſtis refert. Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit HORTENSIUS aditiali cœna ſacerdotii: Erat autem

aditialis , vel , ut alii legunt adjicialis , cœna lauta , opipara , adipalis , pontificialis , ab adjiciendo FESTI judicio dicta , in qua multa adjiciebantur fercula extra ordinem & inſtituebatur , ut MACROBIUS notat, inaugurandi gratia, aut in publica feſtave lætitia. Sunt autem Pavones ſplendida potius & magnifica, quam utilia & ſalubria ſumptuoſorum conviviorum edulia. Caro namque eorum ſecundum GALENUM aliosq; dura eſt,fibroſa & concoctu difficilis. Mitior tamen juniorum. Solent apud nos,inquit SEBIZIUS, in feſtivitatibus nuptialibus apponi, & quidem, tempore Sebiziano,ſtantes, ut vivi videantur. Abſtrahitur enim cutis univerſa, una cum pennis , deinde pavo aſſatur & cinamomi fruſtulis ac caryophyllis configitur , tum rurſus cute ſua induitur roſtro, pedibus inauratis. Ajunt quidam,inter quos KIRANIDES,carnes pavonum non ſolum non putreſcere ac fœtere , ſed tanquam aromatibus conditas durare in perpetuum. Proferunt quoque authoritatem & teſtimonium AUGUSTINI, qui durabilitatem carnis pavoniæ vehementer admiratur. Aſſerit autem, ſibi apud Chartaginem coctum appoſitum fuiſſe pavonem. Juſſiſſe vero ſe, ut tantum de carnoſa pectoris parte aſſervaretur, quantum placeret & videretur. Hoc cum poſt tantum dierum ſpatium, quando alia caro quæcunque cocta putreſceret , denuo eſſet oblatum , nihil ſuum offendiſſe olfactum. Reſiduum poſt dies amplius quam 30. denuo fuiſſe productum & ſimiliter nullum fœtoris ac putredinis indicium præbuiſſe. Fuiſſe quoque idem poſt annum oblatum , ſed deprehenſum itidem a putredine alienum: niſi quod aliquantulum corpulentiæ ſiccioris & contractioris fuerit. ULYSSES ALDROVANDUS ſcribit fuiſſe ſibi datum fruſtulum Pavoniæ carnis coctæ anno 1598. quæ cocta fuerit anno 1592. & gratiam tamen odoris non amiſerit , ſed proxime acceſ-

ſerit

ſerit ad fœniculum. Fuiſſe tamen quibusdam foraminibus cribri in modum pervium, ex quibus , ſi leviter percuteretur caro, pulvis exiverit, non ſecus atque ex carioſis lignis & arboribus exire ſolet, cum quatiuntur. Putamus, inquit SEBIZIUS perennitatis iſtius cauſam eſſe conſtitutionem carnis Pavonum ſolidam, ſiccam, denſam, uno verbo terrenam. Eſt enim priſcorum jam judicio dura & fibroſa, ac ob id δύσπεπτος melancholicique humoris genetrix. Siccior autem evadit aſſatione & quicquid in ea eſt excrementitiæ & aquoſæ humiditatis, id aſſatione exhalat. Nam & aliæ carnes, quæ aſſantur , ob eandem cauſam longius durant, quam elixæ. Imo omnia in univerſum corpora, quæ ſicca, ſolida , denſa & dura , putredini reſiſtunt diutiusque incorupta manent. Cæterum uti carnes pavonum hanc habere prærogativam præ carnibus aliarum avium non diffitemur, ita plane ἀσήπτους eſſe pernegamus. Quod enim computreſcere poſſit ex Aldrovando eſt auditum. Carioſa enim tandem facta eſt caro pavonis ſibi dono data & foraminulenta. Propterea concuſſa pulverem ex ſe fundebat carioſum.

CARO alias PAVONIA laudatur contra vertiginem. Jus pavonis pleuriticis ſpecifice fertur prodeſſe , præcipue ſi ſit pingue.

LINGUA comeſta aut exſiccata & in pulverem redacta laudatur contra epilepticos inſultus.

PAVONIS FEL magnæ virtutis eſſe affirmat DIOSCORIDES ad effuſiones oculorum & ad caliginem , aſperitatemque palpebrarum valere dicit.

ADEPS Pavonis cum rutæ ſucco & melle , affectus colicos ex humore frigido ortos ſanare dicitur.

Fumus ex pavonum PENNIS excitatus, ſi oculis excipiatur,

piatur, lippis & rubentibus mederi creditur. Adhibentur etiam hæ pennæ in ſuffitu adverſus ſuffocationem uterinam. Pennæ, quæ ſpeculum referunt, inciſæ & in vehiculo appropriato aſſumptæ ſingulariter conferre dicuntur contra eryſipelata, & inflammationem mammarum juxta vulgum. Ratio eſt, quod habeat ſignaturam mammæ pendentis. Dantur ad aliquot cuſpides.

OVA PAVONUM in cibum non multum recipiuntur. Exhibentur tamen ad curandam arthritidem vagam: ad duritiem cocta & cum aceto mixta ad ſcabiem ferinam laudantur.

Ex Pavone autem imprimis in uſu eſt ſtercus, quod, dicente ETTMULLERO, revera egregium experimentum eſt contra vertiginem & hinc epilepſiam juniorum. Uſus eſt ut ʒj. tam in forma pulveris cum pauco pulvere caryophyllorum & ſacchari miſceatur, vel etiam in forma liquida in hauſtu vini maceretur, exprimatur & ita hauriatur. Alii recipiunt ſtercus Pavonis ad man. j. (obſervando differentiam ſexus, ita ut ſtercus pavonis maris pro cura epilepſiæ & vertiginis in mare, ſtercus fœmellæ, ſi ſit curanda fœmella; id quod tamen non eſt de neceſſitate. Macerant in Vini ſufficienti quantitate, colant per linteum, & vinum transcolatum in tres partes æquales dividunt: Primam doſin propinant poſt paroxyſmum vertiginis & ante novilunium, expectando ſudorem, ſecundam doſin poſtridie, tertiam imminente novilunio, ita ut ſubſequatur bene contecto ægro ſudor Fuit experimentum Comitiſſæ a WALDECK. Alii & quidem quædam matrona ſic ſanavit quosdam epilepticos. Accepit acetum florum tunicæ, & huic feces pavonis recentiſſimas infudit, poſtea per linteum trajecit, ſicque novem continuis diebus mane propinavit. Fimus

mus pavonis fervorem podagræ quoque dicitur mitigare. Additur quoque clyſteribus ad ℥ß. vel ℥j. egregie ſtimulat ſimulque ſpecifice prodeſt, ſi oriatur epilepſia per conſenſum partium inferiorum, ſi habeat nidum in pancreate vel meſenterio vel aliis inferioribus partibus.

Oſſa Pavonis exuſta pulveriſata ex aceto Lepram & Lentigines abſtergunt.

Cauda Pavonis ad Muſcaria colligitur.

STERCUS STURNI.

Eſt avis iſtius communis & ſat frequentis Sturni dictæ excrementum.

Quidam

STURNUS, Ψάρ, Ψάρος, παρὰ τὸ ψαίρειν dictus, ut monet EUSTATHIUS, quod terram pedibus radat, & obvia quæque verrat, dum alimentum ſibi quærit, appellatur quoque βύπλα, ζύτθας, γλόμις. Germanice nuncupatur Staar/ Starn/ Gallice ETOURNEAU.

Avis eſt Merulæ fere magnitudine variis coloribus picta utplurimum nigra cum ſplendore inſigni, ut etiam in pectore, ventre, alis & prope oculos videſcat, emicante circa collum præcipue cuprea rubedine, maculis albis diſtincta, quæ aliquando rubeſcunt nonnunquam flavent. Alarum pennæ extremitatibus luteæ ſunt. Cauda brevis & nigra, roſtrum robuſtum, longiuſculum acutum, luteum, in fine fuſcum. Pedes ſubrubentes, ungues nigri.

Unius generis eſt apud ARISTOTELEM isque vulgaris, quando ait avem eſſe nigram, albis maculis diſtinctam, & magnitudine merulæ æqualem. ALDROVANDUS præter vulgarem, qui ſexu diſcretus, depingit etiam Sturnum album, λευκοκέφαλον, & cinereum; quibus addit SCHWENCKFELDT, Sturnum varium, cui magnitudo vulgaris Sturni, color roſtri medii caput verſus, verticis, colli, pennarum remigum, caudæ niger: cætera candidus totus.

Canori ſunt valde Sturni. Author PHILOMELÆ dicit

Dum Turdus trutilat, Sturnus tunc pinſitat ore
Sed quod mane canunt, veſpere non recolunt.

Quorumvis animalium, ut pecudum, Boum, Caprarum, Suum, Equorum, Aſini, Galli, Gallinarum, Orioli, Fringillæ, Pari &c. voces & concentus imitantur, nemine illis præceptoris aut inſtitutoris officium præſtante. Linguam habent latam & perfecte loqui diſcunt, præſertim ſi frenulum linguæ magis ſolvatur. Juxta PLINIUM habebant Cæſares juvenes Sturnum, Luſcinias, græco atque latino ſermone dociles; præterea meditantes in diem & aſſidue nova loquentes, longiore etiam contextu. Docentur ſecreto, & ubi nulla alia vox miſceatur, aſſidente, qui crebro dicat ea, quæ condita velit, ac cibis blandiente. Summo mane maxime ſunt obſtreperi, nocte ſilent.

Sturni ſunt voraces admodum & propterea alvum ſæpe multumque exonerant. Delectantur tamen potiſſimum baccis v. g. acinis uvarum & ſambuci. Gaudent quoque olivis. Invadunt agros, in quibus milium & panicum ſatum. Capti paſcuntur oryza, præſertim in Italia, ubi oryza abundat. Veſcuntur quoque mica panis & carnibus domi educati. Paſcuntur porro Limacibus nudis & Lumbricis. Cicutam innoxie devorant. Æſtate degunt in ſylvis; hyeme demigrant in loca finitima aprica v. gr. montium receſſus. PLINIUS ait abire in vicina ut merulas & turdos. Hinc ſcribit ARISTOTELES, hyeme eos latere, ut turtures, turdos, merulas, alaudas, hirundines, ciconias &c. Verſantur & in arenis & pratis aquoſis, & cum grege vaccarum idque propter paſcua. Nam παμφάγοι vel πολλαφάγοι ſunt, ita ut etiam vermiculos deglutiant. Verum non ſemper loca hæc frequentant. Graſſantur namque etiam per agros; & inhabitant plerumque turres, altioraque ædificiorum culmina. Propterea tectis utplurimum inſident. Nidulantur eodem pene modo, quo Paſſeres: nimirum vel in latibulis tectorum; vel in domuum turriumque foraminibus: vel in vaſis fictilibus, quæ multis in locis parietibus ædium affiguntur in fundo pertuſa. Volant catervatim, cum a nobis diſcedunt. Gregales viſuntur, ut tuti ſint a rapacibus avibus. Congregantur potiſſimum circa veſperam & tanta

tanta multitudine atque impetu quandoque volant, ut nubem facere & tempeſtatis modo ſonare videantur. Dum volant quodam pilæ orbe circumaguntur omnibus in medium agmen tendentibus.

Nidum congerunt ex muſco, bis in anno pariunt, quinque ut plurimum nonnunquam ſex pro vice excludunt pullos Majo & Junio.

Capiuntur retibus, allectricibus mutis terræ appoſitis, dum a volatu cum impetu prorumpunt & cum noctu in paluſtribus ſuper arundines pernoctant. Qui pullos e nidis auferunt, in ſingulis ſingulos relinquere pro more habent, ut anno ſequenti libentius redeant.

TURDUS

Quidam hanc avim prorſus averſantur: tum quod Cicuta veſcatur herba venenata; tum quod ex cadaveribus cibum capiat, tum quod caro ejus dura ſit, ægre coctilis & viroſum quid ſpiret. Multi tamen Sturnos magnifaciunt, idque temporibus duobus: uno vernali, quando ſunt novelli. Tunc enim præparati, ut Turdi, bene ſapiunt & ſunt delicati, ut docet SEBIZIUS. Alreo vindemiali, quo uvis ſunt ſaginati. Has enim quidam mirifice amant; & in vineas gregatim ſe inſinuant magno cum poſſeſſorum diſpendio. Præferunt quoque monticolas, iis qui in locis paludoſis & campeſtribus degunt. Pulli præſertim dicuntur eſſe meliores ſi ſtatim poſt capturam capita decerpantur. Juxta SCHWENCKFELDT Caro Sturnorum calida eſt & ſicca, palato inſuavis, craſſi ſucci & alimenti illaudabilis. Succum gignit melancholicum & vitioſum, ob id Melancholicis Bilioſis & ab hæmorrhoidibus divexatis inutilis. GALENUS in Calculi renum vitio tanquam cibum tenuis alimenti approbat. KIRANIDES author eſt Sturnos in cibo ſumptos juvare omnes, qui mortiferum aliquid biberunt, & ſi quis prægustaverit omnino non lædi.

FIMUS faciem exornat, ad alphos, pannos, impetiginem & morpheam a veteribus commendatur.

STERCUS TURDI.

Eſt excrementum Turdorum.

CAPRO

TURDUS a tarditate dictus putatur ISIDORO, alii a ſurditate dictum putant hinc adagium ſurdior turdo. κιχλη, κίχλα, ein Krammet-Vogel/ Wachholder-Vogel/ Wachholter-Zimmer/ GRIVE, TOURD.

ARISTOTELES tria Turdorum genera proponit. Unum ἰξοφόρον alii ἰξοφάγον dicunt, viſcivorum ſive viſcedulum, quoniam non alia re alitur, quam Viſci baccis & reſina. Vocatur etiam TURDUS MAXIMUS, TURDELA, ein Schnerre/ Schnarre/ Miſtel-Zimmer/ Miſtler. Magnitudine Picam æquat. Alterum τριχὰς, quod vocem reddit acutam & magnitudine reſpondet merulæ. TURDUS MEDIUS etiam dicitur, TURDUS PILARIS etiam audit. SCALIGER GAZAM carpit, quod hoc genus pilare dixerit, cum a ſtridore ita vocetur. Turdus major quoque nominatur, ein Groß-Zimmer/ Blau Zimmer/ Krammet-Vogel. Tertium ἰλιὰς ILIACUM, TURDUS ILLAS, TURDUS ILIACUS, TURDELA MONTANA, TURDELA SYLVESTRIS, TURDULUS BOHEMIUS, WINSELA GESNERI. Ein Klein-Zimmer/ ein Heide-Droſſel/ ein Heide-Ziemer/ ein Pfeiff-Droſſel/ Wein-Droſſel/ Roth-Droſſel/ Winſel-Sixerle. Hiſce turdorum generibus ALDROVANDUS duo alia addit, nempe TURDUM SIMPLICITER DICTUM, TURDUM MUSICUM, TURDUM DOMESTICUM, TURDELAM DOMESTICAM, TURDUM MINOREM ALTERUM, TURDUM VISCIVORUM MINOREM, germanice, Troſtel/ Troßel/ Weiß-Troßel/ Sang-Droſſel/ Zier-Droſſel. Et denique turdum λευκοκέφαλον, cui vertex capitis candidus eſt.

TURDUS MAXIMUS eſt primarius in ſuo genere & reliquis major, paulo infra Picam. Capite alis & ventre fuſcus, plumis tamen juxta caudam aliquid flavi admixtum apparet. Cutim infra roſtrum pal-

lidus & ſubruber color mixti tingunt, pedes digitique flaveſcunt, præſertim poſteriore nervo tibiarum: ungues & roſtrum nigricant. Collum parte prona venterque totus nigris punctis in albicantibus plumis & alicubi flavis variant. Plumæ ſub alis candicant. In ſylvis vivit, Viſci aliarumque Arborum & Fruticum baccas devorat, ut Juniperi, Sorbi Alpinæ &c.

TURDUS MEDIUS ſeu PILARIS, major eſt paulo Merula, roſtrum ei ſubflavum, rectum in extremo nigricans, vertex capitis, collum pronum, cum dorſi extremitate dilute ſunt cærulea, ſed nigris punctulis aſpera. Dorſum charopum ſeu rufum obſcure & per medias pennulas nigricans. Collum ſupinum & pectus varia ſunt. Nam flaveſcentes in eis plumas nigræ diſtinguunt maculæ; aliæ interiores albæ ſunt; plumæ ventris ſimiliter albæ, ungues digitique pedum fuſci; pennæ alarum partim nigricant, partim ruſo colore, ut dorſi minores præſertim & breviores apparent. Macula utrinque ad oculum roſtrum verſus nigra, plumulis ceu pilis rigentibus nonnullis. Cauda longa nigra. Aliunde advolat. Nidos enim, ubi ova poſuerit, aut ovorum fragmina nusquam reperias. Tardius apparet viſcivora. Veſcitur non ſolum bacculis juniperi, ſorbi, verum etiam micis panis & carne, ſi in hypocauſtis detineatur. Suaviter canit. Agrippina conjux Claudii Cæſaris turdum habuit imitantem ſermones hominum ut PLINIUS notat.

TURDUS MINOR aut ILIACUS. Turdi genus minimum, Turdi Muſici forma & magnitudine ſimilis. Totus ut vulgaris Turdela fuſcus per dorſum. Pectus varium flavum & candicans nigris maculis refertum: medius & infimus venter candicant utrinque, ſub alis ex rubro flaveſcit. Maculæ ſeu lineæ ſubluteæ utrinque juxta oculos binæ, a roſtro collum verſus extenſæ. Exotica eſt avis, advolat hyeme cum turdis; victitat plerumque gregatim & inter humiliores ſylvas, juniperos & ſorbos alpinas degit.

TURDUS SIMPLICITER DICTUS minor eſt turdo Sturni magnitudine varius & maculoſus. Tota pars ſupina fuſca. Alæ ex fuſco rufæ, maculis ſubflavis pictæ. Pectus ex ſubflavo & ruſo colore commixtis in unum adornatur; ventrem album & latera puncta nigra inſigniunt. Roſtrum rectum nigrum. Tibiæ ex fuſco pallent. Per totum annum apparet. In ſylvis nidificat. Nidum in ramis arbo-

rum aut fruticum fingit ex luto aut lignorum carie & muſco. Aprili & Majo ovis incubat, parit quatuor plerumque, ſimilem cum turdis reliquis cibum quærit, vermiculis inſuper & ſcarabæis fruitur. Muſica eſt avis canens vere, vocis multiplicis, ob id a multis cantus gratia in caveis alitur, pane, lacte, carnibus & farina hordeacea lacte mixta.

Dulce palam reſonat quam dicunt nomine Droſtam
Sed fugiente die nempe quieta ſilet.

Laqueis ex pilis equinis candidis ſeu nigris, appenſis Sorbi Alpinæ bacculis, decipiuntur & jugulantur.

Sunt Turdi nullibi non obvii. In Germania hyeme maxime cernuntur, ut PLINIUS habet. Viſuntur tamen etiam æſtate. Advolant præcipue circa æquinoctium autumnale, & revoluto æquinoctio verno. Manent menſibus tribus, quemadmodum & turtures. Unde trimeſtres a PLINIO cognominati. Veſcuntur baccis Juniperi, Myrthi, Lentiſci, Sambuci, Hederæ: quo nomine inter bacciferas recenſentur aves. Comedunt & uvas & ceraſa & olivas, Inſidiantur quoque inſectis & lumbricis. Primum genus baccis viſci delectatur. Cum acino viſci devorent crediderunt PLINIUS & THEOPHRASTUS ex ſemine una cum excrementis in arborum ramos conjecto viſcum generari. Hinc tritum natum proverbium, Turdum ſibi ipſi exitium ſive mortem cacare. Concoquere quidem acinos quoad pulpam, non vero quoad ſemen. Hoc enim deponere in arborum ramos in quibus quieſcere conſuevit. Quid autem de hac ſententia ſit ſtaſtuendum traditum fuit tomo primo ubi Viſcus quernus exponitur.

Turdis, quorum vox eſt trutillare, ut PHILOMELÆ author inquit, συμπάθεια eſt cum turture, ἀντιπάθεια cum noctua.

ANSER

CARO Turdorum eſt ſapidiſſima. Sapit & olet baccas juniperi, quas avide ingerunt, & ab iis etiam nomen mu-

mutuatæ ſunt. Εὔχυμος eſt & alimentum ſatis firmum præbet. Autumabat olim Italus quidam Medicus, velut MATTHIOLUS refert, turdum cibum eſſe craſſum, melancholicum & concoctu difficilem ſed deceptum eſſe ex GALENO probat eduliumque eſſe inculpatum ex pabulo, quo turdi ſe ſuſtentant, ex loco quem inhabitant, & ex aëre quem inſpirant, demonſtrat. Caro itaque hæc ſuavis, laudabilis ſucci, prodeſt artheticis, paralyticis, ſtomachicis aliisque ex frigida ſic dicta cauſa ſubortis morbis. Suggerit enim nutrimentum calidum & ſiccum. Dyſentericis & calculoſis commendatur, urinas prolicit & alvum movet. Ab eorum uſu abſtinendos ſuadet ARNOLDUS eos, quibus hæmorrhoides fluere ſolent. Veteres inter maximas delicias Turdos reponebant. MARTIALIS ita canit

Inter aves Turdus ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Et illo antiquior HORATIUS dicit

Nil melius Turdo, Vulva nil dulcius ampla.

Multi nec indocti, ut NONNUS inquit, ſæpe mirati ſunt, veterum de Turdis judicium, cum illorum palato non adeo arrideant, nec delicatos experiantur, ut primum locum inter aves occupare debeant. Sed ſi quis exactius conſiderare voluerit, qualem operam veteres impenderint, ut illos ſaginarent, non omnino ſiniſtre illos judicaſſe dicet: nam innumera circa Turdos ſtudia in quotidianum cibum, illis offas cum ficubus & farina, alias craſſiore, alias tenuiore ſubactas nec non milium cum aqua copioſa & clara præbebant, quibus aves pinguiores & ſuaviores redderentur:

noſtra

noſtra tempeſtate cum illorum ſaginandorum nemo curam gerat, ſed quales capiuntur in culinam mittunt, qui cum plerumque macri ſunt, non ſunt magno in honore, niſi vindemiæ tempore. Romani olim amicis miſſitabant Turdos in coronæ figuram conſertos. Hinc MARTIALIS

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite Nardo,
At mihi de Turdis plexa corona placet

& rurſus

Illic coronam pinguibus gravem Turdis
Videres.

Juxta SCHWENCKFELDT, Turdus maximus minoris eſt pretii, nec adeo acceptus in cibo. Sunt tamen qui eo quoque multum delectantur. Turdus medius ſaporis gratia præfertur & in deliciis habetur, Turdus minor ſaporis eſt nonnihil amariuſculi, Turdus tandem Muſicus a multis omnibus fere præfertur, & ob ſuavitatem palato arridet.

INASSATVM TVRDVM cum myrti baccis dyſenteriis prodeſſe ſcribit PLINIVS. A quibusdam pro cibo laudatur tempore peſtilentiæ Turdus biduo in aceto maceratus.

TVRDORVM STERCVS conferre morphææ & impetigini ſcribit AVICENNA.

STERCUS

STERCUS ANSERIS FERI.

Eſt Anſeris feri ſylveſtris, indomiti & immanſueti fimus.

CARNEM

ANSER FERUS ſive SYLVESTRIS, ANSER CINEREUS MAJOR, ein wilde Ganß/ ein Schnee-Ganß nominatur, quod ſub initium hyemis, imminentibus jam nivibus apud nos migrare & alia loca petere ſoleat. OYE SAUVAGE.

Differentiæ horum Anſerum ſunt variæ, ſequentium facere mentionem placet.

ANSER FERUS ſive CINEREUS MAJOR, minor eſt domeſtico anſere, cui fere ſimilis. Longus dodrantes circiter 4. latus 8. Roſtrum nigrum, utrimque per medium croceum, apice atro ſplendente. Crura pedesque toti cum membranis ex totis rubent: color capitis collique fuſcus ſupra magis nigricans & nonnihil rufi habens, inferius plus cinerei. Venter totus, præter inferiorem partem, uropygium & alas verſus, quæ pennis conſtat albiſſimis, cinereus: dorſum & alæ nigricant, admixto obſcuro rubore præſertim in minoribus & ſuperioribus pennis. Margines in nonnullis mediis maxime albicant, in aliis cinerei: majores pennæ obſcuræ cæruleæ: cauda brevis ex rufo fuſca, apicibus rubentibus.

ANSER GRANDINIS, ANSER NIVIS, ANSER HYBERNUS, ein Schnee-Ganß/ Hagel-Ganß / totus albus eſt præter alarum extremas quatuor vel quinque remiges pennas, quæ nigræ ſunt.

Anſeres feri ad lacus & piſcinas majores frequentes reperiuntur, æſtate nuſpiam in conſpectum veniunt. Hyeme ingruente ſublimi volatu gregatim migrant. Catervatim adveniunt hæ migratoriæ aves & catervatim recedunt. Anſeres indomiti ſunt maximeque volaces; aëris alta petunt volantque extento collo ut Grues, ordine literato: vix a volatu ceſſant, niſi neceſſitate cibi. Silentes migrant, niſi turbatus ſit ordo; tum enim clamant, defeſſos ac procul ſequen-

tes expectant & clangore vocant, atque ad celeriorem volatum hortantur.

Coëunt poſt hyemale ſolſtitium dein initio veris pariunt ova ad quindecim usque. Mira horum anſerum ferorum copia eſt in plagis mundi ſeptentrionalibus; præſertim tempore cubationis, quo a meridionalibus redeunt regionibus. Pugnaces ſunt & eos habent hoſtes, quos domeſtici, ſed majus ab iis ipſis imminet periculum, quia magis vagantur & oberrant.

CARNEM ANSERIS FERI quod attinet, cenſetur illa domeſtici ſuperior atque ſalubrior. Feri caro minus eſt excrementitia ob continuam exercitationem: concoctu etiam facilior eſt & minus dura, præſertim junioris; aſſantur aut panificiis involvuntur.

LINGUA aſſata calculoſis commendatur.

FIMUS Lethargicos & utero ſuffocatas reficit.

UNGUES ACCIPITRIS.

Sunt accipitris ungues adunci plus minus nigricantes.

Quamvis

ACCIPITER ab accipiendis & rapiendis avibus nomen habet, alii dicunt, quod accipitur dicatur a rapacitate, ſeu quod ter ſit acceptus. SACRA quoque ALES a quibusdam nominatur. ἱέραξ ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι ῥᾷον a celeritate motus, ἱερὸς ὄρνις, γεράκι. Sunt qui Accipitrem nuncupari putant, quia olim in auſpiciis fauſtum omen præbebat, & proſperum rei eventum præſagio promittebat. MARTIALIS ex illorum parte ſtat, qui ab accipiendis avibus derivant, inquiens

Prædo fuit volucrum, famulus nunc Aucupis idem,
Decidit, & captas, non ſibi, moeret aves.

Germanice appellatur ein Habich/ ein Habicht/ Gallice un Eprevier.

Acci-

Accipiter eſt nomen commune & multa avium prædæ inhiantium genera, ut Buteonem, falcones, Niſum &c. complectitur; ſequentium ex SCHWENCKFELDTO mentionem faciamus,

ACCIPITER STELLARIS, ἱέραξ ἀστερίας, ὑποτριόρχης, ACCIPITER ſimpliciter, ASTUR, ein Habicht/ groſſer Habicht. Avis elegans valde, corpore magno, roſtro adunco, oculis pellucidis, aſpectu hilari, pedibus craſſis, unguibus aduncis, colore varià albis & nigris maculis diſtincta, nullam avem formidans, ipſamet prædatoria; Ex raptu vivit & carnibus ut Aquila veſcitur, nec non muribus urgente fame. Crura avium cum unguibus integra devorat; at ventriculos excoriare ſolet. Nidulatur ac degit in montium præſertim denſiſſimis ſylvis, aliisque aditu difficillimis ac ſolitariis locis. Parit quatuor aut quinque ova, nidum extruendo in cacuminibus Abietum aut Picearum, aut in ſummis rupibus. Incubat vicenis diebus. Eximuntur pulli e nidis, & veteres reticulis ſupra nidos capiuntur; hyeme etiam decipulis, gallina & columba alligata. Accipiter venatur perdices gallinas, corutnices, anates, anſeres, columbas, corniculas, monedulas, lepuſculos. ACCIPITER autem varie ab Accipitrariis diſtinguitur, quod alius ſit NIDARIUS, NIDULARIUS, ein Neſtling/ ein Neſt-Habicht/ qui de nido extractus & educatus fuit. Præ cæteris laudatur & Dominum raro deſerit. ACCIPITER RAMARIUS, RAMALIS, ein Aeſtling/ qui nuper de nido egreſſus parvo tempore matrem ſuam volando de ramo in ramum ſequitur. Et hic optimus eſſe ſolet, Nidulario celeritate prævalet. SORUS a colore infumato ein Wildfang/ qui aliquandiu libere volavit & poſtquam nidum reliquit captus fuit; Hic duplex eſt HORNOTINUS, ein König-Habich iſt rohtmälicht/ primo anno captus antequam pennas mutaret. Color ei varius. Dorſum & alæ ſuperiores paucas habent maculas albas. Coloris ſunt fuſci nonnihil ex obſcuro rubentes; pectus & venter maculis & nigris varia. Caput fuſci eſt coloris ac dilutioris; præſtantiſſimus putatur ad diſciplinam. MUTATUS, qui jam pennas in feritate mutavit, ein Mäußer/ iſt weißmälicht maculis albis & nigris diſtinguitur, quæ albiores & nigriores fiunt cum ſæpius mutatus fuerit, anniculus, bimus trimus aut provectior.

Porro alius ACCIPITER eſt MAJOR NOBIBILIOR, ACCIPITER FEMINA, Adelicher Habicht/ voll Habicht. Oculi iris & ſuprema ubi capiti

capiti contigua eſt, roſtri pars, item crura tibiæve & pedes croceo colore tinguntur: dorſum fuſcum vel ſubnigrum; cauda tenuis ſeu maculis latis & obliquis partim nigris, partim canis admodum frequentibus diſtincta; pennæ colli ſuperioris nec non capitis magis ex obſcuro ruſeſcunt & punctulis nigris plurimis itidem interſtinguuntur; plumæ vero femorum ac ventris diverſa ratione maculantur. Alius eſt ACCIPITER MINOR FEMINA SEMIASTUR; ACCIPITER MEDIUS NOBILIS MUTATUS, Mittel-Habich / Halb-Habich. Longitudo ei dodrantum trium ſemis; latitudo ſeptem: tectum ſeu dorſum totum alis fuſcum ad indicum inclinans: vertex cum collo nigricat cum obſcura rubedine. Alæ maculis latiuſculis obliquis nigris diſtinguuntur cauda zonis partim fuſcis partim canis transverſim ductis interſecatur. Infima pars tota albet lineis nigricantibus reſperſa; roſtrum aduncum obſcure cæruleum: pedes crocei, unguibus aduncis, maxime poſteriore, qui tetradactylos fere circulum abſolvit; iris crocea, pupilla nigra.

ACCIPITER MINIMUS, klein Habicht/ priori colore ſimilis, at multo minor, ſparveri magnitudine, minusque audax & robuſtus.

ACCIPITER TERCELLINUS, ACCIPITER MAS, Habich / Tercellin/ minor eſt fœmina & ad venationem inutilis.

ACCIPITER INSTRUCTUS & EDOCTUS ad venationem, ein abgerichter Habicht.

ISIDORUS Accipitrem regiam avem eſſe & animo plane regio præditam tradit: eſt enim animoſus Accipiter & majore animi quam unguium fortitudine præditus; itaque naturæ placuit, corporis modici magnanimum tamen facere accipitrem; qui non tantum perniciſſimo volatu, quodlibet volucre præcellit, verum etiam aſtutia mirabili aucupium facit, eapropter ab hominibus ſocius venationi adhibetur; mirum profecto, inquit VAN DEN BOSSCHE, quod ab homine adjutore quodammodo audacior in majores & nobiliores aves volet, prædam agens; cum nondum circuratus tantum domeſticas atque ignobiliores aves prædetur.

Rapax avis eſt accipiter & gallinas, columbas, corvos ac lepores devorat. Viliores etiam muribus ranis ac talpis victitant. Nobiliores nec piſces ſpernunt & cancrorum carne delectantur maxime. Cor animalium & inprimis avium non comedere dicuntur ab ARISTO-

ARISTOTELE & PLINIO. Sed periculum fecerunt ALBERTUS & ALDROVANDUS & abſumpta ab iis corda conſpexerunt. Animalibus viventibus quamdiu veſcuntur, aquam non bibunt, ſatis illis eſt ſanguis, quem ſugunt. Bibunt vero aquam cum Cicures facti cibariis ſiccis utuntur.

Salaces admodum eſſe dicuntur ſed parum fœcundi. Utplurimum tria aut quatuor ova pariunt & vicenis diebus incubant. Pullos, quamprimum volandi facultatem nacti, nido exppellere dicuntur. ALBERTUS ait: Accipitres pullos ſuos volantes cibant fere menſis ſpatio, & poſtea recedunt ab ipſis. Et docent eos capere aves, quas vivas adferunt, & coram eis dimittunt, incitantque pullos ad capiendum. Ubi autem perfecte jam volare & ad capiendum idonei fuerint, ejiciunt, aut relinquunt eos atque deſerunt.

Viſu & memoria valent accipitres. Solum ut aquilæ oculis intentis conſpiciunt. E locis etiam altiſſimis ſpeculantur prædam, quam toto impetu proſternunt. Informantur a magiſtris, quorum voces audiunt juſſaque capeſſunt. Gaudent hominum conſortio, eorumque affectant quodammodo conſuetudinem. Dociles ſunt admodum, & nutui hominum obtemperant quam promptiſſime. Ad omne venationis obſequium parati ſunt dominis ſuis ubique præſtantes obedientiam ac reverentiam.

Animal vorax eſt & iracundum. Gallinæ acutam accipitris vocem cum percipiunt fugiunt, & quam ocyſſime queunt, ſeſe occultant. Pulli quoque gallinacei vix ovo excluſi, conſpectum e longinquo accipitrem horrent & fuga ſibi conſulunt. Putat PLINIUS ova vitiari, ſi Gallinæ vocem accipitris audierint, dum incubant. Sed, ut SCHWENCKFELDT loquitur, ex more ſuo a neceſſario progreditur ad nimium.

Volatus Accipitris velociſſimus & altiſſimus eſt: ſicuti rapacia omnia volatus ſunt rapidiſſimi perniciſſimique. Tam altum habent volatum, ut viſum humanum effugiant; & ex altitudine illa prædam in terris conſpiciunt, eamque rapidiſſime ſagittæ inſtar petunt. Nonnunquam in aëre ſe ſuſpendunt reſupini; nam alas caudamque deorſum expandunt, in aëre hærent & unguibus roſtroque contra fortiorem ac ſuperiorem dimicant.

Vocem

Vocem habet variam pro affectuum ratione: aliam cum iraſcitur, aliam cum blanditur, aliam cum cibum quærit, aliam cum prædam invenit. LUCRETIUS ait:

Accipitres atque Oſſifragæ mergique marinis
Fluctibus in ſalſis victum vitamque petentes,
Longe alias alio faciunt in tempore voces.

Clamoſam tamen & acutam admodum vocem habent; dicitur ſpecialiter juxta authoris PHILOMELÆ verſum:

Accipiter pipat, milvus hiansque lipat.

Sylveſtris & rapax hæc avis familiaris atque domeſtica fit homini. E manu heri ſui egreditur, aves ad nubes usque perſequitur & feſſa ad manum Domini regreditur. Vociferantibus ferociſſimam ſe præbet, & magno impetu hoſtem inſequitur prædamque reprobat.

Incredibilem res ea adferre dicitur exercenti voluptatem. Hinc Principes & Magnates avem habent in delitiis & ad ſummum evexere faſtigium.

Cum fruges reſpuant Accipitres & carnibus delectentur, ſunt, qui dicunt, panem accipitrem necare; ſed falſum eſſe ipſa experientia declarat, cum certum ſit ipſos accipitres præſertim aſſuetos quoque panem innoxie devorare.

Acci-

Quamvis in ſacris litteris, ut verbis VAN DEN BOSSCHE utar, Accipitres, ut & aliæ aves, quæ uncis unguibus infeſtæ aliis prædam agunt & carnibus vivunt: cibo interdicantur & inter animalia immunda reputentur, quaſi Deo diſpliceat etiam in brutis animalibus crudelitas, qua ad mortem perſequuntur innoxias aves, eorum tamen uſus & eſus utilis & propemodum neceſſarius æſtimatur medicorum judicio: Dicit imprimis KYRANIDES, quod Accipiter aſſus ſalubris cibus ſit & efficax remedium laborantibus morbo

Sa-

ſacro, ſeu caduco. RHABBI MOYSES in APHORISMIS probat carnes pullorum accipitris, easque placere palato gratiſſimo ſapore ait. Debilem animum corroborant, melancholicos recreant & perturbationi mentis obſiſtunt.

Accipiter (inquit PLINIUS) in roſaceo decoctus ad omnium vitiorum in oculis accidentium, inunctionem eſt efficaciſſimus, idem effectus fimo ejus cum melle mixto attribuitur; fimus quoque cum mulſo potus accelerat partum: ita KYRANIDES ſentit. Quidam hæc habet, Accipitris fimum, tritum quantum duobus digitis capere poteris, cum vino vel aqua mulieri propina, quæ parere non poteſt, & parturigines non habet: curandum eſt autem, ut fœtus in utero bene prius diſpoſitus ad exitum vergat. Et ſi retineantur ſecundinæ, fimi accipitris ſcrupulum unum propina aut drachmam unam in peſſi forma ſuppone. Attamen alii hoc ipſum parvi pendunt.

ADEPS ACCIPITRIS, ſi conteratur oleo ex iisque ſimul tritis paretur oculorum inunctio, eos, diſſipata caligine clareſcere facit, ut quidam volunt.

ACCIPITRIS SEBUM juncturis utile eſſe fertur: Oculi autem occulta vi tertianam fugant, collo ſuſpenſi, ut vult KYRANIDES.

FEL valde acre eſt, glaucomata & ſuffuſiones corrigere creditur.

UNGUES ACCIPITRIS in pulverem potabilem redactos adverſus dyſenteriam valere affirmant nonnulli tanquam experimento cognitum. Addamus & hæc ſequentia ex SCHWENCKFELDTO de aliis accipitris ſpeciebus quibusdam.

ACCIPITER NOBILIS MAJOR NIVEI COLORIS, ἱέραξ λευκὸς, ein ſchneeweiſſer Habicht/ avis dicitur elegantiſſima & aſpectu jucunda ſed in his terris rariſſima, maximo æſtimatur pretio.

ACCIPITER BUTEO, ἱέραξ τριόρχης, ACCIPITER BUTORIUS, ACCIPITER TRITESTIGER, ACCIPITER BUTEO, MILVUS PALUSTRIS, AQUILA PERCNEOPTEROS, LANARIUS NIGER. Ein Buſahr/ Buſhard/ Rohrahr/ Mäußahr/ Fiſchknecht/ Fiſchahr. Magnitudo ei Milvi majoris, longus cubitum unum fere, latus alis extenſis cubitos duos & digitos tres: roſtro brevi, adunco, ſubcæruleo, nigricante. In fronte color ex viridi & flavo mixtus pennulis ceu pilis utrinque inter oculos & roſtrum rigentibus. Crura flava Milvi altiora imbecillia, ad medium usque plumoſa, unguibus uncis. Tergum obſcurum ſeu ſubnigrum, pennæ extremæ nonnihil rufi coloris præferunt: interior pennarum pars quæ mutuo obtectu latet, albeſcit, multis denſis, criſpis molliſſimisque plumulis obſepta: in ventre & pectore albicat, nigris paſſim maculis diſtinctus: capitis pennæ fuſcæ per medium albicantes: alarum remiges pennæ cæteris nigriores: cauda minime bifurcata, lata, obſcure rubra, maculis nigris transverſim aſperſa. Carnivorus eſt, mures majores atque minores ranas, Scarabæos, Locuſtas, Erucas, aviculas ruri & in agris perquirit ac devorat: piſces etiam appetit: ob id circa aquas plurimum degit: ſemper cernitur. In volatu frequenter alas concutit; Accipitrum omnium fere ignaviſſimus; tardus enim & pigri volatus, hinc proverbium Germanis natum, BUTEONIS inſtar ſedes, du ſitzeſt wie ein Buſhard. Admodum pingueſcit; CARO ejus a cibis abdicatur, licet dulciſſima & boni ſaporis. TESTICULI ejus recentes ſumpti membra egregie calefaciunt & ad Venerem apta reddunt.

ACCIPITER PALUMBARIUS, quod columbas potiſſimum perſequatur & capiat, ἱέραξ φασσοφόνος, φασσοκτόνος, φαβοκόνος, ACCIPITER FEROX, FALCO COLUMBARIUS, FALCO TERTIOLUS id eſt mas in genere falconis, AQUILA TRUNCALLIS. Ein Tauben-Falck/ Stockahr. Longitudo eſt a roſtro usque ad extremos digitos dodrantum iij. digitorum ij, color dorſi, colli, verticis fuligineus, ut & caudæ & alarum, quarum majores pennæ maculis nigris transverſim inſigniuntur. Pectus, venter, maculis ex fuſco rubentibus, flavis

& candicantibus, verſus Uropygium dilutioribus diſtinguuntur: crura flaventia obtegunt plumulæ villoſæ ſuboſcure rufæ, ex femoribus dependentes: ungues inſigniter hamati nigerrimi; roſtrum coloris cornei, breve, digitos duos longum, uncum. Audax eſt & celerrime volat. Palumbos, Columbas, Perdices & grandiuſculas Aves inſequitur.

Accipiter Fringillarius Mas, Accipiter Minor Mas, Accipiter Fringillarius Femina. Nisus a conatu, niſu, quod aves ſe multo majores rapere nitatur, Nisus Femina, Sparverius, Sperverius, Accipiter Sparverius, πέρκος, ein Sperber/ Sperwer. Longitudo ei ſpithami cum ſeſquipalmo & digito uno ab extremo roſtro ad ultimam caudam: roſtrum obtinet breve, ſubcæruleum, craſſum modice uncum: iris oculi intenſe flava; vertex, collum, dorſum, alæ colore caſtaneo, nigricante obſcureque fuſca: in ſyncipite tantum & circa alarum medium, qua dorſo ipſæ incumbunt, alba macula conſpicitur. Pars prona totius corporis, nempe Gula, pectus venter, latera alis tecta, femina & uropygium ſunt candida & transverſis lineis luteis interſecantur: tibiæ & pedes lutei ungues nigri incurvi: cauda ſupina tota fuſca, lineis latiuſculis quatuor transverſim ductis per intervalla ornatur. Cito manſueſcit & delicate nutriri poſtulat, leviter aucupatur & velox ad volatum: perdices, coturnices, alaudas, fringillas venatur.

Accipiter Fringillarius Foemina, σπιζία, σπιζίτης, Muscetus, Nisus Femella, Frogellus, ein Sprintz / Sprintzel/ Sprintzling a maculis, quibus toto corpore reſperſus eſt. Minor aliquando eſt Niſo, longitudinis ſpithamalis & digitorum 4. roſtro unco exiguo acutiſſimo; oculi iris lutea, reliquum intenſe flavet: dorſum cum collo & capitis vertice obſcure cæruleum ſeu dilute fuſcum; caput, collum pronum, pectus, venter, alæ interiores, crura albicant & variis maculis ſeu lineis transverſis diſtinguuntur: cauda reliqui corporis longitudinem fere æquat, & nigris & dilute fuſcis maculis tranſverſalibus alternatim diſpoſitis ornatur: pedes tibiæque longiuſculæ crocei coloris: ungues nigri incurvi. Paſſerculos, fringillas & galeritas plerumque capit. In altiſſimis montibus nidulatur; quaterna utplurimum parit ova; Julio & Auguſto, in cujus fine pulli capiuntur. Hyeme latitare perhibetur.

UNGUES LYNCIS.

Sunt pedis Lyncis unguiculi acutiſſimi, cryſtallini, tunica atque membrana incluſi, qui figuram unguim Aquilæ & Vulturis æmulantur, parte inferiore calloſa exiſtente.

PELLES

Feram, quæ Græcis λύγξ dicitur, Latini non Lynceum, ut CARDANUS voluit, a SCALIGERO ideo reprehenſus, ſed Lyncem ἀπὸ τῆς λύκης a luce, quod omnium animantium acutiſſime videat, vocant, ut JONSTONUS ait. Apppellatur & LUPUS CERVARIUS, non quod Lupo ſit ſimilis, ſed quod pari cum eodem aviditate feratur & in Cervos hoſtiliter eat. Dicitur quoque λυγγες, LUPUS ARMENIUS, LYCOPANTHERAS, ein Luchs/ Lux/ Thier-Wolff/ LOUP CERVIER.

Acerrimi morſus animal eſt, oblongum, brevibus cruribus, pelle indutum infra albicante ſupra ex fulvo ſubpurpuraſcente, ſed maculis notisqua varia, quæ ſpeculorum inſtar radiant, pilis mollibus confertisque conſita, qui in ventre longiores ſunt & piloſiores ſed rariores. GESNERUS ita deſcripſit pellem. Pellis extenſa Lyncis a ſummo naſo ad caudam usque eſt longitudinis trium pedum unciarum quatuor, cauda longitudinem unciarum ſeptem non excedit, latitudo circa collum (non ambitus dicimus, ſed dorſi tantum) eſt dimidiati pedis & in imo dorſo unciarum quindecim, crura anteriora duodecim æquant. Pilus undique molliſſimus & denſa lanugine confertus, extremæ pilorum dorſi partes albicant, & venter medius eſt candidus, in quo puncta quædam paſſim nigricant, crebra vero ſunt juxta imum ventrem ad latera. Auriculæ parvæ ſunt, quaſi triangulum referentes ambitu nigro & ſupra eas villus niger cum paucis pilis albis eminet: aut, ut SCHWENCKFELDT dicit, auriculæ curvæ apicibus nigris villoſis trium digitorum longitudine ſurſum erectis notantur. Barba ad inſtar felium ex pilis albis conſtat. Oculi ſunt ſplendentes & ceu igneo fulgore rutilantes exiſtunt. Facies formoſa, caput exiguum Lingua ſpinoſa aculeis referta, Limæ ſimilis. Dentes habet fortiores &

acutos.

acutos. Pedes admodum villoſi ſunt. Cauda in extremitate nigricans per totum æqualis craſſitudinis conſpicitur.

Agilis eſt Lynx proſilireque longius poteſt, clariſſime omnium quadrupedum cernit, ita ut quidam corpora ſolida viſu penetrare fabulati ſint. Rapax inſtar Lupi ſed callidior. Hominibus & pecudibus inſidiatur. Latet in arboribus, ut in prætereuntes pecudes deſiliat. Invadit Lepores, Cervulos, Capreas, Porcellos ſylveſtres, omnia dentibus frangit protinusque devorat. Inſatiabilis enim eſt, utpote cui a ventre per inteſtina minus circumvoluta tranſeunt cibi. Imprimis autem ſanguini & cerebro inhiat. Velocis ſunt curſus, adeo, ut eum ſaltu præcipitent.

GESNERUS ſe a quodam intellexiſſe ſcribit, lynces in arboribus aliquanto latitare & in majores quadrupedes prætereuntes inſilire & unguibus cervici infixis non dimittere, donec animalis proſtrati capite dilaniato cerebrum devoraverint. Sunt qui affirmant ſanguinem tantum ſugere.

Lynces in Orientali plaga vagari VITRIACUS ſcribit, inde in Europam delatos OVIDIUS, reperiri & in Americæ montibus THEVETUS author eſt. Elegantioribus nigris per dorſum maculis inſigniti in Lithuania, Polonia, Moſcovia & Suecia capiuntur. Reperiuntur tamen etiam in aliis regionibus, ſed paulo rarius.

Lynces cum fœmellis, quæ mammis gaudent more canum averſi congrediuntur, ut canes implentur, & ritu leporum ſuperfœtant. Catulum unum adſcribit ISIDORUS; duos tres aut quatuor ODONUS.

Tanta oblivione, ſi prædam ferens retroſpexerit, occupari, quidam affirmare audent, ut prædæ obliviſcatur aliamque quærat. Ego, inquit JONSTONUS, ſi id verum eſt nimiæ aviditati illud adſcripſerim. Æſtate depilatur hoc animal, hyeme vero valde hirſutum redditur.

Diſcrepant Lynces inter ſe magnitudine & colore.

PELLIS LYNCIS in magno pretio habetur, præfertur ampla, quæ ad albedinem magis tendit. Imprimis manicæ hyemales exinde formantur.

URINAM LYNCIS dureſcere & coire in lapidem, quem Lyncurium vocant aut Lapidem Lyncis fabuloſum eſt, vide quæ in antecedentibus de hoc lapide dicta fuere. Urina tamen hæc laudatur ad cutis pruritum.

AXUNGIA LYNCIS articulis reſolutis, convulſis, luxatis, commode illinitur.

UNGUES LYNCIS, Luchs-Klauen/ argento & auro includuntur, adverſusque comitialem & ſpasmum appenduntur. Præfertur autem unguis, qui in dextro pede pro pollice eſt. Uſurpatur quoque interne: ſi quid agit, id præſtat eodem quo Ungula Alcis modo.

CARNES LYNCIS inutiles ſunt & a culinis abdicantur.

Muli

UNGULA MULI.

Mulum Græci vocant ἡμίονον quaſi ſeminaſinum, quod ex aſino & equa originem ducat. Vocatur etiam ἀστράβη a robore corporis ἀγονομόχθος a ſterilitate ἑτερόγονον ζῶον quod ex diverſo ſemine naſcatur. Germani Maul-Eſel/ Maul-Thier/ Galli Mulet appellant. Iſidorus arbitratur Mulum tractum habere nomen a Græco, Græce enim quod jugo piſtorum ſubactus tardas molendo ducat in gyrum molas.

Communis eſt opinio Anam abnepotem Eſavi equarum greges ab aſinis in deſerto feciſſe primum aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur.

Nullus quidem, verba ſunt SEBIZII ex quo hæc deprompſi, mulorum uſus eſt in cibo: ſed ad alia multa animalia ſunt hominum generi utiliſſima: Eximium enim illis in labore robur eſt, inquit PLINIUS. Trahebant apud veteres, carros, vehicula, rhedas & plau-

plauſtra. Ducebant & aratra; ferebant item lecticas, quod etiamnum hodie apud nos eſt uſitatum: vehebant denique arma, σκευοφόροι ob id dicti: quoniam res ad bellum neceſſarias geſtabant: Noſtro ſeculo potiſſimum ad equitandum & portandum adhibentur. Ad equitandum quidem a Magnatibus ſecularibus uſurpantur equi generoſiores; equitationi tamen etiam deſtinati ſunt muli ab Eccleſiaſticis, Pontifice Romano, Cardinalibus & Epiſcopis. Locis montanis & aſperis itinera peraguntur meritoriis mulis. In his enim equis præferuntur, tum quod minus ceſpitent; tum quod per anguſtias viarum earumque præcipitia tutius ſeſſores deducant. Aptiores quoque muli ſunt clitellis quam Equi & Aſini.

Mulis abundant regiones calidæ, Hiſpania, Perſia, Arabia felix, Meſopotamia, Cappadocia. Contra mulis carent terræ frigidæ, Polonia, Suecia, Dania, Anglia, Hollandia &c. Qui inibi viſuntur adventitii ſunt.

Animalia perpetuo cicura eſſe aſſerit ARISTOTELES. Equorum & aſinorum more volutationi indulgent, ut a laſſitudine recreentur. Audaces ſunt muli, pertinaces, refractarii, minus dociles, minus benigni equis & aſinis. Calcitrant equi & aſini, ſed contumaciſſime muli. Aſtuti ſunt & vafri, ſed potiſſimum Hiſpani. Vivunt multos annos; Seneſcunt autem fœminæ tardius quam mares. Coitus enim maribus vires minuit ait SCALIGER, quia ſalaces ſunt. Fœminæ cum ſint ſteriles ob initum nihil incommodi patiuntur, & partus, qui reliquo animantium generi multum de viribus adimit, his nullo nocumento eſſe poteſt.

Paſcuntur Muli fruge & herba h. e, hordeo, avena, palea & gramine. Potu pingueſcunt ut Aſinæ.

Gignuntur muli ex Equa & Aſino, contra ex Equo & Aſina Hinnus. PLINIUS aſſeverat ex Equo & Aſina generari mulos effrænes & tarditatis indomitæ. Onagro & aſina genitos mulos antecellere perhibent. COLUMELLA triplicem ſtatuit diſtinctionem. Dicit enim mulos fieri ex Equa & Aſino, 2. ex aſina & equo & 3. ex Onagro & Equa. Equas ad mulorum generationem neque quadrimis minores, neque decennibus majores legunt: arcerique utrumque genus ab altero narrant, niſi in infantia ejus generis quod ineant lacte hauſto. Quare ſurreptos pullos in tenebris Equarum uberi, aſinarum-

que Equuleos admovent. Manet Mulus in utero matris menſibus undecim, duodecimo editur. Conceptum ex equo ſecutus aſini coitus abortum perimit, non item ex aſino equi. Mulæ a partu optime die ſeptimo implentur, Mares fatigati implent melius. Quæ non prius quam dentes quos vocant pullinos, ARISTOTELES gnomonas, jaciat, conceperit ſterilis intelligitur & quæ non primo initu generare cœperit docente PLINIO. Mulabus nulli moventur menſes ſed urina earum craſſior eſt quam marium. Ideoque inutile quod eſt cum ſeroſo abigitur excremento. Reliquum in corporis incrementum, & magnitudinem vertitur. Itaque concipere quidem Mula poteſt aliquando, ſed enutrire atque in finem producere non poteſt. Mas ὀρεὺς generare poteſt interdum quoniam & calidioris eſt naturæ quam fœmina quæ dicitur Mula. Quod autem facit Ginnus eſt, qui mulus eſt imperfectus. Mula pullum lactat per ſemeſtre temporis ſpatium. Suctionem ulteriorem non patitur. Pullus namque lacteum ſuccum trahit vi & cum dolore. Videntur bina mulorum genera eſſe apud ARISTOTELEM, unum ſterile, quod ex equa & Aſino producitur, alterum fœcundum.

Mulæ quæ ex Aſino & equa natæ, contumaces ſunt auriculis longioribus, natura gradariæ non ſunt, ſed tales arte fiunt; neque equæ pulchritudinem repræſentant. Contra ſe habent quæ ex equo & Aſina provenerunt patri ſimillimæ, generoſæ tractabiles, ſpecie inſigni, auriculis pectore & collo patris, cujus etiam hinnitum referunt. Sunt gradariæ natura eaque matrem imitantur.

ἦννος, γῖννος, Hinnus, Hinnulus & Ginnus generari dicitur ex Muli & Equæ coitu. Quod in genere porcino μετάχοιρος, in humano νᾶνος, πυγμαῖος hoc eſt pumilo, puſio, in equino equuleus & equulus, id in mulino γῖννος; nempe Mulus quaſi imperfectus, Mulus pumilus.

Muli magnæ dicuntur contra venena eſſe efficaciæ. Inſutus recenter occiſi ventri, qui veneno infectus eſt, evadit, ſi tam diu manſerit, donec calor animantis omnino evanuerit. Eo tutius evaſurum, ſi pluribus uſus fuerit, fuiſſeque principes, qui triginta & quadraginta impendio mortem evaſerint, Marantha author eſt.

PULVEREM in quo ſe mula volutaverit, corpori inſperſum ardores amoris mitigare a quibusdam apud PLINIUM proditum.

COR, TESTES, RENES, CARO, SORDES AURIUM SPUMA ORIS, ſterilitatem inferre dicuntur.

STERCUS combuſtum tuſum ac cribratum, vino dilutum in fluxu uterino HIPPOCRATES bibere jubet. Opitulatur quoque dyſenteriæ & dolori Lienis ſubvenit.

SANGUINEM Muli ſeu Mulæ potius quidam illinunt ad tollendas verrucas.

LICHENES Muli in vino infuſi, & vinum infuſionis potum ad epilepſiam commendantur.

URINA cum luto ſuo pedum clavos curare dicit SCHROEDERUS, imo hoc ipſum in podagra ſeu articulari morbo mire convenit, ut habet ETTMULLERUS.

SPUMA ORIS Mulæ collecta & in vino calido propinata aſthmaticos curare dicitur.

UNGULA ſuffitu menſes nimium fluentes ſiſtit. Cinis potus ſteriles reddit; illitus Alopeciæ ſubvenit.

PARS ANIMALIS SALE VOLATILI OLEOSO CUM ODORE FRAGRANTISSIMO CONSTANS.

FIMUS MARTIS.

Sunt Martis excrementa, fragrantem odorem Moſchi ſpirantia.

Do-

MARTES ſive MARTRES ut SCALIGER habet, a Marte Deo belli nomen habere fertur; ferox enim, pugnax, Martium, bellicoſumque eſt animal. Alii MARTAM & MARTERUM vocant, nonnulli FOINAM, GAINUM & SCISMUM nuncupant. Vocatur quoque MARTARUS MARTARELLUS. Græcis σαθέριον audit, ein Marder/ Marter/ MARTRE.

Annumeratur Martes ab Authoribus Muſtelarum generibus. Eſt animal figura Muſtelæ magnitudine Cati, longius tamen & brevioribus cruribus ſuperne fultum cum quadam fuſcedine; inferne album aut flavum.

Duo genera zoographi potiſſimum exhibent, domeſticum & ſylveſtre ſive ferum. MARTES DOMESTICUS, MARTES DOMORUM, Martes tectorum vocatur etiam Martes ſaxatilis, eo quod ſub tectis & ſaxis ædificiorum, templorum ſuum habeat domicilium: Ein Hauß-Marter/ Tach Marter/ Stein Marter/ MARTRE domeſtique: magnitudine feles æquant, paulo tamen ſunt longiores, cruribus item & unguibus brevioribus. Pilo ex fulvo veſtiuntur ſubnigricante excepta gutturis parte, quæ albicat. Inhiant Gallinis, columbis & avibus. Oculi ut felium noctu ſplendent. Dentes habent multos eosque candidiſſimos, ſed caninos valde acutos & pungentes: quo nomine detruncantur, ne ita mordendo nocere valeant. Captæ enim cicurantur facile, ita ut cum hominibus & brutis huc illucque vagentur, vincliſque ſolutæ ad priſtinas ædes revertantur. Reperiuntur fere in omnibus pene regionibus.

MARTES

Domeſticæ Martes captæ aſſantur & cum appetitu a quibusdam deglutiuntur. Arbitramur, inquit SEBIZIUS, carnes earum meliores eſſe carnibus Vulpium: quia munda ſunt animalia, bono victu utentia & reddentia ejusmodi excrementa, quæ fragrantem odorem Moſchi ſpirant, qui bonæ diætæ & optimæ perfectiſſimæque ciborum aſſumptorum concoctionis eſt indicium, ex mente modo dicti Authoris.

Cæterum homines iis inſidiantur, non propter carnes ſed propter pellem, quæ ad pileos, pallia, veſtes nocturnas, collaria, chirothecas & ſemimanicas ſuffulciendas eſt aptiſſima & admodum durabilis. Verum pelles earum non tanti æſtimantur quanti ferarum & ſylveſtrium.

Martes Sylvestris, σαθέριον ἄγριον, Martes Arborum, Martes Arborea, Mustelæ Quartum Genus. Wilder Marter/ Feld-Marder/ Baum-Marder/ Edler Marter/ Martre Sauvage. Corpore conſtat aliquanto longiore, gutture flaveſcente & pilo contegitur magis fuſco tactuque molliore. Sylvas incolit, raroque eas deſerit. Paſſim in altis montium ſylvis oberrat. Eſt autem rurſus duplex.

Martes Fagina, Martarus Faginus, Buch-Marter/ qui in ſylvis fageis verſatur & vitam agit: &

Martes Abietina, Martarus Abietinus, Dannen-Marder/ Fichten-Marder. Quæ in Abiegnis ſeu Piceaſtris degit. Nidum ſuper abietes Sciurorum inſtar ſtruit. Aſpectu cæteris eſt pulchrior & bonitate præſtat, precior ſioque ſi plures pili candidi cum fuſcis permiſti fuerint, Bräunlicht ſchwartzlicht mit viel Silber-Haaren/ uti hoc germanice exprimit SCHWENCKFELDT. Hyeme meliores ſunt quam æſtate. Zobela,

Pelles horum animalium ultimorum pretioſiores habentur & a Magnatibus ad hyemales veſtes ſuffulciendas expetuntur.

CARO MARTIS reſolvit & nervos roborat. Coquitur in oleo olivarum, quod deinde partibus inungitur.

STERCUS MARTIS pro odoramento uſurpari poteſt; a quibus cum veſtibus reponitur.

Hac occaſione pauca quoque liceat dicere de Zobela.

PARTES

ZOBELA, MUSTELA ZIBELLINA: ALCIATUS in emblematibus MUREM SARMATICUM, alii MUREM SCYTHICUM nominant: verum, dicente SEBIZIO, ex quo hæc & ſequentia ſunt deprompta, minus recte: quia non Murem ſed Muſtelam repræſentat, adeo ut rectius MUSTELA SCYTHICA ſive SARMATICA vocari poſſet, Zobel/ BELETTE OU MARTRE ZIBELINE.

Color pilorum Zobelinorum non unus eſt in omnibus, propterea Authores in illorum deſcriptione variant; GEORGIUS AGRICOLA docet, Zobelam totam colore fulvam eſſe, præter guttur, quod cinereum. Genuina pellis Zobellina, quæ cæteris præſtat, cariusque venditur, pilis gaudet admodum longis & ad nigredinem potius quam ad alium colorem vergentibus.

Eſt Zobela animal Marti affine & valde ſimile; minor tamen marte eſt, cruraque breviora habet. Agilis eſt & fere ſemper in motu, inſidiatur aviculis dum in opaco ſaltu latitant, muribus quoque veſcuntur.

Inveniuntur Muſtelæ Zibellinæ in partibus ſeptentrionalibus & extremis Moſcovitarum ſylvis, Siberia; ſed & in Lithuania, alba Ruſſia & locis mari Cronio vicinis.

Capiuntur non propter uſum cibarium, ſed propter ornatum, quem pretioſa illius pellis præbet. Ex pellibus enim Zobellinis, Imperatores, Reges, Principes, aliique magnates, pileos ſemimanicas pallia, tunicasque hyemales & nocturnas ſibi parari curant. Præſervantur pelles iſtæ, ſi identidem moveantur & concutiantur, deinde ſi ramis abſinthii involutæ recondantur in armariis vel ciſtis veſtiariis. Eſt pretium his pellibus ingens. A quibusdam præſtantiſſimæ habentur quas Tartari & Lappones mittunt.

An-

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI CUM MULTA PINGUEDINE CONSTANTES.

Adeps Anguillæ.
Adeps Phaſiani.
Adeps Turturis.
Axungia Anatis.
Axungia Anſeris.
Axungia Ardeæ.
Axungia Cati ſylveſtris.
Axungia Coturnicis.
Axungia Cuniculi.
Adeps Cygni.
Axungia Lutræ.
Axungia Muris montani.
Axungia Taxi.
Axungia Thymalli.
Axungia Truttæ.
Axungia Urſi.
Hippoſorchides.

ADEPS ANGUILLÆ.

Eſt piſcis oblongi, lubrici & lævis, quem Anguillam vocant, pinguedo.

Anguilla ab angue dicta videtur, quoniam anguiformis. Serpentem enim aquaticum in multis refert. Unde JUVENALIS

Vos Anguilla manet, longæ cognata colubræ.

Græce vocatur ἔγχελυς ἀπὸ τῆς ἰλύος, a limo ſive luto, quo maxime delectatur, & in quo ſe abſcondere ſolet, vel juxta alios dicitur ab ἄγχω id eſt ſtrangulo, obtorta gula coerceo, obtorto collo præfoco. Germanice dicitur Ahl/ Gallice ANGUILLE.

Juxta PAULINI in COENÆ HELENA, ſeu ANGUILLA, piſcis hic notiſſimus definitur quod ſit piſcis fluviatilis, oblongus, lubricus ac lævis, ſexu diſtinctus, e ſuo ſeminio ſeu ovo ortus, variisque hominum uſibus inſerviens.

Anguilla eſt ex illorum piſcium albo, qui ſalſis & dulcibus aquis delectantur. Nam ex fluminibus abeunt quoad partem ad mare & ex hoc iterum ad flumin aſcendunt. Extra aquas diu vivunt, quoniam branchias habent pauciores, minusque continentes. Non etiam multum refrigerationis deſiderant. Exemptæ aquis ad diem quintum aut ſextum vivunt modo Soli non exponantur; ſpirante aquilone durant diutius; flante auſtro minus. Vita nonnullis vel ad 7. & 8. annos & ultra protrahitur; eſtque victus earum ex herba, radicibus, & illis rebus, quæ comperiunt in coeno; paſcuntur noctu potius, interdiu ſecedunt in altum. Paucæ quædam certisque locis, ait ARISTOTELES, limo veſcuntur, & eduliis ſi quis apponat; ſed plurimæ dulci humore vivunt; idque obſervant qui vivariis anguillariis operam dant, ut quam maxime pura ſinceraque ſit aqua affluens ſemper, & effluens per ripas, ubi vivaria exſtruunt. Factum hinc eſt, ut quidam cum RONDELETIO ſtatuerint, anguillas ſola aqua nutriri. Sed revera nutritur vermibus ranis piſcibus, radicibus, herbis & ſimilibus. Hoc interim certum eſt quod aquam puram ament, nam niſi aqua ſit clara, brevi ſtrangulatæ intereunt; mortuæ non ſuperfluitant nec ſurſum efferuntur, ut cæteri piſces. Nullam vehementem alterationem ferunt Frigore adeo impatientes eſſe dicuntur, ut cum omnia gelu & glacie rigerent, in terram prorepere & intra fœni cumulos ſe abdere viſæ fuerint. Tonitrua adeo timent, ut de fundo ad ſuperficiem enatent.

Duo

Duo dicuntur Anguillarum eſſe genera, majus & minus. Illi caput brevius, craſſius & latius, color fuſcus: in profundo degit & aqua deficiente ſæpe ſe in limo, ut inde effodiatur, occultat, ad mare hoc genus nunquam deſcendere ſed ſemper in vallibus degere quidam affirmant; RONTELETIUS Anguillas mares vocat: Huic, quod Anguilla ſimpliciter dicitur, caput longius & acutius, & in mare deſcendit. Læves ſunt in univerſum & lubricæ Anguillæ, ut manu teneri non poſſint, ſi incluſæ tenentur; quacumque caudam exerere poſſunt, eadem totæ evadunt.

Color omnibus Anguillis haud idem; variat enim ratione aquarum, in quibus degunt: quæ puram & defluentem incolunt, ventre (juxta SALVIANUM) ſunt candido, dorſoque cineraceo ſive ſubcæruleo: quæ vero in impura, & ſtagnante commorantur, ventre ſubalbo, dorſo vero ſubviridi vel ſubnigro apparent. Os habent ſatis apertum, dentibus parvis, acutis minutis multiplice ordine. Magnitudine quoque non ubique eſt eadem, reperiuntur juniores, adeoque minus longi, minusque craſſi, reperiuntur tamen etiam adultiores longiores & craſſiores, pro diverſis quoque fluviis reperiuntur majores minoresve.

In pluribus inveniuntur regionibus, degunt in profundo fluviorum, cœnoſis & limoſis locis, aqua diſcedente ſe occultant, Verno & æſtivo præſertim capiuntur tempore.

Quod generationem Anguillarum attinet, in diverſas abierunt partes Authores. ARISTOTELES, ut ex eo recenſet SEBIZIUS, hæc habet; Ovum nullum generant, neque ſemen genitale habent neque mares neque fœminæ ſunt: Vocantur quidem a quibusdam nonnullæ earum fœminæ & meliores indicantur, ſed fœminæ nomen acceperunt temere: non ſunt enim fœminæ, ſed fœminæ appellantur, quoniam aſpectu a cæteris diſcrepant. Prolem ex ſe procreare nequeunt. Qui eas capillamentis & lumbricis quædam ſimilia interdum annexa ſibi gerentes ſe vidiſſe ajunt, inconſiderate id aſſeverant, anteaquam animadvertant, qua parte illa generantur; Neque enim aliquid ejusmodi eſt, quod animal creet, niſi prius generarit ovum, quod in nulla Anguilla viſum: & quæ animal gignunt, ſuo in utero fœtum continent, non in ventriculo. Sic enim non ſecus ac cibus concoquerentur genituræ primordia. quam autem differentiam maris

ac fœminæ Anguillæ notarunt, quod ſcilicet altera, hoc eſt mas, caput habeat amplius & oblongius, altera vero, id eſt fœmina, repandius, hæc non maris ac fœminæ differentia eſt, ſed generis. Nec per coitum Anguillæ generantur, inquit porro ARISTOTELES, nec ova pariunt. Nec vero unquam aliqua capta eſt, quæ aut ſemen genitale aut ova haberet: meatus quoque vel ſemini vel vulvæ accommodatos nulla diſſecta oſtendit. Sed hoc unum inter ſanguinea genus totum ſine coitu, ſine ovo producitur. Rem ſic ſe habere exinde conſtat, quoniam in nonnullis fæculentis ſtagnis, aqua omni exhauſta, limoque ablato, anguillæ denuo generantur, ubi pluvia acceſſerit aqua. Siccis enim temporibus gigni nequeunt etiam in lacu perenni, quippe quæ imbre & vivant & alantur. Verum genus iſtud nec coitu, nec ovo generari certum eſt. Videntur tamen nonnullæ habere vim gignendi, quod in aliquibus fiant lumbriculi. His enim Anguillas creari creditur, quod tamen erroneum: Ex his enim prodeunt, quæ terræ vocantur inteſtina, quæ ſponte in luto, humoque udo & humido proveniunt: Jam aliæ abſolvi viſæ ſunt, aliæ ſcalptis, diſcerptisque intus apparuerunt. Oriuntur hæc inteſtina dicta tum in mari, tum etiam in fluviis & ſtagnis, putredinis maxime ratione. Sed in mari, qua Algæ ſunt, in ſtagnis autem & fluminibus juxta ripas. Calor namque eas partes ſubiens, facit, ut putredinem concipiant. Hactenus ARISTOTELES, cui PLINIUS in eo adſtipulari videtur, cum ſcribit in anguillis non eſſe genus maſculinum aut fœmininum, anguillas neque animal neque ova generare. Alio tamen in loco PLINIUS dicit: Anguillæ ſe atterunt ſcopulis, ea ſtrigmenta viveſcunt, nec alia eſt earum procreatio. Quando de materia, ex qua generentur anguillæ, ſermo eſt, rurſus deprehenditur diſſenſus. ARISTOTELES credit anguillas gigni ex limo, vel ex corruptione quæ in limo cœnove facta. ARISTOTELI ſubſcribit ISIDORUS. Hinc quando capitur, inquit, adeo lenis eſt & lubricus, ut quanto fortius preſſeris, tanto citius elabatur. Verum longe aliter ſentit ATHENÆUS. Ait enim coire amplexas ac quiddam emittere viſcoſum, quod in limo retentum animalia procreet. Eadem ſententia eſt OPPIANI, qui ſcribit Anguillas gregatim circumfundi, & ut corporibus inter ſe complicatis coire, ex quibus lentor in arenam deſtillans limo excipiatur in quo innumeræ procreentur anguillæ.

Piſca-

Piſcatores quidam aſſeverant, anguillas cum ſerpentibus coire: quod ALDROVANDUS fabuloſum judicat. Alii autumant, anguillas ex cadaveribus in aqua projectis produci: & potiſſimum ex cadaveribus Equorum. Quam ſententiam etiam RONDELETIUS non reſpuit. Nam aliquando equo mortuo in Magalonæ ſtagnum injecto, paulo poſt innumerabiles anguillæ illic viſæ ſunt, quod tamen Rondeletius ſic accipit, quod non ex equi tantum, ſed etiam ex aliorum animalium cadaveribus generentur. SCALIGER refert, anguillas in ſe nihil generare: extra ſe limum quendam complexu mutuo conficere, unde proles conformetur foris. Sed hoc non ex propria obſervatione prodit: quoniam ſcribit ſic credi. RONDELETIUS porro teſtatur, vidiſſe ſe anguillas mutuo corporum complexu coëuntes: neque arbitrare partibus ad gignendum neceſſariis prorſus deſtitutas eſſe. Inferiore enim ventris parte & vulvam in fœminis, & ſemen in maribus reperiri: ſed pinguedine multa circumfuſas haſce partes non apparere quemadmodum neque ova pinguitudine permiſta. Hæc ſi vidit RONDELETIUS, ut vidiſſe illum, virum fide digniſſimum, & naturalium rerum ſcrutatorem acerrimum, putamus, (inquit SEBIZIUS) corruet ſane ARISTOTELIS placitum, quod Anguillæ neque pariant neque ſemen generent, neque organis genitalibus ſint præditæ. Perſuaſum vero habet RONDELETIUS, anguillas non uno modo procreari: ſed alias ex putredine, ſive ut quibusdam placet ex limo & coeno: alias vero ex maris & fœminæ commiſtione. Sed quod ἄτοπον ex mente SEBIZII non videtur: quoniam & mures & multa inſectorum genera ita comparata ſunt, ut quædam ex ſemine, quædam ex putri materia enaſcantur. Imo res ita ſe habet etiam in plantarum familia. Nonnullæ ſiquidem ejusdem ſpeciei proferuntur ſatæ, nempe ex ſemine: aliæ ſponte citra ſationem, citraque ſemen proveniunt. Sed liceat cum pace SEBIZII notare, quod ſicuti illud falſum eſt, quod de plantis allegatur, ita quoque fabula iſta de muribus & inſectis per putrefactionem productis diu jam exploſa ſit. Melius recentiores ſentiunt, ſtatuentes anguillas inſtar aliorum aquatilium coire, & ex ovulis tanquam ſeminio ſuo oriri, contra alias, qui anguillas ex limo, cadaveribus, pilis æquinis aut aliis equivoce generari credunt. Et licet Viviparæ ſint, nihilominus tamen animalcula quæ edunt atque

continent, ex ovulis poſſunt ortum ducere. Facit huc obſervatio ELSNERI in EPHEM. NAT. CUR. de Anguillis Viviparis quæ ita ſe habet. Anguillas eſſe viviparas, Viperarum inſtar obſervatio una atque altera in Hollandia me docuit, ubi in copia capiuntur & mactantur, unde cum fœminam præterirem, quæ illas aſſaret illam vidi extrahere neſcio quid tumidi ex anguilla, ex qua dum quærerem quid nam eſſet, illa annuebat eſſe uterum, quo operto variæ in diverſis membranulis involutæ hærebant anguillæ, ex quibus cognovi illas eſſe annumerandas animalibus viviparis, illasque coire invicem circumvolutas viperarum & ſerpentum in morem, quod ex OPPIANO & RONDELETIO colligere licet. Et hæc ELSNERI obſervatio repetitis jam obſervationibus eſt confirmata.

Nec obſtat ABRAHAMI MYLII, roris beneficio arte produci anguillas contendentis. Menſe Majo, inquit, cum largiter rorabit ſeca & diſcinde ligone ex campo graminoſo, ante ortum ſolis duos æquales ceſpites, eosque impoſitos, alterum alteri ubi graminoſi ſunt, repone in margine alicujus piſcinæ a parte aquilonari, ubi Sol radios ſuos maxime emittit. Videbis inde propullulare, quaſi examen pullorum anguillarium poſt paucas horas elapſas. Hoc experimentum quibusdam facit veriſimile, quod in anguillis nullum reperiatur ſemen, nulla organa generationis. Sed ſicuti hoc ultimum jam refutatum eſt, ita forſan a MYLIO congeries lumbricorum habita fuit pro anguillulis, & poſito quod fuerint anguillæ, nonne a fœmella poterat ibidem eſſe depoſita anguillularum grex. Majorem attentionem & indagationem meretur, id quod de Alburno memorat SCHWENCKFELDT. Verba ita ſonant. De hoc piſce, Alburno nempe, obſervatu digniſſimum referunt Piſcatores, confirmante autopſia, quod nimirum is non ſolum ſui generis piſciculos pariat, verum etiam Anguillas procreet. Aprili enim menſe branchiis ipſius innaſcuntur minutiſſima quædam animalcula, quatuor quinque, vermium ſpecie, fili candidi inſtar contorta, ſeu convoluta, quæ cum moveri incipiunt in aquas abſcedunt, celeriter vivunt, adoleſcunt, & Anguillarum formam nanciſcuntur. Hinc vulgatum piſcatoribus, die Geuſter ſtreichen einen Ahl / id eſt Alburni pariunt Anguillam. Cum experientia deſtituar, SCHWENCKFELDT hactenus aſſentiri non poſſum.

Illud

Illud adhuc notandum, quod in pretio atque cultu, Ægyptiis, Syris & Græcis Anguillæ non minus, quam alii piſces habiti fuerint, quod ipſum non tam ſuperſtitioni gentium, quam uſibus tribuit PAULINI.

PHASIA-

Quod uſum Anguillarum attinet, ille eſt vel Oeconomicus ſeu culinaris, vel Medica. Quod priorem concernit. De priori ita diſſerit SEBIZIUS. CARO anguillæ dulcis, pinguis & viſcoſca. Cutis denſa, ſquamis nuda, talis, quæ tota abſtrahi poteſt. Cauda & caput rejiciuntur, vel quia pulpa carent, vel quia maligni aliquid in ſe habere a quibusdam creduntur. Aufertur quoque a multis vena illa nigricans, quæ per longitudinem dorſi fertur eandem ob cauſam. Ex plurimis planum fieri poſſet authoribus, anguillas olim inter delicatiſſimos piſces a quibusdam habitas eſſe. Credebantur etiam ſalubres: Hinc quidam Coenarum Helenam, voluptatis Reginam præ diis honorandam dixerunt. Sunt qui cæteris piſcibus ſucci bonitate præcellere, ſtomachoque gratas eſſe contenderunt. Verum tota Medicorum ſchola (verba ſunt SEBIZII) docuit hactenus, piſces eſſe κακοχύμους, quod pituitoſum, lentum & glutinoſum humorem generent; obſtructiones hoc nomine pariant, & inde febres excitent, illæ præſertim, quæ in limoſis & fæculentis ſtagnis atque paludibus capiuntur, aut in fluminibus quidem degunt, ſed quæ magnarum urbium ſordes & purgamenta excipiunt. HIPPOCRATES anguillarum eſu tabidis & lienoſis interdicit: ait etiam peripneumoniam inducere, idque ob pinguedinem, quæ ſit humana naturæ infeſtiſſima. Porro damnare anguillas videtur, quod in lutoſis aquis vivant, & tum luto tum rebus in lutoſis aquis naſcentibus veſcantur. Quare cibi ſunt otioſis inuti-

les: inſalubres quoque illis, qui morbis a viſcida pituita ortis conflictantur, quique arthritidi, Lithiaſi aut Cephalalgiæ ſunt obnoxii. Noſtrates Apicii (juxta eundem Authorem) ab anguillis minime abſtinent, quantumvis dicantur ſucci eſſe lenti, craſſi viſcidi, & mucoſi. Aſſant autem illas vel elixant, & variis modis præparant. Videntur vero aſſæ elixis ſalubriores, quoniam igne ſuperflua humiditas exiccatur. Sunt & ſalſæ magis proficuæ: ſed recentes non aſſervatæ, quod enim in illis eſt viſcidum & glutinoſum, ſale attenuatur. Niſi aromatibus condiantur aut ad cocturam Sal, Vinum, vel Acetum acre adhibeatur, facile in ventriculo caro earum corrumpitur, frigido præſertim humidoque, & febres accendit phlegmaticas. SALERNITANI volunt, ut comeſtis anguillis ſæpius bibatur & quidem vinum meracum. Verſus ita ſe habent.

Vocibus Anguillæ pravæ ſunt, ſi comedantur,
Qui Phyſicen non ignorant hæc teſtificantur.
Caſeus, Anguilla, nimis obſunt ſi comedantur,
Ni tu ſæpe bibas, & rebibendo bibas.

Valet enim & hic, quod alias de piſcibus in genere dicitur: *Ex piſcibus vivos quidem aqua foveri, mortuos vero vino condiri debere.*

Sunt qui cum SCHROEDERO aliiſque dicunt, quod vinum, in quo viva ſuffocata fuerit Anguilla, homines vinum per vitæ ſpatium abhorrere faciat & abſtemios reddat. Hoc dicunt, ſed experientia docuit, quod ſit falſum; ne decipiamur videatur SALMUTH in HIST. ut docet ETTMULLERUS. Notandum hic quod Anguillæ difficillima morte extinguantur etiam excoriatæ ſuperviventes. Caput ab-

abſciſſum ad duos horæ quadrantes quandoque adhuc movetur, ipſumque cor reſectum per aliquot horas adhuc palpitaſſe viſum eſt. Aqua ex Anguilla deſtillata tabidis juxta quosdam propinari poteſt. Eſum etiam anguillarum ad curandam Phthiſin quidam commendant, ob tenax & viſcoſum alimentum, ob quod etiam a PAULINI uſus Anguillarum alimentarius non adeo malus eſſe perhibetur, cum unctuoſitas & viſcoſitas, quam vulgo culpant, de copioſo nutrimento teſtetur. Febrem quartanam transplantari poſſe quidam perſuadere conantur, ſi Anguillæ vivæ ungium reſegmina collo ſubdantur & in aquam profluentem abjiciantur. Credat qui velit, FREYTAGIUS tale ſuperſtioſum remedium damnat.

CAPUT ANGUILLÆ verrucis cutis mederi ajunt, ſcilicet ſi caput ſanguinolentum adhuc, quo Verrucæ tactæ ſint, terra cooperiatur, ut putreſcat.

CORCULA ANGUILLARUM laudat PARACELSUS in epilepſia.

SANGUINEM ANGUILLÆ potatum colicis prodeſſe refert HOLLERIUS, quod interim DURETUS improbat, nihilque prodeſſe, adeoque omnino inutiliter bibi dicit.

MARCELLUS quoque ſanguinem anguillæ cum rubello vino duplici menſura conjunctum & ex aqua tepida mixtum, colico jejuno dat bibendum, ſed ſub dolore dari debere dicit, nam non tantum præſenti morbo medebitur, ſed & ab alias adventuro præſervabit.

JECUR ANGUILLÆ etiam in uſu eſt. Perforatum nimirum blando igne exſiccandum, remedium ſpecificum ſingulare & optimum ſuggerit in partu difficili; doſi ℨß. HELMONTIUS, BOYLE, LUDOVICI, aliique plures in-

comparabile id remedium eſſe aſſerunt. Exſiceetur autem una cum felle & pulveriſetur ad uſum. BINNINGERVS aſſerit ſe nunquam hoc remedium fefelliſſe. In Nyctalopia hepar aſſatum & comeſtum valet : in doloribus a partu & prolapſu uteri hepar cum corde celebratur. KYRANIDES dicit, quod hepar cum ſuo felle in vino reſolutum clamque alicui propinatum eum a vino abſtemum reddat, in dolore & maculis oculorum fel laudatur; item ad clavos pedum.

Pellis ſive cutis anguillæ recens aut etiam ſalita, elegans & mirabile, uti tradit ETTMVLLERVS, remedium ſuggerit in procidentia uteri ſeu in prolapſu ſinus pudoris, ubi ſuffitus inde inſtituatur, ut prolapſus ita repoſitus, melius firmetur & in ſuo loco retineatur, quo MICHAELIS fuit uſus feliciſſime, id quod etiam confirmat SENNERTVS. In colica externe pellis in oleo communi cocta & impoſita laudatur. Pellis porro hæc ſuppeditat gluten pro emplaſtro in hernia. Pellis quoque hæc membris contractura & ſpaſmo laborantibus circumligatur. CARDANVS refert fides e cute Anguillæ factas auditores ad ſaltandum inclinare. Si quis certior (inquit VAN DEN BOSSCHE,) fieri volet de hac Cardani relatione, experimento non difficile cognoſcet quomodo ſeſe habeat.

ADEPS ſive PINGVEDO ANGVILLÆ, quæ dum aſſatur decidit, maxime auditus gravitati confert, ſi calida infundatur auribus, Vel ſimpliciter autem adhibetur, vel hic modus obſervatur. Ex anguilla, dum aſſatur, extillat pinguedo, quæ ipſa excipiatur foliis lauri, & tepide inſtilletur auribus poſt obturandis; idque vel ſolum vel

vel additis olei deſtillati ainſi aliquot guttis. Sequens quoque methodus minime ſpernenda. Anguilla, poſt pellem detractam, lardetur, ut loquuntur, ſive transfigatur foliis Rorismarini atque Lauri, poſtmodum aſſetur, & pinguedo deſtillans in uſum trahatur. Imprimis quoque pinguedo anguillæ ad progenerandos capillos illita capiti celebratur. Cum oleo momordicæ commendatur valde in compeſcendo dolore hæmorrhoidum. Dicitur porro variolarum delere veſtigia, in ſpasmo conducere & ſcrophulas ſanare, ad hæmorrhoides exeuntes & dolentes anguillam eviſceratam abſciſſis extremis tundito & in olla vitreata coquito, & cum pinguedine ac liquore qui remanet in fundo vaſis, inunguntur hæmorrhoides. Ad aſthma & pleuritidem pinguedinem externe illinendam eſſe cenſent, quæ etiam in ſpecie ad facilitandam reſpirationem in morbillis commendatur. Deprædicatur quoque hæc pinguedo in arthritide.

Cingari anguillas equis per anum inſerunt, ut obeſiores & agiliores videantur; Hippiatri quidam equo aſthmatico anguillam vivam ori ingerunt, ut per inteſtina elabatur. Alii & parvam imponi jubent purgationis cauſa. Nec propterea mortis periculum eſſe ajunt, quin GESNERVS aſſerit nautam ſibi notiſſimum vivam integram deglutiiſſe, integram per alvum vivam reddidiſſe. Imitetur qui velit.

ADEPS PHASIANI.

Eſt avis elegantiſſimæ Phaſiani dictæ adeps inſtar aliarum avium.

GALE-

PHASIANUS, Φασιανός, a MARTIALI etiam PHASIANA, PHASIS appellatur, nimirum a Phaſi Colchidis fluvio, unde ab

 Argo-

Argonautis primum in Græciam atque inde ad nos deportata eſſe putatur. Id MARTIALIS hoc diſticho atteſtatur.

Argiva primum tum transportata carina
Ante mihi notum nil niſi Phaſis erat.

A JUVENALI vocatur VOLUCRIS SCYTHICA, Græcis audit porro ὄρνις Φασιανικὸς juxta ARISTOPHANEM, ὄρνις Φασιανὸς juxta POLLUCEM, ein Faſan/ un FAISAN.

Avis eſt ſylveſtris, ut loquitur SCHWENCKFELDT, ſeu peregrina e Gallorum genere, perpulchra, plumarum pennarumque varietate & ſplendore mirabilis. Roſtrum ei craſſum, elevatum, pollicis lati longitudine, coloris carnei. Vertex capitis eleganti micat cinereo. Inter aures & roſtrum ad latera macula eſt coccinea, nigris punctulis variegata. Supra hanc & probe roſtrum viridis color elegantiſſimus totum collum occupat. Colli pars prope pectus fuſco aureo & viridi colore adornatur. Hunc alba ovalis macula percurrit. Alæ & dorſum totum fere ferruginei coloris ad rufum vergentes. Pectus & Ventriculi regio iisdem cum collo coloribus, ſed obſcurius coruſcant, prope anum & in femoribus ex ferrugineo fuſceſcit. Cauda dodrantes duos longa, inæqualis ex pennis ſedecim coloris cinerei ad latera ferruginei. Tibiæ & pedes cinerei, digitis membranulis intertextis & unguibus fuſceſcentibus. Femina mare deformior eſt, colore fere coturnicis.

Sunt Phaſiani aves non ita ſalaces ut perdices & paſſeres. In libidinem aguntur menſe Martio aut Aprili. Fœtificant ſemel in anno. Pullos excludunt ſpatio 20. aut 26. dierum, alii dicunt 30. Juxta ARISTOTELEM ova Phaſianorum punctis ſunt diſtincta. Quidam Phaſianina ova Gallinæ villaticæ incubanda committunt, ut una matrix ova quindecim cooperiat.

Veſcuntur Phaſiani fructibus, baccis granis ſeminibusque & avena quam maxime delectantur.

Aves ſunt ſimplices & ſtolidæ. Nam capite in terram immiſſo & abſcondito, totos ſe latere arbitrantur. Sunt & φίλαυτοι. Ideoque dum ſuam admirantur pulchritudinem capi ſe prius ſinunt quam aufugere queant.

Sunt

Sunt qui dicunt Phaſianos infeſtari pediculis, & inde perire, niſi ſe pulverent & pediculos abigant.

Aves hæ hodiernis temporibus a Regibus, Principibus, Comitibus atque Magnatibus in Aviariis tum domeſticis tum ſylveſtribus aluntur. Coelo pluvioſo abdere ſe ſolent.

GALENVS dicit CARNEM PHASIANORVM & quoad facilitatem concoctionis & quoad ſucci bonitatem Gallinarum carni ſimilem eſſe, ſed ſaporis ſuavitate illam ſuperare dicit. Certum autem, juxta SEBIZIVM, eſt Phaſianum Gallinis ſicciorem eſſe. Exercetur enim magis, & in liberiore ſiccioreque aëre vivit. Vtplurimum enim in ſylvis degit. Caro ejus facile conficitur: optimum generat ſanguinem, claros producit ſpiritus: potenter nutrit: durabile præbet alimentum: vires egregie reficit. Ideoque extenuatis, convaleſcentibus, debilibus & ægre cibos concoquentibus cibus eſt convenientiſſimus: præſertim ſi Phaſianus ſit juvenis & aliquandiu in aëre ſuſpenſus. Magnatum & olim fuere & hodie ſunt fercula.

FEL PHASIANI viſum acuere dicitur ocúlaribus remediis mixtum.

ADEPS tetanicis matrici ſuffocationi & renum affectibus prodeſt.

ADEPS TURTURIS.

Eſt Turturum tum domeſticorum tum ſylveſtrium pinguedo.

Carnes

TURTUR a ſono quem edit denominatur teſte ISIDORO: Græce dicitur τρυγὼν ἀπὸ τοῦ τρύζειν, ein Turtel-Taub/ Turtel a voce, vel

vel ut GAROPIUS derivat, ein Turtel-Taube quaſi Trutel-Daube/ a verbo Troutelen/ quod idem eſt, quod blandiri & omnibus modis & geſtibus conari cuiquam placere & proprie id facere ſuaviis & amplexibus, quod in turturibus docemur. Præterea & ſonus ejus hac voce quodam modo exprimitur, & ſignificat fidei excellentiam, quæ in turturum conjugio tanta eſt, ut merito princeps fidei dici poſſit, Trau/ Trau fidem notat. Traut/ Trauet/ idem quod conjugio copulat. Et excellentiam denotat. Hinc Tourtel-Taube/ Troutel-Taube quaſi Traute-Taube. Gallis TURTUR dicitur TOURTERELLE.

Sunt domeſtici & ſylvatici turtures. Turtur ita a SCHWENCK-FELDT deſcribitur. Minimus eſt in Columbarum genere colore fere Liviæ ſed dilutiore (ſeu cinereo) in pectore præſertim, cui in dorſo ſuperficie tenus ferruginei ſeu ruffi quiddam elucet. Pars prona ventris candicat. Collum torquis ambit retro aterrimus, viridibus maculis eleganter ſplendens, ante vix conſpicuus. Femora tibiæ ferruginea. Pedes rubore nitent. Uropygium fuſcum ſeu coloris fumati. Ungues breviuſculi, nigri, parum adunci. Roſtrum tenue ut Columbæ, obſcure cæruleum. Reperiuntur & turtures candidi præſertim in locis frigidis & nivoſis.

Turtures ſunt campeſtres & monticolæ, amant loca ſolitaria & ab hominum conſortio remota. Amant & ſabuloſa. Morantur fere ſemper in montium jugis & arborum verticibus. In his etiam nidulantur. Nidum ex virgulis ſuper ramos arborum colligunt & ſuſpendunt. Victus tamen quærendi cauſa etiam deſcendunt. Nam & ad hortos & ad agros ſe conferunt. Hyeme ſe condunt aut ad tepidiora diſcedunt loca. Diſcedunt nec apud nos hybernant. Volant gregatim cum accedunt & cum ſuo tempore abeunt, Adventu ſuo tempus vernum prænunciant.

Turtures Græcis τρύζειν quibusdam στένειν, Latinis gemere dicuntur.

Et caſtus Turtur atque Columba gemunt.

VIRGILIUS quoque dicit

Nec gemere aërea ceſſabit Turtur ab Ulmo.

Garruli

Garruli ſunt turtures, ut ait ÆLIANUS, non ore ſolum ſed etiam poſtica parte obſtrepunt. Hinc natum proverbium, turture loquacior.

Fœmina uno mare contenta vivit, nec alterum recipit. Incubant ambo mas & fœmina. Fœmina bina parit ova, cum plurimum tamen terna. Pariunt vere nec plus quam bis, atque ita ſi prior fœtus corruptus eſt. Frangunt enim ova mares avium complures. Sed licet tria interdum pepererint ova, nunquam plus duobus pullis educant. Aliquando etiam unum tantum. Reliquum ovum ſemper irritum eſt & urinum. Coëunt turtures trimeſtres & fœtificant. Pariunt fœtus cœcos. Oſcula columbarum more ante initum permiſcent; hocque inter eos, qui ſunt profectæ ætatis eſt, perpetuum. Juniores vero non raro ſine oſculis coëunt. Caſti ſunt turtures; ſi contingat alterutrum mori conjugum, qui ſuperſtes eſt a ſecundis abſtinet nuptiis, & quod reliquum vitæ eſt, ſine conjuge traducit, ſolusque volat; & quamplurima ſpecimina, moeroris plena, edit; omniaque facit, quæ ad luctum, viduitatem & ſolitudinem exprimendam ſpectant. Frondenti ramo non amplius inſidet. Ex liquido fonte non bibit, ne conſpecta in aqua imagine ſua conjugis eſſe arbitretur, novosque inde dolores concipiat. Itaque ſiccos eligit & areſactos ramos, aquamque antequam bibat pedibus turbat. Poteſt tamen & hic applicari, Nulla regula eſt ſine exceptione.

Ad annum octavum vitam extendere dicitur. In hypocauſtis & intra ædes diutius aſſervatur, ubi ſæpe ova parit, eaque excludit.

Amant merulas, cum ignario (πυραλλίδι) pugnant. Locus enim paſcendi victusque idem illorum eſt. Pugnant etiam cum Chloride luteo & ab eodem occiduntur.

Amicitiam colunt cum Pſittaco atque Pavonibus. Helleboro, quo columbæ intereunt, impune veſcuntur, malo punico trito perimuntur.

Anas

Carnes habent neque duriſſimas neque pravo ſucco vitioſas, neque concoctu difficiles. Ipſarum vero durities, ſi mortuo uno die aſſervetur, facile vincitur, fiuntque friabiles omnes atque inculpatæ. Bene alunt ac probum ac me-

diocre gignunt alimentum, ſanguinem laudabilem humore atque calore temperatum procreant. In pretio olim fuiſſe teſtatur MARTIALIS inquiens;

Dum pinguis mihi Turtur erit, Lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe, perdere nolo famen.

& JUVENALIS

Cariturus Turture magno
Mullorumque jubis

tanquam de delicato ac pretioſo cibo loquitur, quod etiam PLAUTUS confirmat in MOSTELLARIA

Non poſſunt omnes tam ſacetis quam tu vivis victibus,
Tu tibi iſtos habes, Turtures, piſces, aves.

Dyſentericis in cibo PLATINA præſcribit, TRALLIANUS tympanicis. GALENUS inter euſtomachos numerat. A nonnullis ejus caro peſtilentiæ tempore laudatur.

SANGUIS oculis cruore ſuffuſis eximie prodeſt & ad oculorum ictus cruentos efficax.

FIMUS Albugineas extenuat & ad oculorum ictus cruentos utilis.

TURTUR USTUS calculos per urinam exturbare dicitur; cum maſtiche præſertim aſſatus, toſtus, & pulveriſatus, contra nimiam hæmorrhagiam uterinam, imo contra dyſenteriam valet. Doſ. a ʒß. ad ʒj.

Si

Si fluxus ventrem nimium inveſtaverit ingens,
Turtur combuſtus terque quaterque juvat.

AXUNGIA ANATIS.

Eſt anatis domeſticæ pinguedo ſatis calefaciens & penetrans.

Caro

Anas nomen apud Latinos accepit a natationis aſſiduitate, ut loquitur ISIDORUS, velut VARRO habet a nando. Græci νῆτταν, ἢ νῆσσαν vocant παρὰ τὸ νήχειν ἢ νήχεσθαι quod natare ſignificat. Germani marem, qui major & ſpecioſior eſt Ant-Vogel/ Entrich/ Galli Canart appellant; fœminam quæ minor minusque formoſa Endte/ Cane, vocant. Sunt duplices Anates domeſticæ atque feræ. Hic de domeſticis ſermo. Anas Domestica nominatur νῆττα νῆσσα ὄικυρος, παπίζα, ein zahme Endte / ein Hauß-Endt/ Canart ou Cane Domestique.

Eſt Anas avis gregalis amphibia in terra & aquis degens palmipes lacuum & amnium amans, ita ut etiam domi in ædibus privatis natare in ſtagnis factitiis geſtiat. Variant Anates colore. Quædam albæ, nonnullæ cinereæ, aliquæ mixti pennarum coloris. Mas major eſt fœmina & haud raro colore magis vario. In his ultimis mas ima ſummaque corporis parte colore cœſio gaudet. Pennas alarum aliis aſperſas coloribus, præcipue tamen purpureo nitentes habet. Collo capitique viridis ineſt ad nigredinem tendens. Medium collum ambit candidus circulus, Roſtrum latius. Pedes rufi & lati ad natandum apti. Fœmina varia ſed cinereis & nigris albisque maculis diſtincta. Inter marem & fœminam hoc quoque eſt diſcriminis, quod ille plumas verſus caput ſurrectas habeat.

Vorax eſt ales: πάμφαγος, fere, ut pene omnia, quæ ſibi occurrunt, ingurgitet. Deglutit autem libenter lenticulam paluſtrem, quæ ob id herba anatina a CRESCENTIO nuncupatur; interanea animalia in plateas conjecta, piſces, ſordes aquarum, gramina, radices, ave-

nam, araneas &c. Sordibus imprimis delectatur, maxime & roſtrum cœno immittit, ac quicquid reperit ingurgitat.

Valde clamoſa avis eſt, unde PYTHAGORAS eam nonniſi locis ab hominum frequentia ſemotis ali voluit. Anas garrire quibusdam dicitur, Germanis tetſchen & nonnullis ſchottern audit. Vocatur anas a SCALIGERO quiritatrix: ab ALCIATO garrula, ab Authore PHILOMELÆ tetrinire perhibetur,

In fluviisque natans, forte tetrinnit avis.

Mas vocem habet raucam & tenuiorem, fœmina craſſiorem.

Non eſt altivola ut Anas fera: In terra & aquis ſeſe continet. Tardigrada eſt & pede ſegnis: aptior ad natandum, quam ad gradiendum ob corporis craſſitiem & pedum brevitatem. Hinc poëta

Non velox pennis, & pede ſegnis anas.

In aqua quam in terra verſatur lubentius. Gaudet aquis fluviorum & difficulter absque iis vivit, præſertim cum cibis ſiccis nutritur. Natat velociter. AUSONIO remipes audit, quoniam pedibus pro remigiis utitur: ratio eſt quia planipes. Natura duce undas petunt. Vix egreſſæ ex ovis aquam amant & natare incipiunt, etiam illi pulli, qui a Gallinis excluſi, mox ab ortu aquis innatant. Viſa enim aqua in eam inſiliunt, fruſtra revocantibus & glocientibus gallinis. PLINII verba hac de re ita ſe habent. Super omnia eſt anatum ovis ſubditis gallinæ atque excluſis admiratio. Primo non plane cognoſcentis fœtum, mox incertos incubitus ſollicite convocantis, poſtremo lamenta circa piſcinæ ſtagna, mergentibus ſe pullis natura duce.

Libidinoſum animal eſt & congreſſum capitis agitatione indicat. Mares duo vel tres unam fœminam inire certatim non verentur: Mirum quod amoris ſocios ferre poſſint, cum nec gallis, nec anſeribus nec columbis id eveniat. Interdum mares tanto libidinis fervent æſtu ut gallinas etiam invadant, licet non deſtituantur propria ſpeciei fœmellis. Ova pariunt plura haud raro prope ſtagna, paludes aut alia loca aquoſa & incubatum abſolvunt diebus viginti ſeptem. Ova haud raro ſupponuntur gallinis, e quibus pulli orti primum

mum aluntur ab iis a quibus excluſi fotique ſunt, deinde eas (pulli nempe matres) relinquunt & effugiunt, ſequentes quam primum aquam quaſi naturalem domum, uti ſupra jam dictum.

Anates caput diu ſub aqua tenere poſſunt, tum ut hoſtium injurias declinent, tum ut victum in profundo quærant. Ingenioſe inſidias rapacium avium vitare norunt aut potius eludere. Videntes enim hoſtes ſe perſequentes illico ſub aquis ſe occultant, ſub iisque natant, ut ex improviſo alio in loco emineant, idque tamdiu faciunt, donec hoſtis defatigetur.

Anates pennas roſtro purgantes ventum præſagire dicuntur, ſicut & pluviam imminentem ſignificare putantur, cum alas concutiunt & ſub tecto latere amant. Cum frequentes congregantur aut ſe ſæpius lavant merguntque futuros creduntur denunciare imbres. Sideritide ſe purgat ut anſer.

Anates pediculoſæ fiunt ut anſeres, ſed pediculos fugant ablutione crebra. Odium inter eas & aquilam avesque rapaces.

Anates paſſim in pagis, villis & urbibus aluntur, præſertim, ubi aquæ, paludes ac flumina, quibus gaudeut. Nam ſine his difficile vivere poſſunt.

ANSER

Caro anatum calida eſt craſſa, excrementitio humore referta, pravi ſucci, concoctu difficilis, præſertim annoſarum. Juniorum melior: earum maxime, quæ prius biduo enectæ quam comedantur: quæ aſſæ, quæ denique extra urbem in aprico prope flumina paſtæ. Nam urbanæ, ut SEBIZIUS docet, peſſimæ, quia veſcuntur rebus ſpurciſſimis e culinis ſcilicet in vicos ejectis: cœno item, luto, piſcibus exanimatis & putrefactis, araneis, rubetis &c. inſuper in fœtidis cloacis eſcam captantes ſordibus & purgamentis ſaturantur. Durior earum eſt caro quam anſerum & columbarum. Debili & delicato ſtomacho non prodeſt: Illum quippe gravat, quia digeri facile non poteſt. Tarde inſuper deſcendit. Si tamen a robuſto ventriculo probe co-

quatur, alimentum præbet durabile. De earum partibus præferendis ita MARTIALIS canit,

Tota mihi ponatur anas, ſed pectore tantum
Et cervice ſapit, cætera redde coquo.

Caro hæc melancholicum ſuccum gignere dicitur, & febres facile procreare: at multi dicitur eſſe alimenti, auget ſperma & coëundi libidinem. Inſuper vocem acutiorem & clariorem reddit, flatus tollit & torminoſis in cibo prodeſt. Pulli anatini apud quosdam non in parva habentur Epularum gloria. Conveniunt anatum carnes autumnali & hyemali tempore: Conveniunt & validis robuſtisque hominibus & qui in aſſiduis laboribus atque exercitiis vitam agunt.

Jecur altilium anatum etiam ſaginatarum tantam gratiam minime habet in menſis, quam anſerum.

Quod ſi ANAS circa poſteriora deplumata ventriculo imponatur ſedet colicam, uti docet SCHROEDERUS & ETTMULLERUS confirmat, ſed ſedato dolore & finita colica anas moritur.

SANGUIS anatum vi alexipharmaca gaudere creditur. Recens aut ſiccus epotus medetur omnium animalium venenatorum morſibus. Sanat morſum viperarum.

STERCUS ANATUM morſui animalium venenatorum imponitur.

ADEPS, AXUNGIA ANATUM, Endten-Schmaltz/ AXONGE DE CANART ou ANATIS, calefacit, humectat, emollit, digerit, reſolvit, mordicationes interiores corporis & dolores maxime etiam laterum ſanat. In artuum

tuum dolore & affectibus nervorum frigidis prodeſt. VRSINVS de anate dicit.

Mulcet adeps nervos, & ſanguinis viſcera ſiſtit: per clyſterem ſi injicitur dolorem colicum ſedat.

AXUNGIA ANSERIS.

Eſt Axungia Anſeris domeſticæ ſubtilis, volatilis atque admodum penetrans, pinguedinem ſuillam calore, ut ita loquar, ſuperans.

ANSER

ANSER DOMESTICUS a verbo χάινειν & χανδὸν ἐσθίειν ab oris hiatu & voracitate, χῆνα, GANZA veteribus aut GANSA. TAUBMANNUS inquit

Miraris ganzam, Plinius author habet.

eine Gans/ eine zahme Gans/ OYE ou JARS. Prædicatur autem nomen iſtud de mare, qui proprie Ganſer & Ganſerich/ & de fœmina, quæ Ganß appellatur. Eſtque generis maſculini, ſi de mare dicatur; fœminini vero ſi proferatur de fœmina. ANSER apud Latinos nomen ſuum ſortitus eſt a ſono gutturis teſte VARRONE, vel ut ISIDORUS vult, ab anate cui ſimilis: aut a natandi frequentia; Delectatur enim aquis, quibus innatare ſolet.

Avis eſt notiſſima & domeſtica, nam de hac hic ſermo, gingriens, robuſta, timida, natationi magis quam volationi dedita, uti SPERLINGIUS definit. Vulgo tam nota eſt avis ut deſcriptione non multum indigeat. Anate major eſt; roſtro & pedibus rubentibus, coloris albi, cinerei, nigricantis, varii.

Sunt anſerum genera aliquot. ARISTOTELES ponit majores & minores. Recentiores Ornithologi domeſticos & feros tradunt, de primis autem uti dictum hic ſermo eſt.

Coëunt Anſeres in aqua; Pariunt vere, aut ſi bruma coiverunt poſt

poſt ſolſtitium. Pariunt prope 40. bis in anno, ſi priorem fœtum Gallinæ excludant. Alia plurima ova 16. pauciſſima 7. Si quis ſurripiat, pariunt donec corrumpantur. Aliena ova non excludunt authore PLINIO. Tricenis incubant diebus, & incubant tantum fœminæ, quæ, ut cœperunt, nunquam intermittunt, ſed perpetuo fovent incubitu. Viſum eſt, inquit ARISTOTELES quasdam juvenes, quæ nondum coiverunt, ova parere ὑπηνέμια. A coitu aqua ſe ingurgitant: ut gallinæ inhorreſcunt & ſe excutiunt: ut Columbæ caudam diſtendunt.

Sunt Anſeres σαγανόποδες, palmipedes, planipedes ſive latipedes, habentque inter fiſſuras pedum membranoſum corpus quod digitos pedum connectit. Talibus pedibus utuntur loco remigiorum, quia ſunt natatrices. Gregales ſunt Anſeres non ſolitarii. Verecundi ſunt & cauti. Verecundi quia non ita crebro ut anates & gallinæ, nec quavis anni parte coëunt, ſed raro & in aqua ſolum: qua & ipſa poſt coitum ſe luſtrant. Cauti, quia noxia ſibi ſentiunt & vitant, quæ profutura avide amplectuntur. Norunt quoque ſuis mederi incommodis. Sunt acceptorum beneficiorum memores: grati ergá altores ſuos, ſeduli in excludendis & educandis pullis, quos ſummo proſequuntur amore Vigilantes ſunt: inſidias a longe præſentiunt; ſomnos habent leves; Facillime enim expergiſcuntur & ad minimos ſtrepitus excitati clangore incolas ædium excitant. Pugnaces ſunt ſuique corporis & alarum robori fidunt, ita ut etiam cum aquilis & falconibus dimicare non vereantur. Voraces ſunt. Abblandiuntur cibum adferentibus. Nutriuntur herbis, frumentis, oleribus, Quicquid ferme offendunt, devorant & in terris & in aquis. Hinc & ruſticis imprimis grata avis, tam quia magni fructus quam quia parvi oneris eſt.

Vox illis juxta VIRGILIUM ſtrepere, juxta PLINIUM clangere, juxta Authorem PHILOMELÆ gratitare, juxta alios GINGRIRE. Juxta POLLUCEM παππάζειν aut juxta quosdam πλαταγίζειν. Juxta Germanos ſchnattern. A gingrire derivatur gingritus das Schnattern. Iterum iterumque hunc ſtrepitum edunt, cum vorant, cum bibunt, cum ambulant, cum volant. Hinc conventiculum mulierum anſerum more blaterantium vulgo forum anſerinum ein Gänſe-Marckt appellant. Garruli namque ſunt Anſeres: raro

quippe

quippe ſilent, aſſidua garrulitate & clangore valde importuni. Hinc forſan dicti improbi VIRGILIO: canori a CATULLO: ſtriduli a PAMPHILIO: clamoſi ab ALBERTO MAGNO. Habent voces diſtinctas anſeres, & alio modo accedentes, alio diſcedentes, alio peregrinos, alio familiares excipiunt. Diverſi illi clamores aliud nihil quam ſigna latentium affectuum ſunt. Quod nobis vox articulata, illis inarticulata præſtat. Inſolito garritu & clangore pluvias præſagiunt.

Multi ex oſſe pectoris ante ſolſtitium hyemale colligunt, quam ſæva ſit futura hyems & quamdiu duratura. Si pectoris os clarum eſt eſis carnibus, hyems erit rigida. Si ſpiſſum & opacum nix plurima hyemsque tepida ſequetur: fides eſto penes authores, inquit SPERLINGIUS.

Delectantur anſeres alimentis frigidis, ſoncho, lactuca aliisque. Animal eſt timidum anſer & ad quemvis ſtrepitum exhorreſcit. Sed cum commodo aliquo conjuncta timiditas eſt, quia præcavet pericula imminentia. Pro pullis autem dimicat animoſitate maxima. Tum pectoribus ſe percutiunt anſeres, alis diverberant, roſtris hærent, clangoribus increpitant. Simplex & ſtulta eſt avis parum habens ingenii. Fœminæ hominem minus ſapientem, prudentem anſerem vocant, ein kluge Ganß.

Et verſus eſt,

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

redditur.

Es flog ein Ganß über den Rhein/und kam Gigack wieder heim.

Proverbium porro eſt. Bibente Anſere uno, bibit & alter, hoc eſt, quod unus ſtultorum facit omnes faciunt.

Sympathia anſeribus & amor eſt cum pavonibus & gallinis, odium & inimicitia cum Milvis, Falconibus Vulpibus, Lupis &c. purgant ſe ſideritideque, madmodum & anates & aliæ aves aquaticæ authore PLINIO.

Reperitur in omnibus pene regionibus Europæis. Raro ſe humo

attollunt. Si volant, volant cum difficultate ob corporis gravitatem, neque in altum elevantur. Volant autem exporrecto collo. Vivunt in aquis & in terra.

Anſer aquis gaudet, ſylvis aper, aëre falco.

Bene natant neque absque aquis facile degere poſſunt. Pedibus valent, hinc quondam pedeſtri itinere in longinquas venere regiones.

Vivunt ſatis diu. GRATAROLUS ſcribit vivere annos 20. ALBERTUS MAGNUS annos 60. ſpiritum ducere refert; quod videtur ἄπιστον, ut ait SEBIZIUS.

Singulis maribus tres olim deſtinabantur fœminæ, quinque aut ſex hodie. Solus anſer ex pedeſtribus a cane rabido morſus, rabie non corripitur ſi NIPHO credendum. Laborant pituita, quam pimpinella avertunt. Corripiuntur φθειριάσει morbo pediculari. Sed pediculos abigunt pedibus, roſtro & crebro in aquis natatu. Pullis eorum urtica contacta mortifera, nec minus aviditas, nunc ſatietate nimia, nunc ſuamet vi, quando apprehenſa radice morſu ſæpe conantes evellere ante colla ſua abrumpunt.

In anſerum genere monſtra quandoque occurrunt; folia Lauri ne in extrema quidem fame attingunt, Rhododaphnes ne coacti quidem edunt.

Dictum ſupra fuit, quod anſer ſuo clangore pluviam præſagiat, addendum, quod cum frequentius clangit & aqua inſperſa plaudibundus ſe perluit tempeſtatis immutationem prædicat.

Afferunt plurimi, quos inter PLINIUS, Anſeres citius cæteris animalibus odorem hominis præſentire. Hæc anſerum odoris præſtantia movit homines rebus ſuis adhibere cuſtodes, ut clangore ſuo proderent hoſtium vel furum adventus. Romani anſeribus alimoniam e republica decreverant, quia Gallis Capitolium conſcendere volentibus excitarunt vigiles. Hinc LUCRETIUS.

Hu-

Humanum longe præſentit odorem
Romulidarum arcis ſervator, candidus Anſer,

& OVIDIUS

Canibusque ſagacior Anſer.

ANSER utiliſſima avis eſt, ſive vivat, ſive ſit jugulata. Viva pullos & ova nobis ſuppeditat ad victum: plumas ad culcitras & pulvinaria: pennas alarum majores, quæ calami dicuntur, ad ſcribendum & exprimendum animi conceptus &c. Jugulati & Medicinæ & Culinæ inſerviunt Anſeres. Culinæ corpore, quod aſſum præſertim menſis apponitur. Juxta GALENUM CARO eſt excrementitia, humida admodum juxta HIPPOCRATEM, craſſa AVICENNÆ, concoctu difficilis PAULO. Quo anſeres ſunt annoſiores eo ſicciores, duriores, craſſiores & concoctu difficiliores ſunt. Viſcera obſtruunt; hincque ortas febres inducunt, idque hanc quoque ob cauſam, quoniam pravum ſuccum gignunt. Qui ætatis ſunt mediæ & bene ſaginati laudabili pabulo, meliores ſunt, quia teneriores & inter cupedias habentur. Pulli Anſerini etſi circa feſtum Pentecoſtes magni apud nos fiant, inſalubres tamen ſunt, ut SEBIZIUS docet, quia mucoſi & excrementitia carne referti. Anſerum ſale conditorum & fumo maceratorum, ut in quibusdam germaniæ regionibus fieri conſuevit, caro ſiccior quidem eſt, ſed durior & ad digerendum rebellior: Alvum ſtipat, vaſa oppilat, craſſis halitibus caput implet; ſitim creat, materiam calculi ſubminiſtrat. Fugienda cumprimis Melancholicis naturis & quæ facile in febres cadunt. Alæ a quibusdam commendantur quod ſint carnoſæ & pro-

pter frequentem motum minus excrementitiæ. Hepar ſive jecur Anſerinum dicitur ſuaviſſimum, potenter alens, ſucci optimi, dejectu haud difficile & concoquenti ventriculo obediens. Sapit autem tum maxime cum pabula anſerum lacte ſunt imbuta. Hepar fartilibus in magnam creſcit amplitudinem.

LINGUAM ANSERIS ſtranguriæ ſeu urinæ difficultati peculiari quadam proprietate mederi perhibetur. Quidam ſcribunt, quod eadem exſiccata & in pulverem acta utiliter ſumatur ab iis, quibus invitis effluit urina. GALENUS iis linguam anſerinam in cibum dari ſuadet, puta quolibet die unam linguam & hunc eſum triduo continuare.

ANSERIS STOMACHVS, ſtomachicis, inteſtina cœliacis, cor & pulmo Phthiſicis judicio KYRANIDIS confert. Adde quod hepaticis hepar proſit, uti habet VAN DEN BOSSCHE.

TESTICVLOS anſerum comeſtos juvare ad generationem quidam credunt, forſan idcirco Priapo & Veneri conſecravit Anſerem profana antiquitas.

Ad compeſcendam diuturnam dyſenteriam propina ægroto ovi anſerini cocti putamen tritum minutiſſime; quantitate drachmæ dimidiæ cum vino: quod ſuadet GALENVS.

Recentiores quidam CINEREM PLVMARVM ANSERIS adverſus calculum commendant.

Anginæ illico ſuccurrere dicitur FEL ANSERINVM, SANGVIS anditotis miſcetur.

PEDVM TVNICA EXTERIOR ſiccata, in pulvere, loca frigore uſta & exulcerata ſanat, Agricolarum uſu.

OVA

OVA ANSERINA craſſioris ſunt eſſentiæ & ægre digeruntur, gravem habent odorem & faſtidium pariunt, mali ſucci. A pauperibus in cibum ſolummodo frixa recipiuntur.

AXVNGIA ANSERINA, Gänß-Schmaltz / AXONGE D'OYE ou ANSERIS multi eſt uſus. Eſt enim (verba ſunt ETTMVLLERI) præ reliquis ſpeciebus ſubtilior volatilior & penetrantior, adeoqúe admodum reſolutiva & diſcuſſiva exiſtit. Interne cum pomo aſſato aſſumpta valde convenit in emollienda alvo nimis obſtructa. Externe ad alvum infantum nimis conſtipatam purgandam quidam recipiunt teſtam nucis juglandis mediam, eamque implent cum pinguedine anſerina, & applicant umbilico, ſimulque abdomen illinunt ea pinguedine & tunc poſt paucas horas alvus etiam contumaciſſima egregie ſolvitur,

℞. Pomum aſſatum, ſubigatur cum pinguedine anſerina & in forma linimenti craſſioris abdomen hiſce illinatur & alvum reſerabunt.

Confert in ſpecie ad rimas & fiſſuras labiorum. Porro, quia ſubtilis eſt hæc pinguedo, pedibus & manibus inuncta has partes præſervat contra frigus externum, præſertim ſi frigori expoſitæ ea illinantur, ut vult STARICIVS. In affectibus nervorum paralyticis, in ſpasmo nervisque rigidis ac contractis multi uſus eſt; unde fotus vel vapor ex pinguedine anſerina receptus in paralyſi ſcorbutica Weſtphalorum eſt experimentum, qui ſæpius tali corripiuntur; coquunt illam bene cum aqua & fotum ſeu vaporem recipiunt cum membro paralytico ex ſcorbuto: penetrat enim potenter, & ita tollit paralyſin ſcorbuticam. Vnguentum paraliticum mediante aſſatura ex Anſere ſimplicibus nervinis infarcto paratum habet BARTHOLETVS; qualia linimenta

menta hinc inde etiam videbitis apud Practicos, ubi de paralyſi agitur imprimis in RIVERII & SENNERTI praxi. Modus parandi hic eſt.

Exenteretur abdomen, repleatur plantis nervinis uſualibus, unguentis & medullis appropriatis, & aſſetur, ſub aſſatione defluit pinguedo virtute plantarum impraegnata, quae praemiſſis praemittendis ceu expertum nervinum illinitur membris paralyticis cum ſucceſſu.

Pinguedo Anſerina probe purgata vicem unguenti armarii in curandis vulneribus ſubire poteſt, uti vult SCHMUCK in CURAT. MAG. MAGN. Laudatur quoque in aurium vitiis curandis, quod SERENUS SAMMONICUS his verſibus declarat.

Si vero obtuſa ſenſus remoretur in aure
Lumbricos tere, deinde coquas ex Anſere Sebum,
His habitis, veterem poteris depellere morbum.

Inſtillata auribus earum dolorem lenit. Si auricula vitiata fuerit, adipe anſerina infuſa expurgabitur diligenter & reſtituetur priſtinae ſanitati. Idem ſi ictu caſuve vitiata ſit, adeps anſerina diligenter expurgata levique igne liquefacta, infuſa auriculae dolorem ſedat & vitium perſanat. Ad aurium inflammationes in ſuperficie cutis ex humorum impreſſione aut plaga obortas item tumores ac rubores tolles hoc modo. Adipem anſeris & lac muliebre miſce, vel adipem bubulam cum anſerina, mixtaque aequis partibus, auri inſtilla; ut tradit APOLLONIUS apud GALENUM. Ad ſedis ardores mitigandos inungito partes uredine calentes recenti adipe anſerina vel appone in modum emplaſtri ex praecepto GALENI. Sanat porro uteri dolores & eroſiones & alopeciae

prodeſt

prodeſt eadem adeps. Anſeris adeps utilis quoque eſt ad reſolvendam quamcunque duritiem; Hinc tubera & quæcunque emolliri opus eſt, efficaciter hac adipe curantur. Et pinguedo illa, quæ diſtillat ab anſere dum aſſatur, valde quibusdam approbatur pro inunctione ſcrophularum. Si aqua aurem intraverit præcipuum remedium Axungia Anſeris. Labiis fiſſis prodeſt. Unguentis quæ laſſitudines & fatigationes tollunt & malagmatis additur. Rigor cervicis perunctione hujus adipis velociſſime curatur. Plebecula ea pinguedine butyri loco cibos condire ſolet. Puerperæ quædam butyro in cibis præferunt.

STERCVS ANSERINVM calefacit & exſiccat vehementer: adeo calefacit, inquit SCHROEDERVS, ut & gramina, in quæ deciderat, urat, unde & a GALENO inutile judicatur: incidit interim, aperit, menſes ſecundinam & urinas potenter movet. Hinc maximi uſus in morbo regio ſcorbuto, hydrope, cum cochleari urinæ Capræ vel Vituli deſtillatæ, continuarique poteſt uſus ejus in dies aliquot. Tuſſi quoque mederi perhibetur. In ſpecie exſiccatum hoc ſtercus, pulveriſatum & ad ʒj. exhibitum tanquam ſpecificum antiictericum celebratur BARTHOLETO, ſive ſit ſtercus anſerum adultorum, ſive etiam anſerculorum juniorum. Vi nitroſa ſulphurea mire commendatur & bilem corrigit, in ſpecie verno tempore menſe præprimis Majo collectum. Efficacius autem erit, ſi anſeres prius veſcantur herbis antiictericis, ut Chelidonio majore, anſerina ita dicta, quia illius eſu valde delectantur anſeres &c. Non vero ad icterum ſolum ſed & ad ſcorbutum optimum eſt remedium in vino frequentius hauſtum, vel ſub forma pulveris vel decocti. Stercus anſerinum per urinam valde pellit aquas, unde hydropem curare ob vim nitroſam probabile

bile eſt. Anſerem album curſu tam diu defatiga donec, reddat excrementum, hoc calidum paronychiis impoſitum mire curat Poteſt ex hoc ſtercore per deſtillationem ſal volatile & oleum craſſum elici. Juniorum anſerum ſtercus menſe Aprilis & Maji collectum deſtillatum per alembicum ſuggerit aquam , quæ vocatur aqua ophthalmica Imperatoris Maximiliani contra quoscunque oculorum affectus, nebulas, ſuffuſiones diſutiendas, dolores viſus imbecillitatem lippitudinem &c. commendatur, clarificat enim viſum ejusque aciem acuit. Præfertur ſtercus viridiuſculum verno tempore collectum & moderato calore ſiccatum.

Candidorum præſertim Anſerum alterum , ut cum SEBIZIO loquar , vectigal in pluma. Velluntur quibusdam in locis bis in anno : rurſus plumigeri veſtiuntur : mollior, quæ corpori quam proxima, der Pflaum audit.

AXUNGIA ARDEÆ.

Eſt Ardeæ majoris minorisve pinguedo.

CARO

Unde Ardea nomen ſuum apud Latinos acceperit, dubitatur. ISIDORUS autumat , nuncupatam fuiſſe quaſi arduam propter altos volatus. Formidat enim inquit imbres & ſuper nubes volat , ut procellas nubium ſentire non poſſit. ALBERTUS M. ſuſpicatur dictam eſſe ab ardendo, quia fimus ejus exurit id, quod contingit. Probant hoc equidem ex eo , quia rami arborum, in quibus nidificat, proluvio ventris ejus infecti exſiccantur & quaſi aduruntur. GESNERUS ſuſpicatur, factam hanc vocem eſſe a Græca ἐρωδιῷ & quidem per ſyncopen excisa ſyllaba media. Ἐρωδιὸν vero dictum putant, quaſi ἑλωδιὸν, eo quod avis iſta, quam alii etiam , ut ÆLIANUS & SERVIUS , Diomedeam appellant, τὰ ἕλη paludes & lavie amet. Sunt qui latius evagantur & derivatum

ἐρωδιῷ

ἐρωδιῶ nomen arbitrantur a voce ἔαρ quæ ſanguinem notat quod verno tempore ſanguis abundet & a verbo ἰδίειν quod eſt ſudare. Ardea namque in coitu exſudat ſanguinem ut ARISTOTELES & PLINIUS tradunt. Dicitur etiam ἀρδιόλη, Ardeola, TANTALUS ein Reiger / Reycher / Reger / Reigel / Herr-Ganß. HERON.

ARISTOTELES tria deſcribit Ardearum genera, ſed dantur plures, ſequentes videntur eſſe frequentiores ex SCHWENCKFELDTO.

ARDEA SUBCÆRULEA, ARDEA PELLA, PULLA, CINEREA ein Aſchenfarbieger Reyger / ein blauer Reyger / ein grauer Reyger. Longitudo a pedibus ad roſtrum extremum cubitorum duorum latitudo expanſis alis trium, colore dilute cœruleo. Vertex capitis & alæ ſuperiores obſcurius cœruleæ. In collo & in ventre juxta uropygium albicat, collum ei longum. Roſtrum acutum ſeptem digitorum fuſcum ſuperius inferne flavet. Pedes ſpithamæ longitudine ex fuſco cœrulei, digitis fiſſis, quorum exteriores duo utrinque tunica modice junguntur unguibus nigris ſplendentibus, medio utroque falcis inſtar ſerrato, quo piſciculos facilius apprehendere poſſit. Mas in vetrice capitis pennas fere dodrantales ſubcæruleas, ternas(ut plurimum, rarius plures, retro extenſas conditas habet, quos partus tempore abjicit magni valoris, Reygerfedern. Victum quærit ad fluvios & piſcinas, ubi piſciculos non ſine deſiderio adnatantes devorat. Quidam pro certo aſſerunt, Ardeas hac vi pollere, ut ad pedem, ſi in aquam impoſuerit, tanquam ad illicium quoddam ſeu ad eſcam frequentes piſces adnatent, quibus ultro accurrentibus & devoratis famem ſolentur. In denſis ſylvis non procul a ripis aut piſcinis, ſuper arbores altas gregatim nidificat.

ARDEA NIGRA, ARDEA, μελανοκύχνος, ARDEA PULLA, ein ſchwartzer Reyger. Æqualis eſt cæruleæ magnitudine. Tota nigra præter alas ſuperiores, quæ cœruleæ viſuntur.

ARDEA CANDIDA, ἐρώδιος λευκὸς, λευκερώδιος, ARDEA ALBARDEOLA, Weißer-Reyger minor eſt ſubcærulea, roſtro latiuſculo recto, coloris pulchri. Tota candida eſt: alæ ſuperiores paululum ad cæruleum inclinant, cumulum pennarum ut cæteræ in capiſe gerit: rarius occurrit: paſcitur in paludibus, lacu, campis & pratis.

ARDEA RUBRA, ARDEOLA LITTORALIS ein Todter Reyger/ Sand-Reyger. Magnitudo eſt cornicis roſtro fuſco iiij. digitos longo. Pedes phæopæi digitis fiſſis. Caput acutum parvum, collum longum. Color dorſi rubicundus ventre obſcure candido. Alæ ad cæruleum vergunt remigibus pennis nigris. Per medium collum & pectus linea candida, digitum fere lata a mento ventrem verſus excurrit, Oculi flavent. In arboribus altis nidificat, piſciculis & omnis generis paluſtribus inſectis veſcitur.

ARDEA STELLARIS ἐρώδιος ἀςερίας, ὄκνος, ARDEA PALUSTRIS vel ARUNDINUM, ARDEA STELLARIS, PIGER cognominatus, BOTAURUS, ASINUS BUTORIUS, TAURUS, quod bovum mugitus imitetur, Ein Moos-Reyger/ Rohr-Reyger/ Moos-Ochſe/ Moos-Kuh/ Rohr-Trumm/ Rohr-Drummel/ quod inter arundines exiſtentes velut claſſicum cieat & mugitum bovis imitetur unde etiam bos paluſtris atque aquaticus dici ſolet. Gallicè BUTOR dicitur: Corpus ei tenue, tanquam pulli gallinacei fere. Alæ ut gallinarum: Color per totum corpus varius, ſubflavus nigris maculis ſplendentibus denſiſſime reſperſum. Vertex capitis niger. Alæ colore lateritio & nigro punctatim diſtinguuntur, roſtrum fuſcum, acutum, longum. Crura longiſſima ex viridi lutea. Ungues adunci, longi; maxime qui calcis vicem gerit longitudine ſeſquiunciam ſuperat. Cauda breviſſima. Collum longum mire plumoſum obtinet, quod contrahere & extendere ſolet. Irritata mire inflatur ac intumeſcit, roſtroque ſe munit. Ægre evolat niſi prius ſalierit. In paluſtribus degit & arundinetis paſſim occurrit: ſolitudines amat. Boatum edit poſt occaſum ſolis & interdum nocte tota uſque ad ſolis ortum. Reliqua enim diei parte fere conticeſcunt. Edunt autem iſtum ſonum roſtro paluſtri terræ inſerto. Eſt boatus iſte pluviæ prognoſticum, & ad dimidium fere milliare exauditur. ARISTOTELES ſcribit ſtellares ardeas pigras eſſe atque inertes. Signum forſan eſt, quia Ornithologi referunt, eas non cedere inſidias ſtruentibus nec ſe loco movere, niſi plane appropinquarint aucupes. Tunc enim ſe aut abdere in juncis & arundinibus, aut in aquas immergere ſolent. Verſantur enim circa paludes ut ſupra jam dictum & maxime circa piſcinas. Nam ex venatu piſcium ad ripas paludum, lacuum amniumque

vivunt.

vivunt. Aiunt quoque aves eſſe ſtolidiſſimas. Agi namque poſſe in retia facillime etiam ab equo factitio. Veſcuntur piſcibus non minoribus ſolum verum etiam grandioribus ut anguillis. Venantur & cochleas atque limaces. Autumno ſylvas adit & mures captat, quos integros devorat. Nidum intertexit arundinibus. Ova parit quatuor vel quinque Majo, Iunio, & Julio. Excluſos pullos mater ſub alis fovet.

Dantur adhuc aliæ differentiæ Ardearum, dum aliæ ſunt majores & minores, aliæ criſtatæ, aliæ criſtis carentes. Criſtæ autem, ut habet SEBIZIUS, ſunt pennæ oblongæ iu capitibus earum eminentes retrorſum reflexæ. Hic ſermo potiſſimum eſt de Ardea pella.

Pellæ coitus, ut ait ARISTOTELES, difficilis eſt. Vociferatur enim mas & ſanguinem ex oculis emittit cum coit, parit etiam ægre fœmina magnoque cum dolore, ſed falſo, ut JONSTONUS aſſerit. Vidit ſæpe coëuntes ALBERTUS, cruribus ſuper dorſum fœminæ flexis, ita ut pedes maris ad caput fœminæ ſint, & genua verſus excrementi ſedem ſuper dorſum, & tunc motu alarum ſe ſuſtinent, locum conceptionis fœminæ contingunt, ac ſemen infundunt.

Arduum habet volatum Ardea, unde & dictam ardeam putant, ut ſupra jam monitum. Volat autem collo contracto, non ut anſeres. Gregatim non volat, licet gregatim nidificet. Pullis enim ejus inſidiantur accipitres & aliæ aves rapaces. His igitur reſiſtere ut poſſint, ſemper Ardeæ complures ſimul circa nidos verſantur.

Clangens avis dicitur. Differt vero clangor hic ab Aquilæ clangore. Gravior enim Aquilæ clangor eſt, levior Ardeæ.

Ardea præſagit tempeſtatem. Cum caput pectori imponit, cum altum volat, cum plus ſolito obſtrepera eſt, cum mediis in arvis aut arenis triſtis reſidet. Infirmum enim, ut SPERLINGIUS loquitur, corpus habet & ob raritatem cutis ab effluviis in aëre hærentibus facile afficitur. Hinc dolorem variis geſtibus prodit & futuram tempeſtatem vitare conatur, Imminente tempeſtate multo cum clangore avolat. ALDROVANDUS ſupra nubes ſeſe efferre ſcribit, dum inquit; Profecto longe magis in

eo animali admirandum eſt, quod imminente pluvia ſupra nubes evolet, ac ſi plane calleat a nubibus pluvias oriri, qua in re cæteris avibus multo prudentior eſt, quæ quidem futuras jam jam pluvias optime præſagiunt, ſed eas vitare nequeunt, quod facit ardea cum ſupra nubes pluviæ fomenta quam altiſſimo volatu ſeſe effert, ut inter alios pleroſque authores teſtatum reliquit VIRGILIUS.

Notaſque paludes

Deſerit, atque altam ſupra volat Ardea nubem,

Ardeam amant cornices, odio habent (ut loquuntur vulgo) Aquilæ, Accipitres, Falcones &c. Inimicam etiam vulpem habet, a qua comeditur. In pugna ardeæ & accipitris multa fiunt admiratione digna. In maximis anguſtiis ardea anum opponit accipitri, & excrementis pennas iſtius conſpurcat: quaſcunque attigerit, corrumpuntur & comburuntur. Excrementum autem per alvum egerunt liquidum & fere crudum. Quando Aquilas & Accipitres fugiunt, in ſublime volant, & dimicatione quam cum illis habent, nobile & jucundum intuentibus præbent ſpectaculum. A Falcone depreſſa Ardea roſtro ſub alis condito ac ſurſum elato, irruentem excipit. Sæpe ambæ eliſis interaneis humi affliguntur enectæ. Gratæ ſunt Ardeæ erga parentes, ut Ciconiæ: eos enim exacta ætate alunt, nullis humanis legibus juſſæ ſed ſola naturæ bonitate. Ex Ardearum venatu cum falconibus præſertim, Principes & Magnates magnam capiunt voluptatem. Ab AGRICOLA inter eas aves numerantur Ardeæ, quæ calidiora loca quærunt, confecta hyeme ad ſolita revertuntur. Pulli volandi compotes ultra citroque commeant, deinde domicilia repetunt.

Caro Ardearum, licet ſapidior tenerior ſitque gruum, tamen & ipſa fibroſa & dura eſt Subolet etiam quid piſciculenti, niſi bona condiatur præparatione, probeque maceretur. Pectore autem cumprimis placet. Pro ætate aſſatur

diutius

diutius: panificiis etiam includitur. Pullorum caro præfertur quia tenerior. Nocere hæc caro iis dicitur, quibus hæmorrhoides fluunt.

Quæ de roſtri ſeu in pelle aſinina fronti alligati, ad ſomnum conciliandum, ſeu cum Cancri felle in eadem ad vigilantis collum ſuſpenſi PLINIUS vel KIRANIDES tradiderunt, inter fabuloſa merito reputat JONSTONUS.

AXUNGIA ARDEÆ, Rengerſchmaltz/ AXONGE de HERON, proſtat venalis in officinis. Illita podagricos lenit dolores, cum axungia Coturnicis oculorum nebulas diſcutit & viſum clarificat. Inſtillatur auribus male audientibus. Piſcatores hac axungia utuntur ad ineſcandos piſces, hamos ea aut etiam manus inungunt.

℞. Farinæ hordei, Carn: Cancrorum ex chelis & caudis, placentæ Lini expreſſo oleo ana p. i. Vitell. ovor. num. iij. Pingued: Ardeæ, ol. Laurin. an. ℥iij. Camphor: Petrolei ana ʒij. Croc. ℈j. fiat mixtura, qua inunguntur hami piſcatorum. Eſt enim hæc mixtura Illicium piſcium, & piſces mire alliciuntur.

AXUNGIA CATI SYLVESTRIS.

Eſt felis ſylveſtris Axungia albicans inſtar aliarum axungiarum.

CARO

γαλῆ ἄγρια, Catus Sylvestris, Felis Sylvestris, ein Wilde Katz / ein Baum Reuter/ Un Chat Sauvage.
Major eſt domeſtico Cato, pilo ex ariſco fulveſcente ſed variato, nigritie undulatim intermixta. Feroces admodum ſunt & truculenti,

Vivit in montibus & ſylvis ex captu murium avicularum, lepuſculorum &c. Arbores ſcandit prædæ gratia. Aliquando retibus Leporibus tenſis capiuntur, frequenter bombardarum globis impetuntur.

COTUR

CARO mollis & humida eſt, qua quidam in cibo utuntur capite & cauda abſciſſis

PELLIS, Wilder Katzenfell/ mollis & pinguiuſcula, præparatur a pellionibus ad calefaciendum ventriculum frigidum, appetitumque excitandum, inſtar ſcuti ſtomachici, verum oculos debiliores offendit. Arthetici articulis imponunt.

AXUNGIA CATI SYLVESTRIS, Wilder-Katzenfett/ Axonge de Chat ſauvage, calefacit, emollit, diſcutit. Ad contracturas & articulorum effectus reponitur: haud contemnendi uſus. Efficaciſſimum dicitur remedium in colica, in cujus paroxyſmo graviori guttæ quædam liquefactæ, & umbilico inſtillatæ egregiæ ſunt: ſexus tamen ratio habeatur, ita ut recipiatur maſculus pro mare & fœmella Cati pro fœmina, uti refert HILDESHEIM. In Epilepſia pariter eſt certiſſimum remedium abdomini illita. Refert namque Brunnerus, quod ex felis Sylveſtris fœmella inuncta axungia umbilico fœminæ epilepſiam curet. Sin ex fele ſylveſtri maſculo, ſanet epilepſiam maſculi, & hoc confirmat SCHMUCK in CURAT: MAGIC. MAGNET: dicens: Res mira: axungiam felis habita ſexus ratione, ſtatim inunctam umbilico epileptici, ſi curabilis ſit epilepſia, illam poſt ejus uſum brevi ceſſare, ſin vero ſit gravis, ita ut exinde mors ſuperveniat, brevi poſt epilepticos interire. Contra atrophiam axungia Cati ſylveſtris reliquis pinguedinibus præfertur externe illita, quoniam impedit, ne membra

ulte-

ulterius contabeſcant ſed potius illorum nutritionem adjuvat. Hæc potiſſimum ex SCHWENCKFELDTO & ETTMULLERO deprompta ſunt.

AXUNGIA COTURNICIS.

Eſt Coturnicum adeps æſtivo præſertim tempore, dum pingues exiſtunt, detracta. De

COTURNICEM SALERNITANI ficta voce QUISQUILAM alii QUALEAM a cantu: Latini COTURNICEM itidem a cantilena, quam in agris & caveis canit, appellant. Græcis ὄρτυξ eſt, quod primum in Ortygia inſula viſa authore ISIDORO. ATHENÆUS notat Delum inſulam ab Achivis Ortygiam fuiſſe nuncupatam, quoniam coturnicum greges ex Pelago delati in ipſam Inſulam volant, quæ commodum iis portum præbet. Germani hanc avem Wachtel/ nominant; Galli CAILLE.

Avis eſt Perdici fere ſimilis ſed multo minor. Roſtrum ei breve, nigrum, craſſiuſculum. Oculi lateritii coloris, pupilla nigra minutiſſima. Crura ſubrubra, digiti quatuor, unguibus fuſcis. A roſtro ſupra oculos & aures linea inſignis longitudinis ad cervicem uſque excurrit, ſub qua circulares aliquot maculæ, ſeu lineæ potius, albæ nimirum binæ, tres nigræ alternatim poſitæ ſunt. Collum rufum plane albis intercurrentibus lineolis. Pectus & venter albida. Supina ejus pars ferme nigricat, albis oblongis deorſum tendentibus lineis. Fœmina ferme teſtacei eſt coloris, ſuperius ad cervicem, dorſum, caudam & alas; Ad mentum & pectus ſublutei, ad ventrem fere albi. Roſtrum fuſcum & pedes luteſcunt. Tota minor mare & pennulis ſeu capillis ſupra roſtrum, ac macula nigra mento ſubjecta maris caret. Ita JONSTONUS & SCHWENCKFELDT avem hanc deſcribunt.

De Coturnicis natura & ingenio ita ex authoribus diſſerit SEBIZIUS Sunt aves perdicibus in multis v: g: libidine, victu, volatu, habitatione, nidorum conſtructione, incubatu, pullorum educa-

educatione, pugnacitate valde ſimiles. Nidum ſibi non faciunt. Nam quibus volandi facilitas deeſt, iis nidus non prodeſt. Facta igitur in aprico area (alibi enim nunquam pariunt) & materia, ut vepribus quibusdam congeſtis, quo ab accipitrum aliarumque avium rapacium injuriis ſint immunes, ova edunt, incubantque. Ubi pullos excluſerumt, eos protinus educunt, propterea quod volatu ſuo cibum illis ſubminiſtrare nequeant. Pullos aliquando colligunt ſub alis ut gallinæ. Non eodem in loco pariunt & incubant, ne quis locum tandem inveniat pulloſque venetur. Sunt Coturnices æque ſalaces ac perdices. Mas unus multis ſufficit fœminis coitumque reiterat ſæpius. Quando fœminas vident, aut vocem earum audiunt, ſemen emittere dicuutur. Refert namque ALBERTUS MAGNUS, fœminas in hoc Avium genere eſſe raras, mares multos. Ideoque ſemine abundare, & quia non ſemper occaſionem habent coëundi, illud diutius retinere, retentum evadere acrius & avem ad ſui excretionem ſtimulare. Fœminæ ova pariunt dena, duodena, quindena fere, Columbinorum aut Corvinorum Ovorum magnitudine, cinerea maculis purpuraſcentibus reſperſa. Pullos excluſos incubando fovent prodeuntes diſcunt & ſubinde transferunt, ſecundum MANTUANI,

Sedula per ſtipulas tenera cum prole Cooturnx.
Paſcitur, & magna natorum examine Perdix.

Volunt nonnulli Coturnices quotannis ſobolem procreare quater: ſcilices bis in illis regionibus, ad quas abeunt, cum a nobis diſcedunt: & bis quando nobiſcum degunt. Prolem etiam prius editam, antequam nobis valedicant, generationi operam dare. Quæ cauſa eſt, quod tantus illarum numerus obſervetur, licet multa millia capiantur. Perhibent Menſe Majo Coturnici incubanti inſidiantem: ſpem centum & amplius perdere. Pugnacitas, quæ avibus duræ pennæ communis in coturniclbus adianthi uſu accenditur. Pugnant autem ut perdices cum venereis agitantur ſtimulis.

Loca amant campeſtria, & primum in ſegetibus viridibus, deinde maturis, tum earumdem ſtipulis latitant, in quibus etiam capiuntur, mediantibus reticulis viridibus, illectæ fiſtulis ex oſſe & corio confectis, Volant raro, & quando volant, difficulter volant, propterea in terra ſuam

ſuam habent reſidentiam. Unde PLINIUS eas terreſtres potius quam ſublimes aves appellavit. Compenſavit autem Natura volatus defectum velocitate pedum. Currunt enim velociter. Hinc Currelii a quodam dicuntur.

ARISTOTELES mares tantummodo vult eſſe vocales, fœminas vero mutas. Recentiores utrasque canere exiſtimant. Cantum illarum multi magnifaciunt, & quo pluries illum repetunt, quem Schlagen appellant, eo nobiliores & generoſiores illas eſſe arbitrantur. Hinc caveis illas includunt, ut cantum audiendi ſit occaſio. Quidam tamen cantum earum contemnunt, quod uniſonus ſit, ſicuti Cuculi. Sapientes olim pro gnomone utebantur, quod verum cantu ſuo horoſcopi emerſum ſignare crediderint, cum in eo certum numerum ſervet.

Campeſtribus Coturnices delectantur locis, in ſegetibus virentibus & earum ſtipulis poſt demeſſas ſegetes latitantes. Paſcuntur rebus variis, præcipue vero milio & granis frugum. Paſcuutur quoque vermiculis, & ſeminibus. Milio, tritico & aqua pingueſcunt,

Migratorias eſſe aves, omnes, ALBERTUM ſi excipias, concedunt. Apud nos enim non hybernant, niſi paucæ locis remanſerint apricis. Alteræ Auguſto, alteræ Seprembri menſe abire incipiunt. Cum maria tranant, impetus differunt, & metu ſpatii longioris vires ſuas nutriunt tarditate. Ubi terram perſentiſcunt, coëunt catervatim, deinde globatæ vehementius properant, quæ feſtinatio (verba ſunt SOLINI & PLINII) exitium portentat navigantibus. Accidit enim plerumque noctibus, ut vela incidant & præponderatis ſinubus alveos invertant. Alii autem hoc ipſum dicunt eſſe vix credibile nec tantam ſimul volare multitudinem veriſimile, cum nonnullo corporis pondere & vento apto deſtitutæ, in locis apricis & tepidioribus remaneant. In agrum Neapolitanum tanto numero ex Africa quandoque propelli perhibentur, ut glomeratim ſæpe in ædes maritimas incidant, & ſine ulla difficultate capiantur. Cum ceciderint h. e. cum ſe demiſerint, ſi ſerenum ſit aut aquilonium tempus, ſociantur & proſpere degunt. Sed ſi Auſtrinum moleſte: propterea quod parum volent. Humidus enim Auſter eſt, Aquilo contra ſiccus. Quamobrem qui aucupantur, Auſtrum non Aquilonem obſervant. Cum hæc adeunt loca, ſine Ducibus pergunt; at cum hinc abeunt

Ducibus Lingulaca γλωττίδι, Matrice ὀρτυγομήτρα, Oto ὠτῷ & Cychramo avibus nocturnis proficiſcuntur: a Cychramo noctu revocantur: cujus vocem cum ſenſerint aucupes, diſceſſum parari perſpiciunt.

OPPIANUS & PLINIUS dicunt coturnices adverſo flatu ponduſculis lapidum appenſis aut gutture arena repleto ſtabilitas volare, & cum mare transvolant, ſingulas ternos ore lapillos ferre, ſingulos per intervalla dimittere, ſicque utrum maria tranarint obſervare; ſed hoc ſuſpectæ admodum eſt fidei. BELLONIUS in naves lapſas aperuit, & milium duntaxat reperit, lapidum non oblíturus ſi aliquos inveniſſet.

Genus coturnicum unum eſt, niſi quod, velut in aliis etiam avibus fieri ſolet alicubi albæ conſpiciantur, quæ tamen coloris diverſitas ſpeciem minime mutat.

Epilepſia coturnices laborare aſſeritur.

CUNI-

De CARNE Coturnicum haud levis eſt apud artis procreres diſceptatio. AVERROES illam ſtatuit temperatam, ad caliditatem tamen paulo propenſiorem, ſubſtantiæ tenuis optimique ſucci, adeo ut putet ſanis ac convaleſcentibus cibum eſſe ad bonam valetudinem accommodatiſſimum. Cujus ſententiæ ſubſcribunt quidam alii, qui carnem illius turturis carni æquiparant facilisque digeſtionis eſſe aſſeverant. At GALENUS, PLINIUS & AVICENNA contra ſentiunt. GALENUS in Doride, Boeotia & Theſſalia omnibusque vicinis regionibus plurimos ex eſu coturnicum in ſpasmum incidiſſe refert. Et quosdam etiam Athenis eodem affectu correptos aſſeverat, qui coturnicibus largius ſe impleviſſent. Cauſam hujus rei in Veratrum ſive Elleborum refert, quo Coturnices paſci ſolent. Unde AVICENNA ſuadet, quod ab eſu illarum abſtinendum ſit: idque non tantum propterea, quod alantur elleboro, ſed etiam

etiam quod ſubſtantiæ illarum talis inſit facultas oculta, quæ ſpasmum & tetanum inducere poſſit. PLINIUS menſas damnaviſſe coturnices duabus de cauſis memorat : tum quod veneni ſemen illis ſit cibus gratiſſimus. Venenis enim pingueſcere ait , tum quod comitiali corripiantur morbo, quem ſolæ (quod falſum) inter animalia præter hominem ſentiant. Nos, inquit SEBIZIVS, ab AVERROIS ſtamus partibus carnesque noſtratum coturnicum εὐχύμους eſſe perſuaſum habemus ſequentibus de cauſis. 1. Quia apud nos non Elleboro ſed frugibus ac potiſſimum milio alimento ſalutari & hominibus quoque conſueto paſcuntur. 2. Quia in locis apricis cultis & ſiccis degunt. 3. Quia campeſtres cum ſint, crebro exercentur, hancque ob cauſam ſicciores minusque excrementoſæ evadunt. 4. Quia hactenus non obſervatum homines noſtris in regionibus, in quibus tamen coturnicum uſus ſolet eſſe frequentiſſimus, ex illarum comeſtione vel in ſpasmum vel in epilepſiam incidiſſe. 5. Quia ſingulari Dei beneficio Iſraëlitis olim in deſerto conceſſæ, quod factum non fuiſſet, ſi adeo eſſent noxiæ. 6. Quia aſſæ & frugibus ſaginatæ, quales eſſe poſt meſſem ſolent, odore placent , ſapore gratæ ſunt & avide a ventriculo expetuntur: quo nomine coquuntur felicius: vertuntur in bonum ſanguinem , fiuntque utile alendarum partium nutrimentum.

BAPTISTA FIERA noxam Coturnicum ſequentibus exprimit verſibus.

Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo
Sive coturnices, ſive voces Qualeas.

Senſibus hæc mala ſunt tenebriſque replentia fuſcis
Ventri inviſa, malis febribus exitium.
Si tamen ulla tuos circumvolitaverit orbes
Cæna tibi non ſit, ſed leve prandiolum.

Melius & rectius cecinit GRAPALDVS.

In pretio ſum nunc olim damnata Coturnix,
Vox, nomen, pretium dat ſapor ipſe mihi.

Comeduntur plerum aſſæ.

COTVRNICIS COCTÆ juſculum ventrem emollire ipſamque comeſtam renes curare dicit KYRANIDES.

GALENVS ad morbum comitialem efficax hoc remedium ſcribit; Coturnicum cerebrum ex unguento myrtheo tritum, ſtanneo vaſi imponito, & cum quempiam morbo comitiali correptum videris eo faciem illinito: admiraberis enim hujus naturalis efficaciam, nam ſtatim ægrotus exurget.

OVA genitalibus inuncta voluptatem inducere & pota libidinem augere perhibentur. HOEFERVS in HERCVLE Medico ceu ſingulare antepilepticum commendat Ova Coturnicis, ſi exſiccata & pulveriſata ad ʒß. adhibeantur.

ADEPS in ſole deſtillatur ad oculorum maculas: cum pauco helleboro aut radice pyrethri ad vim amoris excitandam pudendis membris inungitur.

EX.

EXCREMENTA Coturnicum helleboro veſcentium ſingulari quadam proprietate conferre Epilepſiis quidam dicunt.

Inter amuleta perhibent, inquit FUMANELLUS, Coturnicum oculum collo geſtatum, tertianam auferre & quartanam. Addit KYRANIDES ophthalmiam quoque ſanare. Hiſce adjiciam, dicit VAN DEN BOSSCHE, riſu magis quam fide dignum, quod refert GEBER, nempe cor Coturnicis maſculæ a Viro geſtatum & feminæ a femina animos continere pacatos, ut nec jurgia, nec lites inter illos oboriantur.

AXUNGIA CUNICULI.

Eſt Cuniculorum tum cicurum, tum agreſtium pinguedo.

PLINIUS

CUNICULUS dicitur a Cuniculis, quos ſub terra fodit & inhabitat. Græcis dicitur κύνικλος γεώρυχος, λαγιδὴς, σύναξ, δασύπους. LEPUS MINOR, LEPUS PARVUS, LEPUSCULUS, ein Küngle/ Kunigelein/ Königlein/ Caninichen/ LAPIN.

Eſt animalculum Leporini generis ſed minus, coloris albi, nigri, in cinereo fuſci, leporini aut varii, nonnunquam candidi, nigris aut rutilis maculis ſtellati, cætera lepori non abſimile. Brutum exiſtit libidinoſum, fœcundum, ſemiferum, cuniculos ſub terra agens. MARTIALIS ait

Gaudet in effoſis habitare cuniculus antris,
Monſtravit faciles hoſtibus ille vias.

Licet autem Cuniculus ad Leporinum genus referatur, attamen diverſas habent actiones, diverſasque operationes. Non corpore tantum minor eſt Lepore Cuniculus ſed & robuſtior eſt & audacior. Li-

cet enim natura ſua ſit timidus, irritatus tamen pugnat acriter. Tanta inter eos ſæpe pugnatur vehementia, ut dentibus pellem dilacerent & ad tempus bene longum pugnare continuent. Cuniculos agere nunquam viſus eſt lepus; quod tanta promptitudine præſtat Cuniculus, ut inde nomen tulerit. Curſu quoque Cuniculus lepore tardior eſt, non tantum pedibus, quantum animo valens. Recta ire via non amat, ſed flexuoſo utitur curſu. Pedibus poſterioribus terram pulſat atque ſonum ingratum excitat.

Vocem habet acutam ac tenuem. Murmurat etiam quandoque cum panem oblatum retrahimus, aut cum maſculus fœmellam inſequens illuditur. Nec manſuetum, nec ferum, ſed mediæ quodammodo naturæ eſt animal. Mane & veſperi egreditur ex antro, reliquo tempore fere latet. Et licet inhabitet ædes, non tamen manſueſcit adeo, ut tangi & portari poſſit absque offenſa.

Viſu non admodum valet, ſed plus auditu. Et cum timidum ſit animal ad quemvis ſtrepitum exhorreſcit. Magno igitur conatu fugam capit, ne pereat in periculis. Locum, ſi quid in eo periculi ſenſerint, deſerunt, migrante vero uno reliqui quoque gregatim abeunt. Ruminare compertum eſt. Terram aſſidue fodientes ſpecus multifores ſibi parant. M. VARRO reliquit, in Hiſpania non incelebre oppidum in loco arenoſo ædificatum, adeo a cuniculis ſubrutum fuiſſe ut incolæ alio migrare coacti fuerint. Foveas in quibus ſtabulantur arena cooperiunt, ne a tranſeuntibus deprehendi poſſint.

Veſcuntur herbis, gramine, trifolio, braſſica, malva, oleribus, ſoncho Haſenköhl/ gramine tremulo Haſenbrod/ pomis, piris & aliis fructibus. Pane quoque delectantur maxime & pugnant acriter de oblato cibo. Noctu potius quam interdiu cibum capit, id quod de agreſti cuniculo potiſſimum intelligendum. EROTIANUS animal dixit λιμοποιὸν, annonæ faciens caritatem famemque inducens ibi ſcilicet, ubi inſignis Cuniculorum multitudo. Omnia enim depaſcuntur. Et brumæ tempore, quo nivibns operta eſt terra, arboribus & fruticibus haud parum damni inferunt, quod cortices eorum abrodant. Bibit aquam, ſed ſæpe dies aliquot abſtinet a potu.

CUNICULUS alius eſt MAS, alius FOEMINA, uterque appellatur Gallice LAPIN, CUNICULUS autem JUNIOR nuncupatur

tur LAPREAU. Nonnulli in hoc animantium genere tam marem quam fœminam parere fabulati ſunt. Libidinoſum eſt & admodum fœcundum animal. Quæ fœcunditas in cauſa eſt, ut brevi temporis ſpatio naſcantur innumeri; modo allegatæ quoque fabulæ hæc ipſa fœcunditas anſam dedit. Coire incipiunt Cuniculi menſe ætatis ſexto. Alii tradunt congredi anniculos. Pariunt ſingulis menſibus ut lepores, quorum fœcunditatem imitantur. Hæc fœcunditas adeo replet ædes ut maxima iis inferant damna. In Germania raro pariunt tempore brumæ; faciunt autem illud in regionibus calidis. Edunt catulos binos, ternos quinos ad ſummum novenos. Superfœtare etiam ſolent, ut Lepores. Matres in educandis catulis admodum ſunt diligentes & aſſiduæ. Lactant eos dies 21, ſi quis illos manibus tractet, adeo indignantur, ut eos vel deſerant, vel mordendo lædant, vel prorſus interimant. Mares interdum veneris agitati ſtimulis fœtus necant; & maxime tum, cum fœminæ educandis fœtibus intentæ eorum converſationem & congreſſum reſpuunt. Dicitur etiam, quod fœmellæ quædam ſtatim a partu mares requirant, & niſi admittantur, indignentur aliquando.

In Hiſpania ac Balearum inſularum ſylvis lucis ac nemoribus, item in Sicilia aliiſque regionibus ingens Cuniculorum copia.

Sylveſtres quidem & agreſtes ſunt natura; verum cum facili negotio cicurentur, factum ut in pagos & urbes importati mirum in modum multiplicati ſint & pro beſtiolis reputentur domeſticis a Regibus & Principibus aliiſque Magnatibus. Cuniculi ſylveſtres includuntur peculiaribus locis campeſtribus. Talis autem locus vocatur VIVARIUM CUNICULARIUM, ein Caninichen-Garten / un GARENE.

Capiuntur Cuniculi, qui in campis Cuniculos ſeu cavernas ſuas habent furonibus in cavernas intromiſſis, morſu enim, truſione, & pedum fricatione cogunt eos egredi & in obtenta retia incurrere.

Κύκνος

PLINIUS ſcribit fœtus ventre exectos, vel uberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratiſſimo in cibatu habitos fuiſſe dictoſque LAURICES; Verum ab uſu eorum abſtinendum eſſe cenſemus, inquit SEBIZIUS, propter mu-

mucoſitatem carnis cæterarumque partium. Placent magis, uti pergit modo dictus author, qui aliquantulum æſtate proceſſerunt. Sylveſtres altilibus præferuntur, utpote minus excrementoſi, minusque humidi. Altiles, qui domi noſtræ educantur, pinguiores quidem corpulentioresque ſunt, ſed ſalubritate longe inferiores. Sapiunt altilium carnes illud pabulum quo nutriti. Unde BOILEAU canit

Sur un lievre flanqué de ſix poulets etiques
S'elevoient trois Lapins, animaux domeſtiques,
Qui de leur tendre enfance elevés dans Paris,
Sentoient encore le chou, dont ils furent nourris.

Vetulorum Cuniculorum caro dura eſt & lenta ideoque ſucci mali & concoctu ægra, mediæ ætatis qui ſunt, des Lapreaux optime habentur; Carne enim conſtant tenera, probe nutriente, tali, quæ digeri poſſit facile; hacque de cauſa juxta quosdam etiam lepores bonitate ſuperant. Caro hæc raro elixatur, frequenter autem aſſatur & panificiis incruſtatur, obtinetque gratiam etiam in opiparis commesſationibus haud vulgarem.

CEREBRUM Cuniculi memoriæ obeſſe fertur quod Cuniculi inſidiarum, quas effugerunt, ſtatim obliviſcantur. Forſan propterea, ut ait SEBIZIUS, a cerebri iſtius uſu abſtinendum eſt, quia inſipidum eſt malique ſucci, lenti ſcilicet frigidi & glutinoſi & conſequenter obſtruentis. Cerebrum a quibusdam venenis reſiſtere perhibetur.

CUNICULUS totus exuſtus cum coſto medetur faucium inflammationibus.

PELLIS inſervit eodem modo ac Leporina.

AXUNGIA ſive PINGUEDO CUNICULI, Caninichen-

nichen-Fett/ AXONGE DE LAPIN; articulis & nervis induratis utilis, tumoribus quoque ſcirrhoſis confert.

ADEPS CYGNI.

Eſt avis illius generoſæ, candidæ, magnæ, quam Cygnum appellant, pinguedo.

Annoſi

Κύκνος a κυκᾷν a turbare, fodere, quod cœnum turbare ſoleat, dum cibum quærit: CYGNUS, CYCNUS quibusdam dictus videtur a canendo, eo quod carminis dulcedinem modulatis fundat vocibus: alias OLOR vocatur, quod, ut ISIDORUS derivat, ὅλος totus albus ſit: nemo enim nigrum Cygnum unquam obſervavit. Ein Schwan/ Oelb/ Oelbß/ CYGNE.

Eſt Cygnus aquaticarum avium ſpecioſiſſima & pulcherrima, generis anſerini, quia anſeri noſtro, pedibus, victu & ſibilo, quem tempore pugnæ edit, ſimilis, ſed anſere longe major, totus candidus: collo longiſſimo, pedibus latis nigerrimis roſtrum anterius nigrum, poſterius flavet, latum eſt & in extremitate obſcura eſt ſerratum, falcisq; in modum dentatum, corpus magnum eſt multa carne præditum, pennas habet molliſſimas.

Ales eſt ab Ethnicis Phœbo & Veneri dicatus: NIVEUS a VIRGILIO, flumineus ab OVIDIO, mollis a STATIO, plumeus, argenteus, innocuus, blandus & argutus ab aliis cognominatus. In magno honore habetur apud Magnates, aliturque in aquis, quæ palatia & arces alluunt. Amat enim loca aquoſa ſed & in terris degit.

Sylveſtres Cygni volant celerius: tardius qui Cicures facti & juxta hominum habitacula enutriti, quoniam ob magnam carnium molem graviores: utrique autem probe natant: velociterque flumina, aliasque aquas trajiciunt: verum difficilius ob pedum brevitatem & corporis gravitatem ingrediuntur. Malunt natare in aquis quam volitare in aëre. Natantes pedem alterum verſus caudam extendunt, ut illo tanquam velo utantur. Longius iter ſi abſolvendum

gregatim volant, gregatimque natant, & poſteriores caput imponunt dorſo anteriorum.

Cygnus drenſare dicitur. Sibilare quoque perhibentur, ſed cum anſeribus atque aliis vocem hanc habent communem. Paſcuntur Cygni herbis, radicibus, granis frugum, hordeo, pane. Carnibus non veſci dicitur cygnus niſi in pugna, ubi ex iracundia alter alterum devorat. Sunt qui etiam non eſſe piſcivoros volunt; aliis aſſerentibus piſces quoque devorare Cygnos; hoc certum quod ova piſcium ingerant.

OVIDIUS ita de Cygno canit.

Corpus habet gravius, nec ſe cœloque Jovique
Credit, ſed
Stagna petit patuloſque lacus, ignemque peroſus
Collumque a pectore longe
Porrigitur digitoſque ligat junctura rubentes:
Penna latus velat: tenet os ſine acumine roſtrum;
Grus gruit, inque glomis Cygni prope flumina drenſant.

Nidulatur in aquis Cygnus, in domibus ſi ſit domeſticus, in lapidibus juxta aquas, in paludibus prope herbas. Libidinis tempore colla mares applicant fœminis & fœminæ maribus, amplexandi gratia; poſt mutuos illos amplexus mas fœminam conſcendit. Ubi coierint mas conſcius læſam a ſe fœminam fugit illa impatiens fugientem inſequitur: at non diuturna hæc eſt eis diſcordia, noxa ceſſante reconciliantur: & fœmina maris perſecutione relicta, poſt coitum frequenti caudæ motu, roſtrum in aquis mergens ſe purificat. ALBERTUS MAGNUS dicit fœmellam poſt coitum euſque contriſtari, imo vero prorſus a cibo abſtinere, donec vivo ſeſe fonte abluerit, quod tamen cum grano ſalis eſt accipiendum. Semel tantum in anno parit, idque initio veris. Parit anno ætatis tertio, & ova quidem magna, oblonga, duraque obducta teſta. Quia plures & ſpecioſos producunt fœtus καλλίπαιδες & πολύπαιδες dicuntur. ARISTOTELES εὐτέκνους appellat.

Ingenium in volatu potiſſimum oſtendit. Roſtrato impetu feruntur,

runtur, facilius ita findentes aëra, quam ſi recta fronte incederent; a tergo ſenſim dilatante ſe cuneo porrigitur agmen, largeque impellenti præbetur auræ: colla imponunt præcedentibus, feſſos duces ad terga recipere dicuntur.

Quanquam totum corpus Cygni aliquam præ ſe ferat firmitudinem, præcipuum tamen robur in alis habet propter tendinum præſertim concurſum. Alas expandit ſæpius flante Zephyro. Exinde judicant nonnulli vocem Cygni non ore, ſed expanſis & a Zephyro inflatis alis effici. Hinc illud

Non canit aſſueta Cygnus vocalis in unda
Ni Zephyri ſpiret mollior aura ſibi.

Sed uti THOMAS BARTHOLINUS IN DISSERTATIONE DE CYGNO loquitur, hæc ſordent: neque enim ex complofione alarum veram reſultare vocem poſſe, ullus unquam docuit.

Fortis eſt Cygnus & corpore & animo. Pugnat cum Aquila & vincit quandoque. Plures Cygni unam Aquilam ſi adoriuntur ſuperant; Aquila unum Cygnum a cæteris ſeparatum ſi offendit, vincit atque unguibus diſcerpit. Aquila magnum cernens Cygnum aves minores dimittit. Unum enim Cygni corpus ventrem famelicum exſaturat melius, quam decem ac plura aliarum volucrum. Pugnam Cygnus nunquam incipit, ſed provocatus atque laceſſitus fortiter ſe defendit, unde Cygnos OVIDIUS appellavit innocuos, dum dicit.

Illic innocui late paſcuntur olores.

SCALIGER aſſerit, quod ſi Cygni ala pulſetur Aquila, de ea actum ſit. Cum reliquis avibus amicitiam colit Cygnus. Pertinent huc illi verſiculi

Pacis amans Cygnus mitis cupidusque quietis
Læſus at irarum fervidus eſſe ſolet.

Vitæ dicitur eſſe longiſſimæ Cygnus. Quod autem de ætate legi-

tur apud ÆLIANUM ducenteſimum nempe attingere annum incredibile videtur.

Pluvias expectabis, ſi rorem aquæ inſpergunt, ſi profundos eidem immergunt humeros, ſerenitatem.

Cygnus cum cantu & voluptate vitam degit, hinc a Græcis etiam ᾠδικὸς eſt appellatus. Ab HORATIO vocatur Canorus Ales, a VIRGILIO ſonorus, argutus, excellens, ſublime cantans; a Poëtis denique omnibus imprimis a MARTIALI inſignioribus multis frequentiſſime nobilitatur epithetis. Canere autem Cygnos affirmant plurimi, plurimi negant. Inter omnes aves Cygni ſuaviſſime occinunt inquit HYERONIMUS CARDANUS, quem SCALIGER falſitatis incuſat ut & eum ſecuti SPERLINGIUS, SCHOTTUS, KIRCHMEIERUS aliique. SPERLINGII verba ita ſe habent. Cygnum vitæ ſuæ finem noſſe, lætoque animo expectare, ac ſuaviſſima cantione funebre carmen ſibi canere credunt. Innumerabiles id ſtatuunt Authores. HOMERUS, PLATO, ARISTOTELES, CICERO, SENECA, VIRGILIUS, LUCRETIUS & alii: Laborioſiſſimus etiam ALDROVANDUS ob unanimem omnium omnis ævi ſcriptorum conſenſum & ob arteriam aſperam ad tubæ cantionem efformatam, dulce melos, præſertim morti vicinos cygnos cantare aſſerit. Sed nihil frequentius quam multitudine, quam authoritate decipi. Et quam omnium literis demandata hæc cantio eſt tam inaudita, nullius unquam audita fuit. Triſtia etiam ac placida, ac taciturna ante obitum fiunt animalia ſi aptiſſimum inſtrumentum, ſi tubam elegantiſſimam nacti ſunt Cygni, cur vigentes florenteſque conceſſis non utuntur bonis? Placent verba SCALIGERI ad CARDANUM. De Cygni vero, inquit, cantu ſuaviſſimo, quem cum mendaciorum parente Græcia jactare auſus es, ad tribunal Luciani, apud quem aliquid novi dicas, ſtatuo te. Multitudo ingens ad Caratonum fluvium. Quid dicam tibi? Anſeres ſunt. Sic SCALIGER Cygnum canentum cum crepitante & ſibilante anſere comparat. LUCIANUS, quem judicem conſtituit, nautas quæſivit an Cygni cantibus & modulis indulgeant? reſponderunt hi, ſe audiviſſe Cygnos, qui incomptam & inamœnam vocem ediderint. Adeo quidem ut corvos & graculos Syrenas eſſe confirmare poſſint. Hæc SPERLINGIUS. THOMAS autem

BAR-

BARTHOLINUS in DISSERTATIONE DE CYGNO alterius & contrariæ plane eſt opinionis, & tum ex veterum tum ex recentiorum monumentis & obſervationibus Cygnæam cantionem, das Schwanen-Geſang comprobare nititur. Ex priſcis adducit HOMERUM, qui dicit Κύκνος ὑπὸ πτερύγων λιγαέιδει. Cui EUSTATHIUS ut in aliis ita hac in re inſigniter favet, ubi ſic infit: experientia luculentiſſimus nobis teſtis eſt, Cygnos egregie canoros eſſe, τὸ ᾠδικοὺς εὐγενῶς εἶναι τοὺς κύκνους. OPPIANUM audiamus, qui in obſervando earum alitum cantu diligentiſſimus fuit. Ita autem ille in Ixevticis: Cygnis canentibus ſcopuli & valles reſpondent, omniumque avium imprimis Muſici feruntur, eoque nomine Appollini conſecrantur. Canunt autem non lugubri ut alcedines ſed ſuavi mellito cantu, veluti tibiis aut Cytharis exhibitis. CALLIMACHUS Θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί. Euripidi Μελῳδὸς καὶ ἱκέτης. VIRGILIUS

Argutos inter ſtrepere anſer olores

& modum cantus ita exponit

Longa canoros
Dant per colla modos

Idem de Vari nomine celebrando ita canit

Vare tuum nomen
Cantantes ſublime ferunt ad ſydera Cygni.

Sunt multi qui aſſerunt mori Cygnum non ſine claro & inſigni cantu. Ita OVIDIUS

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri, concinit albus olor.

porro,

Utque jacens ripa deflere coyſtrius ales
Dicitur ore ſuam deficiente necem.

SENECA in Hypolyto ita loquitur:

Candidas ales modo movit alas
Dulcior vocem moriente Cygno.

MARTIALIS in Epigrammatibus hæc habet:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator Cygnus funeris ipſe ſui.

STATIUS in eandem ſententiam abit, dicens:

Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes
Nec fati jam certus Olor ſævique marita
Thereos.

Et alibi

Non ego quas fati certus ſibi voce canora
Inferias præmittit Olor.

LUCRETIUS porro ita canit

Cum tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit,
Et gelida Cygni nece torti ex antro Heliconis
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Qui rationem addere volunt, dicunt præ lætitia Cygnum tum potiſſimum cantitare, cum proſpiciat quantus bonorum cumulus ſit in morte expectandus, vel ſaltem quantam moleſtiarum molem ſit relicturus. Ideo cum hora mortis inſtat, ſuaviſſime modulari incipit: ſicut de ipſo Græcus verſus

ὐ δύναται κύκνῳ κόρυδος παραπλήσιον ᾄδειν.

Unde Ægyptii ſenem Muſicum demonſtraturi cygnum pingebant,

bant, quod hic ſeneſcens ſuaviſſimum edat concentum. PLATO in PHOEDONE ita loquitur. Cygni, quia Phœbo ſacri ſunt, divinatione prædit, præſagiunt alterius vitæ bona, ideoque cantant, geſtiuntque mortis die alacrius quam ſuperiore tempore. CASPAR BARTHIUS, Olor, inquit, fatorum ſuorum neceſſitati jam proximus, qui ad ripam pellucidi fluminis conſidens mortem inſtantem ſumma cantus ſuavitate pronunciat & deplorat. Naturalem cauſam alii addunt, exiſtimantes natura id fieri, quæ ſtudioſa conſervandi ſui vitales omnes ſpiritus contrahit ad cor tanquam ad arcem vitalis præſidii ac roboris, ſed ubi natura fruſtra diuque luctata neceſſitati parere tantem cogitur, ſpiritus illi deſerta cordis ſtatione emergentes impetu quodam intrinſecus per annulares illos longiſſimi colli ambitus ad os ipſum ſonum quendam pleniorem efficiunt muſici cantus ſimillimum. Licet autem jam rationes hæ validæ non ſint, tamen non ſequitur ergo res tota falſa. Certe haud pauci cum ARISTOTELE adhuc cantionem cygneam defendunt. Aldrovandus tum ex mirabili aſperæ arteriæ ſtructura tum quod cygnus hieroglyphicum Muſicæ olim fuerit ſignum, tum quod Apollini, inventori Muſices aput paganos ſacer fuerit planum facit Cygnos canere. Adducit etiam virorum fide digniſſimorum teſtimonia qui in lacu Mantuano, in mari prope Londinum Angliæ metropolin & alibi ſuaviter cantantes audiverunt. Profert & teſtimonium Braſavoli, qui obſervaſſe ſe ſcribit, quod Cygni ſub vitæ exitum ſua funera celebrarint & quaſi ſibi ipſis næniam carmenque lugubre cecinerint. PAULUS MELISSUS SCHEDIUS francus vatum ſui ſeculi princeps, ſe dulciſſime cantantes Olores audiviſſe, ubi in foſſis aluntur & deinde adverſo Tameſi flumine cymba vectum verſus Londinum omni aſſeveratione affirmabat. Prope Londinum Angliæ emporium in mari agminatim læto occurſu & feſtivis cantibus ſubeuntes claſſes excipere cygnos atteſtatus eſt G. Braun. HENR. RANTZOVIUS, in Calend. Rom, & Oecon: ad menſ. April. de Cygni cantilena. Huic quidem a nonnullis parum habetur fidei: verum ita ſe rem habere teſtis ego oculatus, qui & meis auribus canentem audivi & ſtatim morientem vidi, affirmo, ſed id caſu. Quidquid enim de cantu Cygni dicatur,

tur, obſervavi diligenter fere non canere niſi verno tempore quo ſæpe in littore maris noſtri Hageſtædeni & Holbecani, tercentos ſimul concinentes vel potius inconditum ſtrepentes drenſanteſque audivi, ſuſpicorque tum ad coitum invitari a maribus fœminas, vel fœminas ova ponere, quemadmodum ſcimus gallum calcata gallina & gallinam ovum parituram crocitare. Alias prorſus mutos Cygnos reliquo anni tempore per fluvios & maria noſtra ferri obſervavi. THOMAS BARTHOLINUS, hoc bona fide affert, de Norwago quodam ſtudioſo GEORGIO WILHEMI, qui eundem quoque cantum ſuis hauſit auribus. Is aliquando forte fortuna in viridi & opaca ripa inambulans advolantes ibi Cygnos aliquot animadvertit & via quidem ſatis humili. Tum ille glandibus plumbeis expeditus ex eo agmine unum trajicit, deciditque iſte illico atque moritur; at ſuperſtites ſocii fato ſollicitos in orbem convolare, deſpicere, ſed & ſuaviter concinere, quaſi leſſum admodulantes, tanto quidem & tam dulci modulamine ut eſſet & ad videndum erectior, & ad audiendum incitatior Hiſtoriam hanc poſtea clariſſimis multis & eminentiſſimis viris ſerio enarravit. His jungamus Wormium qui in Muſeo ſuo hæc habet verba. Erat in familia mea juvenis honeſtiſſimus JOHANNES ROSTORPHIUS S. S. Theologiæ ſtudioſus, Norwagus natione, hic bona fide interpoſito juramento ſancte affirmavit, in tractu Nidroſiano ad littus maris ſummo mane, inſolitum ac ſuaviſſimum audiviſſe murmur, ſibilis ac ſonis jucundiſſimis permiſtum, quod unde aut quo pacto excitaretur, ignoraret & ſiquidem neminem vidit hujus modulationis authorem, undique circumſpiciens & jugum promontorii cujuſdam ſcandens vidit Cygnorum multitudinem infinitam, in ſinu maris vicino conglomeratam, harmoniam hanc modulantem, qua ſuaviorem in vita nunquam audivit. Ab Islandis quibuſdam meis diſcipulis percepi, nihil hac harmonia apud ipſos frequentius, iis in locis ubi Cygni ſunt. Quod ideo adduco ut præſtantiſſimorum autorum de hac cantione Cygnea non vanam eſſe relationem vel modernis experimentis comprobari conſtet. Dictum jam ſupra fuit, quod peculiari aſperæ arteriæ in Cygno ſtructuram inductus ALDROVANDUS hunc cantum aſſeruerit. Deſcribit hanc admirandæ ſtructuræ arteriam aſperam THOM.

BAR-

Bartholinus his verbis, Pro colli longitudine deorſum œſophagi comes protenditur, donec ad ſternum perveniat, in cujus capſulam ſe incurvo flexu inſinuat & recondit velut in tuto loco & theca, moxque ad fundum ejuſdem cavitatis delata, ſurſum reflectitur egrediturque anguſtias ſterni & claviculis mediis conſcenſis, quibus ut fulcro nititur, ad thoracem ſe flectit. In quibus autem iſta ſterni capſula ſive vitio naturæ, ſive ætatis deeſt, aſpera arteria, quia ſe huc inflectere non poteſt, recta brevior aliarum more incedit. Antequam autem thoracem & ibi ſitos pulmones attingat, prius laryngem quandam efformat cum oſſe hyoide lata membrana veſtito & muſicorum inſtrumentorum fiſtulam referente, ſuperius lata ſed anguſta rima, inferius vero anguſtior & depreſſior. Sub quo larynge ſive oſſe hyoideo antequam pulmones ingrediatur arteria in duos ramos divaricatur bronchiis non abſimiles, tumidiores in medio, ſed qua pulmonibus vicini magis ſunt anguſtiores. In quibus ab humana arteria differt, quæ quidem in ramos dividitur & bronchias, ſed nunquam, antequam pulmonum ſubſtantiam fuerit ingreſſa. Ex hac jam arteriæ aſperæ longitudine & ſtructura augurantur canere; alii autem reclamant & dicunt Plateam habere aſperam arteriam eodem modo efformatam nec tamen canoram eſſe avem, & capacitatem arteriæ propterea adeſſe, ut majorem copiam aëris capere poſſit, quoniam dum ita fundo aquarum cibos quærit, caput diu ſub aquis detinet, addunt, quod cum Cygni habeant roſtra compreſſa & latiora, ideo non inter canoras aves referendi ſint, cum aves talibus roſtris inſtructæ nullatenus canant. SEBIZIUS mihi optime rem decidiſſe videtur, dum dicit: Ego de re mihi incognita certi aliquid ſtatuere nolo.

Lutra;

Annoſi Cygni ſicut & aliæ aves aquaticæ majores CARNEM habent duram, excrementitiam & concoctioni rebellem. Quare ad lautiores epulas non adhibetur. Si adhibentur id non fit, quia ſapidi & ſalubres, ſed quia rari & pretioſi. Pulli tamen Cygnorum inter delicatos reponuntur cibos. Propterea, ſi haberi poſſunt, convivia Magnatum eſum eorum minime aſpernantur.

CYGNI PULLUS tener in oleo coctus nervis affectis medetur.

CYGNI ADEPS, ut loquitur VAN DEN BOSSCHE, medicus eſt reique medicæ multimode utilis, & primo quidem,ut PLINIO placet, faciem purgat, expolit, erugatque. Vulvarum etiam duritiem & collectiones emollit. Sedis etiam vitiis medetur efficaciter: nam contra ſedis ardores, ne acria perurant, illinitur adipe Cygni. Idem refert eandem adipem ſedare hæmorrhoides & conſentire PLINIO videtur MARCELLVS dicens: Adeps Cygni comprimere videtur hæmorrhoidas, ſi loca ea tangantur: ad lentiginem diſſipandam conducit eadem teſte SERENO

Cygnæos adipes hilari miſcete Lyæo,
Omne malum propere maculoſo ex ore fugabis.

Nobiliſſima CYGNO præ cæteris avibus PLUMA eſt, præſertim quæ ſupereminentibus pennis ſubeſt, tantisque olim delitiis implebat lectum, ut non alia uti ipſa Venus diceretur. Unde MARTIALIS

Laſſus Amyclæa poteris requieſcere pluma
Interior Cygni, quam tibi Lana dedit.

BAPTISTA MANTUANUS hujusmodi lectos inter pretioſiſſima ſupellectilia connumerat

O ubi Olorinæ ſubter velamina plumæ
Serica odoratæ chlamydes? Aſiatica Gaza.

Nec noſtri hunc uſum ignorant, qui pectus pelle Cygni cum plumis munire ſolent ſummo valetudinis commodo.

Co-

Colicos mire adjuvat & ſtomachi vitio laborantes. Sunt qui ſolas plumas ſacculo conceptas, fovendo ventriculi calorem aptiſſimas cenſent.

Inter felices aves numeratur felicia auguria nantibus exhibens. Et eum potius quam aliam avem veteres Græci atque Romani & tauros, fragos, Crios ſive arietes naves quasdam nuncuparent ab animalium figuris, quibus earum proræ adornabantur, omnium pulcherrimum ornamentum aptiſſimumque judicarunt, navis fabricandæ perfectionem & artem navigandi ab hac imprimis ave cæterisque aquaticis homines æmulatos fuiſſe atteſtantes. Etenim a collo pectoreque proram & carinam, a ventre & cauda puppem & temonem, ab alis vela, a pedibus remos formaverant. Unde ſervant ádhuc roſtra vocabulum ſuum apud Latinos, naviúm partes illæ exporrectæ & acuminatæ ex ære ferrove in prora eminentes: Antiquitas frequentius Cygnum, quam aquaticas alias aves pro ornamento navibus addebat, non tam ob inſignem ejus in notando peritiam, quam quod inter aves aſpectu longe eſſet venuſtior atque navigantibus fauſtus felixque haberetur. Unde quidam

Cygnus in auſpiciis ſemper lætiſſimus ales
Hanc optant nautæ, quia non ſubmergitur undis.

Quod candidus ſit Cygnus ſupra jam dictum. Galateæ formam non ſublimius extollere quam hoc verſu poterat MARO,

Candidior Cygnis, hedera formoſior alba.

MARTIALIS puellæ candorem innuens eam Cygno candidiorem dixit

Toto candidior puella Cygno.

AXUNGIA LUTRÆ.

Eſt Lutræ animalis amphibii axungia aut pinguedo, quæ non coagulatur frigore, ſed inſtar axungiæ piſcium permanet fluida.

Non

LUTRA, LUTRIS, LUTRIX, a lutando, &, ut VARRO habet, LYTRA, forſan a verbo λύειν, quod eſt ſolvere, etenim, juxta fluminum ripas, radices arborum, ipſosque earum truncos dentibus ſuccidit atque diſſolvit. Derivari quoque poteſt a verbo λϐειν, quod eſt lavare, unde λϐερὸν balneum, & λϐτήριον, vaſis genus in quo pocula abluuntur; venando enim piſces aqua ſe abluit. Græcis vocatur ἔνυδρος, quia ἐν ὕδατ, in aqua degit: Cibum enim in lacubus & fluviis quærit. Aliis κύων ποτάμιος, CANIS FLUVIATILIS appellatur, quod Canis aquatici in modum prædam quærat in aquis. Hinc etiam ἔνυδρον ζῶον, animal aquaticum nuncupatur. Æolibus ἔλυδρις, audit, unde forte Lutra. Germanis eſt Otter/Gallis LOUTRE.

Lutra eſt animal Amphibium aſtutum & malignum e Fibrorum genere, longius latiusque Cato, minus Fibro, colore fuſco ad Caſtaneum accedente. Aures habet ut Caſtor. Corpus vero gracilius longiusque & villoſam caudam eandemque acuminatam & pilis obſitam, non, ut Caſtor, glabram. Caput ei oblongum inſtar Putorii, collum craſſius. Pedes Canini aut Vulpini juxta alios, vel potius inter hos duos intermedii. Poſteriorum pedum digiti membrana interpoſita ſunt connexi, ideoque plani, ut Caſtoris. Viribus Caſtore impar eſt. Renibus juxta SCHWENCKFELDT donatur multis racemi modo conglobatis ut ſerum, quo abundant facilius trahere & ſecernere poſſint. Frequens in montanis ad ripas fluviorum

rum & piſcinas. Vivit ex captu piſcium, quos mirâ agilitate & aſtutia venatur. Amplius quam duo milliaria ſurſum contra aquæ defluxum tendit. Jejuna Lutra tantæ eſt in curſu velocitatis ut curſum fluvii vincat. Diu ſub aqua ſe continet, quamvis reſpiratione indigeat. In piſcinam, quarum odorem per aliquot milliaria perſentit, quando irrupit, mira agilitate meliores piſces aggreditur, nec tamen reliquæ eorum turbæ parcit. Hoſtis detrimentoſus piſcinarum admodum. Non ſolummodo se piſcium eſu quaſi infarcit & ſaginat, verum etiam magnam illorum copiam in cavernas ſuas comportat ut & ipſa & domicilia piſcoſum redoleant fœtorem. Emoriuntur enim piſces vel mortui potius convehuntur in illa. Hinc facillime propter frigidam humidamque naturam putreſcunt, ex quo fœtor reſultat maximus hominique adverſus. Veſcuntur & mollibus herbarum cacuminibus & fructibus arborum atque corticibus. Cum urinatur aërem exertis naribus per intervalla haurit, ne ſuffocetur.

Reperitur paſſim in Europa, ſtabulatur juxta lacus & amnes ibique ſua habitacula conſtruit. Non omnes tamen amant aquas ſed piſcium divites. Alternis vicibus nunc in aquis natant & urinantur, nunc in terra ſuisque in ſpecubus degunt. In antris veluti tabulatum ex ramis & virgis conſtruunt, ſuper quo ne madefiant, noctu cubare ſolent. Mordax eſt animal & ita quidem, ut cum hominem mordet non deſiſtat, niſi fracti oſſis crepitum ſenſerit authore ARISTOTELE. Plures catulos ſuis uberibus lactat. Cicuratur facile edoceturque a venatoribus & piſcatoribus, ut dato ſigno aquas ingrediatur & piſces in tenſa retia magnâ vi agat. In Suecia ad coqui nutum piſces ex piſcina in culinam deferre perhibentur.

Mus

Non facile quis ex lautioris fortunæ hominibus CARNEM LUTRÆ manducat. Scribit tamen BRUYERINUS manducari illam à ruſticis, ſed ſucci eſſe improbi, lenti craſſi & phlegmatici, difficulter quoqûe in ventriculo confici. Comeditur frequenter a Monachis Carthuſianis, & quandoque menſas etiam lautiores ingreditur: aſſatur vel de-

decoquitur, & herbis aromaticis, aliisque aromatibus condi-tur. Quicquid tamen ſit, nunquam cibus bonæ notæ obtinetur.

PELLIS cauſa capitur Lutra, canibus aquaticis, hyberno præſertim tempore, ſub glacie nec non decipulis ferreis vulgo Otter-eyſſen. Pellis valde durabilis eſt, piluſque molliſſimus, qui nitorem ſuum vetuſtate non amittit. Conficiuntur exinde togæ nocturnæ pilei & chirothecæ villoſæ, ſuffultæ aliquando pelle vulpina, laudantur contra Apoplexiam vertiginem & dolorem capitis, item dolores podagricos. Culcitræ exinde paratæ laudantur ad hæmorrhoides.

Apud nos Argentinenſes nempe, ut ait SEBIZIUS, crebro, ut & alibi integræ pelles una cum capite cauda & pedibus in manicas aptantur hyemales. Quales manicæ abſque cauda, capite & pedibus etiam frequentes proſtant.

JECUR diebus aliquot maceratum aceto acerrimo, in furno ſiccatum, mirum in modum dyſentericis ſuccurrit, ut docet SCHWENKFELDT. Doſis. ad ʒß. ad ʒj. uſque.

SANGUIS, ſi ÆLIANVM ſequimur, cum aqua & aceto mixtus, nervis intumeſcentibus conducit.

TESTES in morbo Comitiali a quibuſdam laudantur, Caſtoreo tamen minus ſunt efficaces.

AXUNGIA ſeu pinguedo, Otterſchmaltz / GRAISSE DE LOUTRE non coagulatur frigore. Sed inſtar axungiæ piſcium fluida permanet. Partibus convulſis, contortis illinitur & Artheticis unguentis miſcetur. Digerit, & reſolvit.

AXUN-

AXUNGIA MURIS MONTANI.

Eſt Muris montani Marmotæ dicti axungia.

MVS

MUS MONTANUS, MUS ALPINUS ab habitationis loco; MARMOTA, MARMONTANA, MONTANELLA, ein Murmelthier/ Murmentle/ Miſtbellerle. Nonnulli Græci ἀρκτόμυν, ob ſimilitudinem, quam cum mure & urſo gerit, nuncupant. Gallis audit MARMOTTE.

Marmotæ ſunt ex albo murium montanorum, magnitudine æquant Cuniculos; caput dentesque anteriores habent leporinos: Aures ita breves, ut vix extra pilos promineant: pilum durum oblongum eumque vel aliquantulum ruſum, vel obſcuriorem; oculos prominentes: caudam curtam: pedes acutis unguibus armatos, quibus terram alte effodiunt ſibique cuniculos parant: Coloris ſunt fuſci aut cinerei, hyeme ita pingueſcunt, ut ſupra modum craſſæ conſpiciantur. Vociferantur acute ſibilantis fiſtulæ inſtar admodum, præſertim offenſæ aut conſternatæ metu. Obmurmurant autem cum ad ſolem extra latibula colludunt & obſervante Stumpffio canicularum inſtar latrant. Habitant, ut GESNERUS ſcribit, in frigidiſſimis & nivoſis præſertim Helvetiæ montibus. Reperiuntur tamen etiam in montibus aliarum regionum. In fine Septembris ſe abſcondunt, quoniam Alpes in quibus degunt frequentiſſime, mature teguntur nive. Stabulantur complures in eadem latebra, ſed utplurimum numero impari, ſeptem, novem, undecim, usque ad tempus vernale. Sunt qui putant, quod ab autumno ad ver, adeoque ad ſex fere menſes ſomnum protrahant, ut nullo modo excitari queant, & nullum ſenſus aut motus alicujus exhibeant indicium, etiamſi diſſecentur; quod tamen alii in dubium quadantenus vocant. Non deeſt iſtis ingenium. Appropinguante enim hyeme fœnum & paleas in latibula convehunt, id quod etiam æſtivo tempore peragunt. Una Marmota ſtrata humi pedes elevat, ſicque quaſi

currum

currum repræſentat, reliquæ currum replent, & poſtmodum cauda in cryptam pertrahunt. Una autem Marmota poſt alteram hoc officio defungitur. Hinc etiam eſt quod quædam pilos in dorſo amiſerint.

Duo foramina in unoquoque latibulo parare ſolenne illis eſt, per quæ in unum locum tendunt & juxta unum excrementa deponunt, & per aliud in cryptam ingrediuntur. Adventante frigore meatum ingreſſus claudunt, exaſperato aliud adeo obturant, ut ne bipalio quidem peuetrari poſſit. Circa feſtum nativitatis Chriſti terra effoſa dormientes deprehenduntur, ut perhibent, nec citius expergiſcuntur quam ſi a ſolis vel ignis calore reſolvantur. Reliquis marmotis egreſſis cryptæ cuſtos adſiſtit & ex alto ſpeculatur, ſi quid obſervaverit, voce acutiſſima monet. Sic ad cryptam concurrunt, ipſe cuſtos ultimus ingreditur. Odore ſunt tam gravi, ut vix æſtate perferri poſſit. Aëris mutationem voce ſua prænunciant. Pluvio cœlo non egrediuntur, ſed tantum ſereno.

Altæ in ædibus cicurantur & miteſcunt facile, verum ut mures utenſilibus magnum adferunt detrimentum. Omnia namque dentibus anterioribus, qui acutiſſimi, corrodunt. Bipedes gradiuntur ut Urſi, & anterioribus pedibus, veluti manibus, cibum ori porrigunt. Comedunt varia v. gr. fructus, & quando domi aluntur, panem, carnes, caſeum, piſces, pulmenta & quicquid objicitur. Lac quoque ſugunt.

TAXUS

MUS ALPINUS in eſcam venire ſolet apud Incolas Alpium; qui Marmotas ceu porcos cultro jugulant, ſanguinem emanantem e vulnere excipiunt vaſe, mox in aqua ferventi depilant, depileſque glabras & albas factas aſſant, vel in jure nigro condiunt. Interdum & illas ſale conſperſas fumo indurant, poſtea carnem cum rapis & braſſicis coquunt, hocque edulium etiam puerperis offerunt. Pinguiſſimæ autem ſunt tempore brumæ, circa ſolſtitium hyemale.

Nam

Nam venatores æſtivo tempore juxta obſervatos eorum cuniculos perticas adeo longas defigunt, ut circa Natalitia Chriſti, quo tempore omnia nivibus tecta ſunt. eminentes deſtinatum locum patefaciant: Itaque ſolum detegunt, terraque effoſſa marmotas alto ſomno ſepultas & conglobatas eruunt. Non enim facile expergiſcuntur. Verum inſalubris earum eſt caro. Nam gravem ſpirat odorem: & nimis eſt pinguis & obeſa: concoctu difficilis, & ſuperflua humiditate referta; cum Marmottæ animalia ſint ſomnolenta & totam fere hyemem dormiendo in antris ſuis tranſigant; ut docet GESNERUS atque SEBIZIUS.

VENTRICULUS Marmotæ colica laborantibus utiliter imponi traditur.

AXUNGIA MURIS MONTANI, Murmelthier-Schmaltz/ AXONGE DE MARMOTTE recens præſertim præſtantiſſimum eſt anodynum in nephritide nec non in vehementiſſimis articulorum doloribus: ſanguinem coagulatum in corpore reſolvit: contractos emollit & reſtituit nervos: ſomnum quoque provocat ſi pedum plantæ ea inunctæ fuerint. Id quod etiam præſtare dicitur, ſi umbilico inungatur. Mire quoque conducit in pleuritide, in qua ſiſtenda fuit ſecretum PARACELSI, cujus unguenti pleuritici, quod ſequentem in modum parare juſſit baſin conſtituit.

℞. Pingued. muris montan. ℥j. ℴℴ amygd. dulc. ℥ß. ol. roſar. ol. Chamom. ana ʒj. Mſc. f. unguentum.

℞. Pingued. mur. montan. ℥iv. Butyr. majal. ſine ſale ℥ij. ol. Nuc. jugland. amygdal. dulc. Papav. expreſſ. Laurin. ana ℥j. ſucc. flor. papav. errat. ℥vj. Mſc. & coq. ad ſucci conſumptionem, deinde adde ol. ſtill. Chamom. Aneth. ana ʒiß. de laterib. Cymin. ana ʒj. denuo miſce & cum ſ. q. ceræ albæ fiat UNGVENTVM PLEVRITICVM MYNSICHTI.

Poſt principium in ſedatione doloris pleuritici & reſolutione apoſtematis unguentum eſt mirabilis effectus juxta authorem; quod adminiſtretur loco dolenti, non ceſſandum ab inunctione, donec dolores deſiſtant. Et hoc remedium valet in quolibet alio dolore in toto corpore exiſtente. In pleuritide debet applicari lateribus.

AXUNGIA TAXI.

Eſt Taxi axungia paulo craſſior adipe ſuillo.

CARO.

Taxus, Taxo. Daxum quidam dicere malunt quoniam animal eſt δασὺ villoſum. Nominatur & Melis & Meles & Melus. Melonem vocant vel quod favos petat, & aſſidue mella captet, vel quod ſit membro rotundiſſimo, ob pinguedinem enim membrorum quandam rotunditatem præ ſe fert, quæ μέλη a Grajis dicuntur. Vlysses Aldrovandus arbitratur, ſi nomen Melis a Græcis petendum eſt, rectius id a voce μελέτη derivari poſſe h. e. a cura & induſtria; quoniam Taxus in fabricandis ſuis antris maximam curam atque induſtriam adhibet. Nominatur quoque Blerellus, ein Tachs/ ein Dachs/ Blaireau ou Taiſſon.

Taxus eſt brutum fele majus, & Vulpe, ad cujus naturam accedit, humilius. Caput habet craſſum breve ac humile, cutim duram, ſordidam ſpiſſam villoſam & rigidam, pilis duris, rigidis, gryſeis, ſuperne ad nigredinem vergentibus inferne candicantibus præditam. Pilis his rigidis canum morſibus reluctatur. Ob cutis quoque denſitatem graviores hominum ictus facile ſuſtinet. Naſus huic animali admodum eſt debilis. Hinc levi ex percuſſione naſo illata perit. Cruribus breviuſculis capite in ſummo nigro, lateretenus albo gaudet. Dentes ſunt acuti. Cauda varia villoſa.

Duo hujus genera ab Authoribus numerantur. Eſt enim Taxus alius Caninus, ein Hunds-Dachs/ cui rictus & victus caninus, qui-

quique inſtar canis eſt digitatus. Alius eſt SUILLUS ſive PORCINUS, ein Schwein-Dachs/ ein Säu-Dachß: cui rictus & victus porcinus.

Taxi paſſim occurrunt: Degunt in ſylvoſis & montoſis locis. Amat maxime loca arboribus repleta cum gratum ſuppeditent pabulum. Veſcuntur rebus variis, vermiculis, crabronibus, pomis piris, Uvis; & pomorum, pirorum atque uvarum uſu maxime pingueſcunt. Inhiant cuniculis, anſeribus, gallinis, pullis earum, aliisque hujus generis volatilibus. Et his magis delectantur Taxi canini quam porcini. Hi enim radicibus & fructibus arborum veluti porci magis gaudent. In cavernis vivunt ſub terra, e quibus exeunt & vagantur in ſylvis non aliter atque Lupi etiam hyberno tempore, quamvis etiam æſtivo tempore annonam ſibi colligant pro hyeme. Fabricantur latibula ſua ita, ut habeant oſtia duo. Spirante Auſtro occludunt meridionale, flante aquilone ſeptentrionale obturant. Inſtinctu naturæ non procul a propriis vagantur cavernis, ut audito venatorum ſtrepitu canumque latratu mox ſeſe ad ſuos conferre cuniculos queant.

Taxi extrinſecus parvum veluti urſum referentes, capiuntur caniculis, qui cavernas ingreſſi ſeu latibula, eos extrahunt, deinde figuntur. Exagitati a venatoribus pedes anteriores ponunt ſupra caput & corpore in globum contracto Urſorum more deorſum ſe præcipitant de rupibus locisque declivibus. A canibus aut aliis feris vexati ſemetipſos reſupinant, atque dentibus & pedibus repugnant.

Dum latibula effingunt, ignavum effoſſæ terræ vectorem conſtituunt, & poſtquam ſupra ſupinum extenſis cruribus terram accumularunt, per pedes mordicus apprehenſos extra antrum educunt, idque toties repetunt, donec latebræ latitudo habitatoribus ſufficere poſſit. Tantum palearum & foliorum pro ſternendo ſibi lecto, unica vice capite & pedibus intra foveam ducunt, quantum vix homo ſub brachio ferre poſſet.

Victum uti dictum pro hyeme colligunt, qua durante, dum mas an ad vernum tempus ſit duraturus dubitat, ne fœmina ad ſatietatem comedat, prohibet.

Longævi ſunt Taxi, ſed cœci fiunt in ſenecta, videntes cæcos alunt. Præſentiunt tempeſtates, non quidem longe ante, ſed cum iſtarum in

aëre ſunt primordia. Somnolentum animal eſt ſegne atque tardum; non multum ſe movent, frequentius dormiunt ac quieſcunt. Tota pene hyeme dormire dicuntur; Maximam vitæ ſuæ partem in terræ cavernis agit. Vocem habet acutam.

Fœminæ fœtus ſuos more Vulpium in utero gerunt & cum Luna ternos orbes compleverit pariunt. Pariunt autem adventante præſertim autumno, quandoque duos interdum tres catulos.

Inter Taxos & Vulpes acerbum eſt odium. Exeunte Taxo e latebra ſua Vulpecula ingreditur ſuisque putidis alvi & veſicæ excrementis eum in modum Taxi inquinat ſpecus ſubterraneos, ut Taxus illum fœtorem ferre non potens aliud ſibi parare domicilium cogatur. Migrat igitur, aliasque ſedes quæritat. Ingreditur tunc Vulpes ac triumphans ſpecum occupat.

Pingueſcit valde, unde proverbium *Melis inſtar obeſus*, de homine corpulento pigro ac pingui.

Urgente bruma ſe abſcondunt. Abhorrent enim frigus; ad focum hyeme allati ſe in carbones conjicere quidem perhibent.

THYMAL.

CARO TAXI ad cibatum admittitur. PLATINA carnes taxorum non diſſimiles eſſe Hyſtricum carnibus aſſeverat. SAVANAROLA eas porcorum ſylveſtrium carnibus aſſimilat, ſubdit tamen illas Taxi carnibus paulo eſſe humidiores. ALDROVANDVS teſtatur, carnes horum animalium & in Italia & in Germania & aliis regionibus inter inſignes epularum apparatus collocari: eorum præſertim qui autumno capiuntut. Eo namque tempore ob fructuum & uvarum comeſtionem Taxos eſſe maxime ſaginatos, pinguioresque redditos. GESNERVS ſcribit carnes Taxorum cum pyris in Germania coqui ſolere. Hoc enim modo conditas gratiores eſſe. BRVYERINVS cenſet, carnes iſtas ferum redolere odorem & ſaporem habere tetrum, & viroſum quid exhalare, præſertim cum canibus exagitati capiuntur. Ideoque exiſtimat longiſſime ab hominis

minis complexione abeſſe, cibisque abdicandos eſſe vitæ humanioris. Ad cujus judicium ſuam quoque adſcribit ſententiam SEBIZIVS.

TAXVS INTEGER INCINERATVS cum ſucceſſu exhibetur pulmoniacis, ſanguinem exſcreantibus.

SANGVIS pulveriſatus lepræ convenire ad aliquot uncias interne uſurpatus dicitur. Externe in bubonibus peſtilentialibus uſurpatur. Commendatur quoque ad epilepſiam ſi interne adhibeatur.

AXVNGIA TAXI, Dachs-Schmaltz / AXONGE DE BLAIREAU, quam Luna creſcente augeri decreſcente vero minui quidam perſuadere conantur, renum doloribus auxiliatur, inuncta vel in clysmate adhibita; febrilem æſtum mitigat, contracturis ac imbellicitatibus artuum ſuccurrit, cum adipe Vulpis Cative ſylveſtris. Habet vim aliquantiſper fortius penetrantem quam alii adipes. Renibus applicatur in nephritide vel cum unguento dialthææ, quando compeſcere volumus dolorem vel cum oleo ſcorpionum ſimplici, quando volumus pellere urinam & calculum. Adeo abundat Taxus pinguedine, ut ab uno quandoque novem decem ad quindecim & ultra libræ obtineantur.

Quando Equis pili extrahuntur, & locus inungitur hac pinguedine & melle, pilos poſtmodum albicantes renaſci perhibent.

CEREBRVM GESNERVS laudat in oleo decoctum contra varios dolores.

JECVR in aqua aut juſculo coctum & comeſtum deprædicatur ad fœtorem anhelitus,

FEL cum melle aſſumptum venerem excitare dicitur.

PELLIBUS Venatores, Aurigæ, Ephipiparii, aliique variis modis utuntur. Pars pellis geſtata commendatur in peſte.

AXUNGIA THYMALLI.

Eſt piſcis ſpectatu digniſſimi & apprime delicati, qui Thymallus audit, pinguedo.

THYMALLUS a Thymi odore, quem redolet, dictus creditur, hinc RONDELETIUS illum THYMUM appellat. ÆLIANUS refert THYMALLUM non ut cæteros piſcium, odorem piſculentum emittere ſed Thymi recenter lecti ſuavitatem ſpirare. TEMARUM Itali, quaſi temerarium, quod ſtolidus piſcis, dicunt: χρυσόφαγος, AURIVORUS nuncupatur, ſeu quod minutula auri fragmenta propter ſplendorem appetant, ſeu quod, cum majori pretio veneant, obſophagorum aurum abſumant, & loculos exhauriant. Dicitur quoque ASCHIA, ASCIA. Germani Aeſch vel Aſch vocant, ſcilicet a colore cinereo, quo tinctus.

Generis eſſe Truttacei Ichthyographi ex ſitu pinnarum totius corporis, figura, & loco in quo vivit, colligunt. Gaudet ſquamis duriſſimis argentei coloris, ad latera, juxta caudam æris rubedine ſplendet, & pinnis donatur ſubcæruleis, notis rubentibus maculatis. Variat tamen quandoque.

Reperitur hic piſcis in Rheno quandoque ſed rarius, ut & in aliis fluviis, vere enim ſaxatilis eſt piſcis & nonniſi fere limpidiſſimorum ex montibus defluvientium rivulorum incola exiſtit. Alitur rebus variis, veſcitur imprimis inſectis aquatilibus, gryllis aquaticis, muſcis, lumbricis &c. Parit Majo.

TRUTTA,

Piſcis eſt apprime delicatu guſtu ſuavis, concoctu facilis, ſucci boni, nutrimenti mediocris; nulli fluviatilium ſecundus: adeo ſalubris ut etiam ægris ſicuti Trutta concedatur

datur & æquiparetur Truttæ. Carnem habet candidam & duriſſimam, planam, valde friabilem lentoris expertem; difficilem, ut SCHWENCKFELDT ait, ad corrumpendum, ad excernendum autem mediocrem, AMBROSIUS in HEXAMERO magnifice in ejus laudes ſe effundit: verba ita ſe habent. Neque te inhonoratum noſtra proſecutione, Thymalle, dimittam; cui a flore inolevit, ſeu Ticini unda fluminis, ſeu amœni Atheſis unda nutrierit, flos es: denique ſermo teſtatior, quod de eo, qui gratam redolet ſuavitatem, dictum facete ſit, aut piſcem olet aut florem: ita idem pronunciatus eſt piſcis odor, qui floris: quid ſpecie tua gratius? quid ſuavitate jucundius? quod mella fragrant hoc tu corpore tuo ſpiras.

Piſcis hic AXUNGIAM, Aſchen-Schmaltz/ AXONGE DE THYMALLUS ſuppeditat, quæ ſi in vitro clauſo exponatur ſoli, ſic liqueſcit & depuratur, ut det liquorem oleaginoſum elegantem, rubicundum inſtar rubini: idque eo magis ſi miſceatur cum melle, & hinc aſſequitur egregiam vim abſterſivam: hic liquor remedium eſt ſingulare contra maculas oculorum & ad eorum ungues abſtergendos, foveas variolarum, & contra cicatrices earum & vulnerum illis hinc dum coeunt illinendus, imò his ita parata axungia inſtillata conſolidat citra cicatricem & ideo magis, ſi permiſceatur cum tantillo balſami Peruviani, quippe qui per ſe prodeſt in tali caſu. Unde in variolis, quando jam deciderunt cruſtæ, illinitur commode, pro delendis maculis & replendis foveis, id quod fuit ſecretum FORESTI in curandis variolis. Aurium quoque affectibus medetur ut vermibus, ſordibus, fluxionibus. Ambuſta ex igne & aqua ſanat.

AXUN-

AXUNGIA TRUTTÆ.

Eſt piſcis ob ſaporis elegantiam ſuccique præſtantiam celebris, Truttæ pinguedo.

Expetitur

TRUTTA, TRUTA, TROCTA & TROTTA a trudendo cognominata putatur quaſi truſilis: ſemper enim in adverſum & impetuoſum flumen nititur, advenientes undas ſuperare contendens. Dicitur etiam VARIOLA, VARIOLUS, VARIO quaſi varius a punctorum varietate. AURATA quoque audit. Germani Fohren/ Forell/ Fornnen nuncupant, Gallis TRUITE appellatur.

Varius admodum eſt piſcis ſquamulis minutiſſimis tectus purpureis ſeu rubentibus guttis ſive maculis totum corpus pingentibus, carne intus rubra, quemadmodum in ſalmone; genera illius varia ſunt, quæmadmodum Germaniæ PLINIUS GESNERUS docet.

TRUTTÆ quædam parvæ ſemper manent, aliæ excreſunt & longitudinem cubiti & ultra acquirunt. Sunt TRUTTÆ FLUVIATILES, Bach-Forellen; ſunt quæ a rivis & ſylvis Wald-Forellen appellantur; ſunt quæ a nigricante colore ſchwartze Forellen nominantur; ab aureo vero vel rubente colore, AURATÆ Gold-Forellen dicuntur: ſunt denique quæ a lacubus See-Forellen denominantur: in quibus aliquæ profundius degunt, ob id Grund-Forellen nuncupatæ. Eſt & quædam ſpecies quæ Trutæ Salmonatæ nomine venit; Appellatur alias SALMUNCULUS, SALMO PARVUS, TRUTA MAGNA RUBRA, ein Lachs-Forelle: Salmoni ſimilis eſt, & illi magnitudine fere æqualis. Quamvis & Truttæ minores multa habeant cum Salmonibus communia. Referunt enim illas & forma corporis externa & ſquamis exilibus, & maculis, quibus quaſi foris ſunt pictæ, & niſu ad loca ſublimiora, & natandi celeritate, & ſaltuum robore, & dulcedine carnis, quam tamen certo tempore, hyberno præcipue, mutare ſolent, ut Salmones.

Apud nos Argentinenſes, teſtante id jam SEBIZIO, duo genera

ſunt

ſunt frequentiſſima: unum ignobilius, quod nigricantibus maculis eſt notatum; alterum pretioſius, quod rubentibus quaſi guttis eſt reſperſum. Illud carnem habet albidam, mollem, inſipidam & lentoris cujusdam participem: hoc rutileſcentem, firmam, friabilem, ſapidam valde, omnique viſcoſitate & pinguedine carentem; Succi ergo boni atque ſalubris, concoctionisque facilis, adeo ut inter piſces ſaxatiles principem quaſi locum obtineat. Cauſa ſalubritatis iſtius duplex eſt: una locus, in quo genus iſtud habitat, altera motus jugis & aſſiduus. Vivit enim in fluviis aut rivis frigidioribus, iisque ſaxoſis, limpidis, & cum quodam impetu inter montes delabentibus: ferturque contra fluminum rivorumque curſum, & quandoque vi magna ſe in altum promovet.

Veſcuntur Truttæ rebus variis, aquarum dejectamentis, vermiculis, locuſtis, limacibus, neque a piſcibus abhorrent. Inſectantur autem maxime Percarum fluviatilium ſobolem, Fundulos & Phoxinos læves, idque tanta ſæpe agilitate & aviditate, ut dum ab ima aqua ad ſummam aquam efferantur, aliquando vel in ſcaphas incidant. Coëunt & pariunt menſe Octobri, cumque partus inſtat modicas ſcrobes faciunt. Ichtyographi referunt Truttas tanto metu ac ſtupore affici, ut quandoque loco manentes & erectæ propemodum a piſcatoribus aut aliis vulnerentur capianturque.

URSUS

Expetitur Trutta potiſſimum æſtate, qua ſuavitatem CARNIS habet gulæ gratiſſimam. Hyeme gratia illi perit. Albeſcit namque caro ſaporque vileſcit. Juniores antecellunt ſenibus: ſaluberrimæ elixæ. Aſſæ, frixæ, ſalſæ, infumatæ, aut panificiis incruſtatæ comeduntur infelicius. Comedi autem Truttæ debent recenter captæ: moriuntur enim brevi, niſi in puram, limpidam frigidamque aquam immittantur, & aqua ſubinde mutetur. Extinctæ gratiam & ſuavitatem ſaporis amittunt. Ocyus namque ob pinguem teneritatem putreſcunt.

TRUTTÆ PINGUEDO imprimis in uſu eſt pro illinendis fiſſuris quarumcunque partium imprimis ani.

DENTES ejus ſimpliciter præparati etiam in uſu ſolent eſſe antepileptico. Quidam recipiunt dentes Truttæ, comburunt & præparant cum aqua petroſelini in calculo, cujus remedii doſis eſt ad ℈j. ℈iij. in Aqua ALKEKENGI vel PETROSELINI, dicuntque eſſe remedium in calculo probatum.

AXUNGIA URSI.

Eſt Urſi Axungia ab aliis pinguedinibus ratione coloris & conſiſtentiæ non diſcrepans.

CARO

URSUS dicitur vel ab urgendo, quod impellendo tum homines tum cæteros animantes proſternat, vel quaſi ORSUS, quod ore ſuo formet fœtus, ſeu quod in ventre orſus, extra ventrem linctu compleatur, vel quaſi SURSUS, quia horret pilis & δασότριχος eſt. Græci ἄρκτον vel ab ἀρκῶ propulſo, quod ad injurias propulſandas anterioribus pedibus valeat, vel ab ἀρκέομαι, quod ſine externo alimento hyemē tranſeat dicunt. Urſi vocabulum quidam ab urere derivant, quod ſit animal libidinoſum & præ libidine urens. Hæc autem vox tam fœminam, quæ URSA, quam Marem qui URSUS nuncupatur ſignificat. Quidam ab Hebraica voce Ur, quæ incitationem ad iram ſignificat, denominatum autumant, quoniam Urſus ad iracundiam valde ſit propenſus. Ein Bär/ein Beer UN OURS.

Urſus eſt animal ſævum & deforme in membris. Corpus habet grande ac deforme. Pellis ſpiſſa & villoſa eſt. Caput invalidum ob oſſa infirma præſertim in ſyncipite. Hinc vel colapho exiguo lædi poteſt animal robuſtum. Ore ſeu roſtro oblongo gaudet. Ore ſeu roſtro oblongo, inſtar ſuilli fere gaudet.

Ora illi lato deformia rictu.

Dentes ſunt ſerrati. Naris nigra. Pedes habet humanis manibus ſimi-

ſimiles ac poſterioribus interdum inſiſtit, anterioribus ineptias agit. Vis magna ei in bracchiis & lumbis eſt, quibus obvia quævis diſcerpit, ovilia oliveta frangit, animalia apprehendit & necat. Cum plantæ pedum ſint carnoſæ ideo PLINIUS ſcribit, Urſos longiore itinere ſine calciatu fatiſcere non ſecus atque Camelos.

Urſus animal eſt omnivorum. Devorat promiſcue poma, pira, nuces, caſtaneas, cancros & ipſa quoque dulcia mella Conſcendit arbores altiſſimas, non tantum, ut omnis generis fructus quærat, ſed & ut rimás aperiat & mel inde rapiat, Cum pungitur aculeis apum, parum inde detrimenti capit. Deſcendit ex arbore averſus, primum pedibus poſterioribus, ut anterioribus ſuſtentet corporis molem. Comedit quoque fruges, Myrtillos, Rubi idæi baccas, herbas, & legumina. Cancros ingerit, & Formicas manducat, Carne etiam veſcitur. Nam viribus ſuis confidens non ſolum Cervos ſed etiam Apros invadit, ſi clam repenteque agere potuerit. Taurum aperto Marte aggreditur. Conſerta jam pugna reſupinum ſe ſternit: dumque Taurus ferire conatur, ipſe ſuis bracchiis cornua ejus amplectitur, ore morſum armis defigit, proſternitque adverſarium. Carnes omnes præmaceratas & propemodum putres comedit. Nec a cadaveribus abſtinet, ſed luporum more ea ſecum portat ac devorat. Hinc OVIDIUS

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem cum jacet hoſtis habet.
At Lupus & turpes inſtant morientibus Urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Neque ſorbendo neque lambendo bibit, ſed aquam mordendo haurit.

Vocem Urſorum venatores appellant Brummen. Murmur edit Urſus, der Bär brummet. Hinc proverbium eſt *Urſi inſtar indignans* murmurat: Er brummet wie ein Zeidel-Bär.

Vox iracunda minaxque
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.

Motus tardus eſt, nec tam fuga quam manibus ſe defendit.

 Ab

Ab equis capitali odio abhorrent. Cadavera quoque humana fugere perhibetur. Hinc ſi quis Urſum conſpicatus humi ſe proſternat & ſe mortuum fingat a prætereunte Urſo minime læditur: Experimenti fidem exploret qui velit. Cicurantur etiam Urſi & manſueſcunt, ita, ut ad varias operas reddantur idonei. In arcibus, in quibus aquæ ex profundis hauriendæ ſunt puteis rotas volvunt. Junguntur & plauſtris & utenſilia trahunt; ſaccos & ligna ad deſtinata loca ferunt, incedentes erecti. Diſcunt ad modulationes ſaltare ac tripudiare, hacque arte multi geſticulatores & circumforanei quæſtum faciunt per urbes & oppida Urſos ducentes. Magno pollent robore in bracchiis & lumbis. Propterea inſiſtentes pedibus poſticis hominis in motum diu erecti ſtant atque incedunt. Halitum ſpirant valde ingratum. Ingentes concipiunt irarum motus atque implacabiles. Cicurati & catenis vincti caput ſemper huc & illuc agitant, pedibus geſticulantur & nunquam quieſcunt. Rectores Urſorum nimis confidentes lacerati ac peſſime tractati ab aſtute maligno animali fuerunt. Cupidiſſimi vindictæ ſunt & iracundi. Si læduntur a quopiam, indeſinenter proſequuntur & pedibus anterioribus unguibus robuſtis præditis, qui inſtar manus ſunt, reum lacerant. Muſica delectari & demulceri Urſus dicitur. Senſus tactus in naſo tenerrimus eſt. Hinc percuſſus ibi irritatur vehementer, unde proverbium, *ne tentes naſum Urſi*, pro eo, ne tentes eos, qui nocere queunt.

Nullibi plures reperiuntur Urſi, quam in plagis ſeptentrionalibus v. gr. in Norvvegia, in ſylvis Moſcovitarum, in Lithuania, Sarmatia, Suecia, Iſlandia. Reperiuntur etiam in Alpibus. Delectantur magis montanis quam planis locis.

Zoographi aliquot Urſorum differentias notarunt in magnitudine, colore, patria, & ferocitate &c.

Magnitudinis ratione GESNERUS illos in magnos & parvos dividit. Illi dicuntur Ursi Majores, Ursi Capitales, groſſe Båren/ Haupt-Båren/ hi Ursi Parvi, Ursi Saxatiles, Ursi Formicarii, Stein-Båren/ Zeidelbåren/ Ameis Båren appellantur. Coloris cauſa AGRICOLA eos in fuſcos & nigros diſtinguit. STRABO fulvos eſſe dicit in Arabia. BARGEUS cinereorum etiam meminit. BAPTISTA MANTUANUS in frigidiſſimis regionibus albos reperiri notat. Color equidem plerumque ni-

ger eſt, albi tamen in Ruſſia non infrequentes & in Islandia frequentiſſimi exiſtunt. ALBERTUS MAGNUS Urſos ratione locorum, in quibus degunt conſtituit duplices, aquaticos & agreſtes. Illos ait venari piſces: Hos in ſylvis habitare aſſerit, animalia herbas ac fructus devorantes. Ratione ferocitatis diſpeſcunt Authores Urſos in nocuos ſævos atque immanes, qui hominibus & beſtiis vim inferunt, & in mites atque ignavos. Eſſe enim in orbe novo Urſos ſolis formicis victitantes, qui canibus cedant & baculis percuſſi fugiant, caudæ nullum prorſus veſtigium habentes, a victu, quo utuntur μυρμηκοφάγοι formicovori appellentur.

Oculi Urſorum crebro hebetantur. Hac etiam de cauſa favos ſive apiaria expetunt, ut vulneratum ab apibus os levent ſanguine gravedinem illam; h. e. ut oculares venæ apum aculeis apertæ tantum ſanguinis effundant, quantum oculorum valetudo expoſtulat. Linguam quam Urſus habet peracutam & longiſſimam mittit in formicarum habitacula, ad cujus humorem illæ accurrentes adhærent, ipſe autem ad ſe attracta lingua formicis onuſta epulatur. Sunt qui dicunt Urſos nimis cibis refertos aut poſt devoratam Mandragoram formicas deglutire, ut hac ratione excitetur vomitus, & a nimia repletione atque veneno liberentur. Vulnerati Urſi ſiccis herbis ſibi medentur, imprimis foliis Verbaſci.

Flagrant libidine Urſi. Coitus tempore acrius in eos, qui acceſſerint, ſæviunt. Inter ſe tamen minus dimicant, nimirum quia gregales non ſunt. Eorum coitus ait PLINIUS hyemis initio, juxta ARISTOTELEM menſe Februario, nec vulgaris, inquit PLINIUS, ſed ambobus cubantibus & complexis urſos humanitus ſtratos coire. ARISTOTELES ſcribit coire Urſos cruribus demiſſis, quemadmodum cætera, quæ pedibus innitendo Venerem exercent, admota parte maris ſupina ad dorſum fœminæ. Alio autem in loco dicit Urſos coire non ſupervenientes ſed humi ſtratos. Zoographi plurimi dicunt quod non coëant ſicuti cætera quadrupedia, ſed amplexantibus mutuis ambobus cubantibus veluti humanis conjugationibus copulentur. Nec ſuæ tantum gentis ſed & hominum amare ſolent fœminas. Fuit quidam, ut hiſtoria habet, qui puellam in ſpeluncam rapuit, eamdemque oſculatus quotidie eſt & ex pomis & piris agreſtibus maturiora ac pulchriora ſelegit, eidemque edenda amatorie obtulit.

JOHANNES SAXO & OLAUS MAGNUS ſcribuat : Reges Danorum Urſum progenitorem habere, qui Virginem rapuit pulcherrimam, quæ ex fera filium peperit, forma elegantem ſed villoſum, vocatum a patre Urſum. Recte dicitur quod hæc non debeant credi liberaliter. Poſt coitum ſecedunt Urſæ ſecundum PLINIUM in ſpecus, in quibus pariunt die trigeſimo, vult enim ARISTOTELES Urſos uterum ferre dies duntaxat triginta. SCALIGER cauſam adfert, quia partus edunt imperfectos. Quod deſumſiſſe videtur ex SOLINO, qui dicit trigeſimum diem uterum liberare urſæ. Unde venit, ut præcipitata fœcunditas informes creet partus. Decretum eſt ARISTOTELIS, PLINII, ÆLIANI & aliorum Urſas parere catulos, rudes, informes, indiſcretos, depiles, uno verbo mancos & mutilos. Matres deinde eos formare & figurare lambendo. ÆLIANI verba hæc ſunt. Permira videtur Urſarum pariendi ratio. Nam neque catulum perfectum in lucem edit, neque quiſquam mox a partu videns tam informem tamque rudem fœtum, urſam vitalem edidiſſe fœtum judicaverit. Etenim ſimulac peperit, ſtatim illam carnem nulla vitalis figuræ veſtigia, nullamque animalis effigiem retinentem, amore complectitur, catulum agnoſcit ſuum, eum in ſinu & gremio fovet, & lingua ſua fingit, paulatimque format ut aſpicienti jam Catulus Urſæ videatur.

OVIDIUS ita hac de re canit

Nec catulus partu quem reddidit Urſa recenti,
Sed male viva caro eſt, lambendo mater in artus
Fingit & in formam, quantam capit ipſa, reducit.

Sed placitum hocce & rationi & experientiæ repugnare ideoque fabuloſum & fictitium eſſe recte judicat SEBIZIUS. Rationi, quia Natura, cujus tamen vim atque potentiam itemque ſtupendum artificium paſſim GALENUS deprædicat, negligentiæ atque inertiæ arguitur, quaſi Urſorum, animalium generoſorum, corpus abſolvere perfecteque formare non potuiſſet, cum potuerit perficere plurima alia, longe Urſis inferiora v. gr. ranas, buſones, ſerpentes, mures, glires. Experientiæ vero & autopſiæ, quoniam MATTHIOLUS teſtatur

fuiſſe

ſuiſſe in valle Anania ſupra Tridentum Urſam gravidam eamque prægrandem a Venatoribus quibusdam captam, qua exenterata, catuli adhuc in utero degentes deprehenſi, omnibus ſuis membris diſtincti perfecteque formati. Extat quoque teſtimonium in hiſtoria ULYSSIS ALDROVANDI fide digniſſimum, palam faciens, Urſulum e cæſo matris utero extractum omnibus partibus integre figuratum, illumque in muſeo Senatus Bononienſis aſſervatum fuiſſe: Adde Urſarum Bernenſium fœtus, qui ibi in urbis propriis foſſis contrarium teſtantur. Ideoque illud Hipprocrateum tenendum ὀφθαλμὸν δεῖ πιςέυεσθαι μᾶλλον, ἢ γνώμησιν, oportet oculis magis credere quam opinionibus & ſententiis hominum. Cauſa autem, cur Urſorum catuli informes & membris indiſcreti appareant, eſt, ut SEBIZIUS cum aliis docet, quoniam ſecundæ, quibus ſunt involuti, craſſiores ſunt, forſan etiam multo muco eoque lento admodum atque viſcido obductæ, adeo ut caput artus, cæteræque partes externæ diſtinctæ cerni nequeant. Quando vero ſunt a Catulis ſeparatæ, tunc demum viſui noſtro Catuli ſe offerunt diſcreti. Separantur autem linctu matris: quo fit, ut vulgo credatur, matres catulorum ſuorum partes lambendo formare.

Pariunt Urſæ tum unum, tum etiam duos, ſed cumplurimum quinos juxta ARISTOTELEM. Pariunt fœtus minima magnitudine, ſi ad illius corpus reſpicias. Minores quippe muſtela, majores vero mure; nudos, atque cœcos producunt. Pariunt eo tempore quo latent, & pingueſcit per idem tempus, tam mas quam fœmina vehementer. Urſæ, quibus mammæ quaternæ, prolem vehementer amant, eamque pectori admovent, fovent ac tegunt. Catuli ſi matri fuerint abrepti, ægerrime ferunt ac mirum in modum ſæviunt. Difficile autem eſt gravidas capere Urſas, nec quicquam rarius, quam parientem videre Urſam. Ideoque mares quadragenis latent diebus, fœminæ menſibus quaternis. Educatis & enutritis catulis exeunt Vere finito. In antrum non recto ſui corporis motu ingreditur Urſa ſed ſupina, & dorſi ſui tractu repit, ut veſtigia obliteret.

Specus ſi non habuerunt, ramorum fruticumque congerie ædificant, impenetrabiles imbribus, mollique fronte conſtratos. Primis diebus bis ſeptenis tam gravi ſomno premi perhibentur, ut ne vulneri-

neribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum veterno pingueſcere dicuntur. Ab iis diebus reſidunt, ac priorum pedum ſuctu vivere, quod vulgus vocat die Tapen ſaugen/ dicitur. Tempore latibuli hoc animal nihil edere commemoratur, quippe quod neque exeat & captum ventre inteſtinoque inani videatur. Sunt qui credunt fere exangues eo eſſe tempore, ſed falſo. Quod autem adeo pingueſcant ita explicat SEBIZIVS. Voracia ſunt animalia & aliis temporibus propter ingluviem magnam crudorum humorum copiam in ventre coacervant, ſicut & quædam bruta alia, quæ hyeme latent in ſpeluncis. Illius ergo concoctioni hyemalibus menſibus incumbunt, in ſanguinem vertunt, & quia in ſpecubus tum temporis latitant otioſi, caloremque habent torpidum atque ignavum parum ſanguinis diſſipant. Sunt qui perſuadere volunt per id tempus coctas quoque Urſorum carnes, ſi aſſerventur, increſcere. Procedunt vere, ſed mares præpingues. Fœmina tam diu latere narratur, quoad tempus ſit, ut catulos ſuos in apertum producat, ſed quod minimum dies circiter 40, latet. Ex quibus bis ſeptem ita ſopitur, ut ſe nihilo moveat. Reliquis poſtea diebus latet quidem, ſed movetur & ſurgit. Exeuntes Urſi herbam Ari devorare dicuntur, ut inteſtinum laxetur & hiet, quod per inediam ita connivere recenſetur, ut adductum probe cohæreat.

Capiuntur laqueis, retibus, armis, foveis. Cum caput habeant invalidiſſimum, ideo Urſi urgente neceſſitate ſe ex aliqua rupe præcipitaturi, manibus eo operto jaciuntur, ac ſæpe in arena colapho infracto exanimantur.

Equus

CARO URSINA, Ἀρκτεῖον κρέας, Bärenfleiſch / quibusdam in regionibus habetur pro ferina. Verum eſca, ut SEBIZIVs docet, eſt illiberalis & inſalubris. Succum namque creat pravum & melancholicum, craſſumque gignit ſanguinem: ſtomacho renititur, vixque concoquitur, præſertim Vrſorum ſeniorum: Qui veſcam, dicente SEBIZIO, hancce carnem judicaverunt, præcipiunt, ut Vrſus hyeme captus, juvenis

juvenis ſcilicet, detracta pelle exponatur aëri, donec tenereſcat caro: deinde lavetur probe & ſale ac pulvere florum fœniculi, cinnamomi ac caryophyllorum condiatur, inque veru ad inſtar aliarum carnium aſſetur. OLAVS MAGNVS carnes urſinas, ut & ſuillas pro caſtrenſibus cibis ſale macerari ſcribit. Certum eſt, Helveticos quosdam Alpinosque populos & Sabaudos Urſorum venatui deditos, Urſorum quoque carnibus veſci. Catulorum caro fertur eſſe delicata, & non minorem habere ſaporis gratiam, quam ferinam aliam.

Pedes die Datzen/ die Daapen/ præſertim anteriores, apud quosdam magnates in deliciis habentur, utpote prædulces & inſigni ſuavitate præditi, eo quod inter partes alias plurimum exerceantur, hacque ratione excrementitiam omnem humiditatem deponant, ita ſentiente SEBIZIO.

FEL cum folliculo ab Urſi hepate ſeparatum ſuſpenditur & exſiccatur. Caducos ſanat morbos juxta SCHWENCKFELDT, & morſis a cane rabido efficaciſſime ſuccurrit. Conducit quoque ad tuſſim & icterum. Externe cancro inſpergitur & ulceribus ſerpentibus. Dolores dentium & articulorum mitigat, oculosque confortat. Doſis ad octo vel decem grana & ultra pro uſu interno.

OCVLVS DEXTER ſiccus pueris appenſus, ab eis timores, quibus in ſomnis vexantur, amoliri dicitur, adſtipulante RHAZI. Bracchio alligatus adultis febrem quartanam profligare fertur

AXVNGIA URSI, Bären-Schmaltz / AXONGE ou GRAISSE D'OURS, a quibusdam dicitur, quod augeatur & creſcat in capſula, quando hyberno tempore Urſi pingueſcunt. Calefacit, reſolvit, emollit, diſcutit. Livores & maculas eximit; ambuſta ſanat, duros tumores emollit &

& ad ſuppurationem perducit, lumborum & cervicis dolores mulcet. Articularibus & podagricis morbis item Aurium doloribus prodeſt. Cum Ladano & adiantho capillos defluentes continet & Alopecias emendat. Id quod etiam præſtat ſi cum cineribus murium miſceatur. Ulcera crurum tibiarumque ſanat. In Hernia ſeu Enterocele puerorum uterique prolapſu vulgatum mulierculatum remedium, dorſo ſeu oſſi ſacro illita.

In hernia inteſtinali, ut refert ETTMULLERUS, egregie convenit, ſi regioni oſſis ſacri illinatur, ſeu emplaſtri modo applicetur; ut quaſi retrahat inteſtina, poſt repoſitionem autem inteſtinorum, in locum naturalem, impedit, quo minus poſſint denuo excidere, & fuit ſecretum SULTZBERGERI, unde etiam SCHOLTZIUS hernioſos inungit, cum medulla cervina, ubi eſt ruptio, locum vero oppoſitum in dorſo & lumbis cum pinguedine urſina admiſta anſerina, imo quando applicantur circa rupturam emplaſtra attrahentia, ſemper in regione dorſi applicatur pinguedo Urſina. Similiter contra prolapſum ſinus pudoris ſummum eſt levamen, unde etiam ſimili ratione applicata oſſi coccygis in prolapſu ani egregia eſt; Inſtante partu obſtetrices quædam manus pinguedine Urſina inungunt, quæ abdomen mulieris deorſum verſus premunt, aut abdominis partem tumentem & latera lumbaria inungunt, in inferiora verſus cogunt. In dolore podagrico compeſcendo pedes pinguedine hac, prius in aqua ſpermatis ranarum lota, inungi ſolent. Ulterius axungiam Urſæ albæ ingens eſſe cosmeticum illitum ſunt qui affirmant. Urſi pinguedo pilos quoque reddit canos, ut patet in Equis, quorum frons ejus illinitione ſtellam candicantem adipiſcitur.

PEL-

PELLIS URSINA, σκύλος, ein Bährhaut/ a cane rabido demorſis utiliter ſubſternitur. Hyberno tempore peregrinantibus ſtraguli vicem ſupplet. Manicæ quoque hyemales exinde conſtruuntur. Equis porro hyeme imponuntur.

HIPPOSORCHIDES.

Sunt teſtes equini per caſtrationem exempti & fumo indurati, coloris ſubfuſci, odoris fuliginoſi, ſaporis quodammodo acris.

PAULUS

EQUUS juxta ISIDORUM dictus putatur, quod quando quadrigis jungebantur, æquati fuerint, paresque forma ac ſimiles curſu copulati. Quidam derivant ab ὀχέω veho, quoniam Equus vectioni eſt deſtinatus. CABALLUS a cavando etiam denominatus putatur, quia gradiens ungula impreſſa terram concavet. Germani dicunt ein Pferd/ ein Gaul/ ein Roß/ ein Hengſt/ Græcis ἵππος, CHEVAL ENTIER, un CHEVAL. SPADO cui teſtes exempti, CANTERIUS appellatur, quaſi Carentarius, quod ſemine careat, Græcis ἐκτόμιας, Germanice Münch/ ein Wallach/ ein außgeworffener Hengſt/ un CHEVAL CHASTRE'. Fœmina in hoc genere animali vocatur EQUA, ein Studt/ ein Mutter-Pferdt/ ein Gurr/ ein Merr. CAVALLE ou JUMENT. PULLUS EQUINUS, EQUULUS & EQUULEUS nominatur, Füllen POULAIN, qui pumilus, Manni nomine venit, quem vulgo Brunitum & Brunitium nuncupant, teſte eodem ISIDORO, ein klein Rößlein. ἱππάριον.

Genera equorum duo ſunt, unum domeſticum, alterum ferum ſive ſylveſtre, quod difficulter cicurari poteſt. Simile cæteroquin domeſtico, niſi quod dorſum habeat mollius & ſenſibilius, cujus nomine ſeſſorem ab initio non patitur, ſed illum haud raro cum violentia quadam excutit. Domeſticum genus varium eſt & multiplex, magnitudine robore, animoſitate, colore, gradiendi modo, patria & forma

forma tum corporis totius; tum quarumdam illius partium, imprimis vero capitis, aurium, oculorum, jubæ, pedum, caudæ, ungularumque differens. Eſtque vel vulgare & gregarium, non tam ad equitandum, quam potius ad vehendum trahendumque aptum; vel generoſum quod priori oppoſitum: uti SEBIZIUS, ex quo hæc & ſequentia potiſſimum ſunt deprompta, docet ex authoribus: Ex hoc genere ſunt.

EQUI SONIPEDES, equi celeres, qui pedibus ſonant: alias ALTISONI, quod terram pedibus pulſantes altum ſonum edant; German. Klepper.

ASTURCONES, ab Aſturia Hiſpaniæ regione, cognominati, alias THIELDONES, quibus non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, ut PLINIUS loquitur: Latinis gradarii, nobis Zelter/ Gallis HACQUENEES.

SUCCUSSATORES, SUCCUSSORII, SUCCUSSORES, NONIO TORTORES, AUSONIO & PLAUTO CRUCIANTES, quod ſeſſores valde inquietent; German. Traber/ Gr. ὑποσεισταί, Gall. TORTIERS.

CESPITATORES, VIRGILIO SUFFOSI, Græc. πλώσιμοι, German. ſtrauchlende Pferd / Gall. CHEVAUX QUI NE SONT SEURS DU PIED.

INCEDENTES PASSU ÆQUALI, Paßgänger.

CALCITRONES & CALCITROSI, λακτισταί, qui calce feriunt, Pferd ſo hinten außſchlagen/ Gall. REGIMBEURS.

STERNACES, qui ſeſſores excutiunt, Pferdt/ welche gerne abſetzen oder abwerffen/ Gall. RUEURS, RETIFS.

MORDACES, δίκται, beißende Pferdt/ MORDANTS.

REFRACTARII, σκληρόστομοι, OVIDIO oris duri, hartmäulige Pferd/ CHEVAUX DURS EN BOUCHE.

STATARII, στάσιμοι, Stättige Pferd.

PAVIDI, ψοβοδεῖς, ſcheue Pferd/ CHEVAUX PEUREUX.

ADMISSARII, PLAUTO EMISSARII, Spring-Hengſt/ Beſcheller/ Schell-Hengſt/ ὀχευταὶ ἐπιβατήριοι, qui prolis gignendæ gratia admittuntur. Gall. ESTALLONS.

DESULTORII NON EPHIPPHIATI de quibus facilis eſt deſultus, bloße und ungeſattelte Pferd. Hinc deſultores, qui ex equo in equum facile

facile deſiliunt & relicto priore tranſeunt in alium. Gall. CHEVAUX NON SELLEZ.

TOLUTARII vel TOLUTARES SENECÆ a tollendis alterno glomeratu pedibus, vel a pedum velocitate, quaſi volutarii nuncupati, GRADARII LUCILIO, quod gradu incedant non vulgari, ſed alternis crura molliter explicantes commodam ſeſſori præbeant vectationem, citra ullam ſuccuſſionis moleſtiam. Iidem ſunt cum Aſturconibus PLINII. Tolutim incedere dicit VARRO: glomerare greſſus, VIRGILIUS: ad numerum colligere ungulas MARTIALIS, Zeltgehen/ oder Zeltnerweiß gehen: Gr. ταχυδινῶς, ἐπιτροχάδην, ἢ ἐνδρόμως, volubiliter, molliter ac leniter. Unde ἔυδρομοι a POLLUCE vocantur.

AGMINALES, qui agmen exercitus ſequuntur ad convehenda impedimenta.

VENATORII, κυνηγέται, κυνηγετικοὶ, Jagtroß.

BELLATORES, πολεμοςήριοι, Kriegsroß.

CLITELLARII, κανθήλιοι, Saam-Roß/ a clitellis Saam Sattel/ quibus ſarcinæ colligatæ portantur, Gr. ἐπισάγματα καὶ ςαθμάρια.

HELCIARII, ἑλκύωνες, Schiff-Pferdt/ welche die Schiff ziehen.

CIRCENSES, ἐναγώνιοι, Turnier-Roß/ dicti a Circo ſive Decurſorio, Gr. ἱπποδρόμῳ, quo in Circenſes ludi, ἱπποδρομίαι, quæ certamina erant curulia, peragebantur.

POMPATICI, πομπέες, Pracht-Roß.

VEREDI & VIATICI, πέγασοι, καὶ ταχυδρόμοι, Poſt & Kutſchen-Roß/ quod vehant, h. e. ducant rhedas: vel quod vias currant publicas, per quas & rhedæ ire ſolent, teſte ISIDORO.

ANHELOSI & SUSPIRIOSI, ἀσθματικοὶ, dämpfige Pferd. Gall. CHEVAUX POUSSIFS.

STRIGOSI LIVIO, MALE HABITI AGELLIO, dörre und magere Roß. Gall. MAIGRES.

MERITORII & CONDUCTITII, μισθιοι, Lohn-Roß/ Miet-Pferd/ Gall. CHEVAUX DE LOUAGE.

EQUI ELAPHOBODES, uti JONSTONUS habet, ſunt dicti a Corvino pede, qui ſuffraginum articulo oſſa continent & ideo peſſimo greſſu nituntur vectoremque contundendo fatigant: Pferdt die wieder den Mann gehen.

EQUI

EQUI CYNOBATI, qui iiſdem in locis brevia condunt oſſa & humilia, obque id ungulas ad internam calcium partem adferunt, ac pedes tractim agunt in eiſque claudicant.

Ratione patriæ quam maxime quoque & in magnitudine & in variis qualitatibus diſcrepant, nam alia terra alios alit equos, de quibus illi conſulantur, quibus Equi curæ cordique ſunt.

In generoſis equis quatuor veteres ſpectabant, inquit ISIDORUS, formam, pulchritudinem, meritum & colorem. Formæ ratione debet in eo eſſe validum corpus & ſolidum robur, conveniens altitudo & latitudo, magnæ ac rotundæ clunes, pectus late patens, corpus omne muſculorum denſitate nodoſum, pes ſiccus & cornu concavo ſolidatus. Pulchritudo adeſt ſi caput ſit exiguum & ſiccum, aures breves atque acutæ, oculi magni, nares patulæ, erecta cervix, coma & cauda denſa, ungularum ſoliditatis fixa rotunditas. Meritum, ut ſit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod eſt indicium fortitudinis, quique ex ſumma quiete facile concitetur, vel excitata feſtinatione non difficile teneatur. Color varius eſt. Hujus ratione ſunt maculati, trabeati, transtrabeati, unicolores, albi, nigri, ſpadices. Scutulati qui oblongis tæniis ornantur, Guttati, qui rotundis faſciantur &c.

Equus, non ille vulgaris & gregarius, ſed meliori ſanguine cretus, animal eſt generoſum, magnanimum, intrepidum, agile, mire docile, adeo ut ad nutum Equiſonis ſe accommodet, memoria pollet, favore gaudet. Herum novit & amat, & ſæpe illum e periculis liberat, id quod PLINIUS & ULYSSES ALDDROVANDUS multis exemplis planum faciunt. Calcitrat pedibus, mordet dentibus, animoſior ſonitu tubarum & tympanorum in acie redditur, frænis & phaleris ſuperbit. PLUTARCHUS ſcribit de ALEXANDRI MAGNI Bucephalo, illum quantiſper nudus eſſet, conſcendendum ſe etiam Equiſoni dediſſe. Ornatum vero regiis aulæis & collaribus neminem, niſi herum ſuum, ALEXANDRUM admiſiſſe. Cæteris periculum facturis, aut alioqui propius accedentibus, hinnitu ingenti occurriſſe atque inſultaſſe, & niſi ceſſiſſent, fugaque ſibi conſuluiſſent, proterere fuiſſe ſolitum.

Vox

Vox equi hinnitus eſt, das Wieheren/

In pugnam cum ducitur hinnitu magnoque impetu in hoſtes irruit. Solus cum relinquitur in ſtabulo hinnit, ſociosque requirit, libidinis ſtimulis cum agitur hinnit. Vocem Equi cum exprimere Græci volunt χρεμετίζειν & ἐπιχρεμετίζειν, φρυμάττεσθαι, vel potius φρυάττεσθαι dicunt. Vox ipſa χρεμετισμὸς βράχαλος μίμιγμος vocatur. Victus, gramen, fœnum, ſtramen, hordeum, avena aut quandoque aliud frumenti genus, & ſi detur, panis. Potus aqua turbida, juxta quosdam, craſſaque magis delectatur, quam pura & tenui. Bibit & vinum ſi porrigatur. Bibit multum, nec parum comedit. Bibit ſorbendo, ſed aquam prius turbat pedibus haud raro. Qui eſt alacrior, eo altius bibendo os & nares immergit. Hordeum magis præbendum iis qui exercentur, quam otioſis & cum magna hordei ariditas ſit, madefaciendum eſt, id quod etiam ſæpe fit cum avena.

Naturalis dicitur ei eſſe antipathia cum Camelo, odit & Srruthiocamelum, Elephanthum, Lupum, Urſum, Leonem & Serpentes, uti perhibent. Expaveſcit & tumultuatur, cum cadavera videt & redolet. Gaudet pratis riguis & paludibus.

Salax & libidinoſus eſt equus. Coire incipit equus bimus tam mas quam fœmina: Verum hoc fit in paucis: ſuntque pulli eorum minores ac infirmiores. Utplurimum uterque ſexus congredi incipit trimatu & proficit ad prolis præſtantiam in viceſimum usque annum. Tempus autem maxime ad procreandum idoneum eſt, cum annum quartum & ſex menſes complerit. Imo cum dentes emittere ceſſaverit. Non certo dierum numero implet, ſed aliquando uno, aut duobus, tribusve interdum pluribus, ſerius certe, quam aſinus equam ſuperveniens implet. Supervenit etiam equus matres & filias ſuas, atque tunc perfectum armentum eſſe videtur, cum parentes ſuam prolem ineunt. Mas omnibus temporibus init, nec ceſſat, quamdiu vivit: Coëundi initium in vere. Tempore coitus Equi Equos mordent, ſternunt equitem & inſequuntur. Bimus cum eſt, atque inire incipit, vocem magnam gravemque mas mittit. Hæc ARISTOTELES, Mas fœminas ſibi ſocietate conjunctas olfactu

di-

dignoſcit, tametſi paucis diebus una fuerint. Quod ſi diverſæ fœminæ permiſceantur, mas alienas mordendo expellit, ſuasque ſinguli ſeorſum habentes paſcuntur. Tricenæ aut paulo plures ſingulis dantur. Quoties mas acceſſerit aliquis, confeſtim in eum maritus convertitur & currens gyro aggreditur pugna, fœminamque, ſi qua ſe moverit, morſu revocat, juxta eundem authorem. Equæ coitus tempore colligunt ſe & ſocietate magis, quam antea gaudent; Jactant caudam crebrius, vocem mutant, pluries mingunt, & interludunt, cum equiunt. Turgent a coitu prius minores natu equorum. Libido equarum extinguitur magis juba tonſa, & triſtior frons redditur. Quamdiu vivunt, ineuntur: nec ullum certum tempus libidinem aufert: ſed hominis ingenium eam aufert, aut vinculo aut impedimento alio. Non tamen quovis tempore facto initu facultas enutriendi, quod pepererint, datur. Equiunt diebus 40. teſte PLINIO. Ferunt uterum menſes 11. Pariunt menſe 12. Edunt magna ex parte ſingulos, ſed gemellos quoque aliquando procreant. Cum tempus pariendi appropinquat, erigunt ſe, ſtantesque partum emittunt. Non implentur ſtatim a partu ſed intermiſſo tempore & melius quarto aut quinto anno generant. Si nihil plus detur, unum tamen interponere annum & quaſi novale facere eſt neceſſe. Cum equæ pepererunt ſtatim devorant ſecundas atque etiam quod pulli naſcentis fronti adhæret Hippomanes dictum. Si cum equa ex Equo prægnante Aſinus coierit, fœtus corrumpitur; Equus autem Aſini geniturain non corrumpit, quando equa jam Aſini initu concepit, uti ARISTOTELES docet, qui inſuper dicit quod Equa Aſinum non recipiat, ut aſina equum, niſi aſinus ſit, qui equam ſuxerit. Cum equæ equiunt relicta ſocietate currunt. Currunt non orientem aut occidentem verſus, ſed ex adverſo Aquilonis aut Auſtri, nec appropinquare qnenqnam patiuntur, donec vel defatigatæ deſiſtant, vel ad marem deveniant, tum aliquid excernunt, quod Hippomanes vocatur, eodem quo illud, quod naſcitur in fronte, nomine, differente SEBIZIO. Omnium quadrupedum facillime pariunt Equæ. Vacant fere purgamentis, minimumque emittunt ſanguinis profluvium, ſcilicet pro corporis ſui magnitudine. Conceptus in illis indicium eſt, cum menſes ceſſarunt.

ſpatio

ſpatio temporis bimeſtri, trimeſtri, quadrimeſtri. Verum id percipere difficile eſt, niſi quis dudum ſit ſecutus & aſſuetus; unde non deſunt, qui menſes in equabus negant. Amiſſa parente in grege armenti reliquæ fœtæ orbum educant juxta PLINIUM. Ex vento non concipiunt ut fabula vulgi eſt. Mas & fœmina congrediuntur in conſpectu etiam hominum atque in rabiem fere vertuntur. VIRGILIUS ait

Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantum notas odor attulit auras.
At neque eos frena virum, nec verbera ſæva
Non ſcopuli rupesque cavæ, atque abjecta retardant
Flumina correptos unda torquentia montes.

Equæ pullos ſuos admodum depereunt, & facile ad illos redeunt, ſi conceditur.

Vita Equorum plurimis ad annum decimum octavum atque etiam viceſimum annum. Sed nonnulli etiam 25. atque etiam 30. egerunt. Quod ſi cura adhibeatur diligens, vel ad 50. ætas protrahitur. Longiſſima tamen vita in pluribus ad triceſimum annum. Fœmina magna quidem ex parte 25. annos vivere poteſt; ſed jam nonnullæ etiam 40. vixere. Minus temporis mares vivunt quam fœminæ propter coitum, & qui domi aluntur, minus quam gregarii. Equa quinquennio finem tum longitudinis tum etiam proceritatis ſui corporis conſequitur; Equus ſexennio, ſequentibus annis totidem creſcit in corpulentiam & ad 20 usque annos proficit, ſed fœminæ celerius perficiunt quam mares.

Viget equus a dentium ortu, cumque prodierint omnes non facile dignoſcitur ætas. Poſt dentium ortum eo maxime ætas pateſit, qui caninus vocatur. Eſt enim ſeptennibus brevior, propter fræni attritum, quod ad illum injicitur; non ſeptennibus major quidem, ſed non vertice extans adactiore, junioribus acutior eſt atque procerior. Sunt autem Equo dentes 40. Primores 4. menſe trigeſimo mutantur bini utrinque ſupra ſcilicet & infra. Tum ubi præterea annum compleverit, 4. modo eodem prodeunt, 2. ſuperius totidemque inferius

rius. Anno peracto altero ſimiliter 4. mutantur. Annis 4. & menſibus 6. præteritis, nullus amplius egreditur.

Equum felle carere ſed male dicitur ab ARISTOTELE. Dentes ejus in ſenecta candidiores redduntur, cæteris nigreſcunt. Ventriculo uno conſtat, non, ut ruminantia, pluribus. Animal eſt μώνυχον ſolidipes ut mulus, ut aſinus, non διχηλον, biſulcum, neque πολυσχιδὲς καὶ πολυδάκτυλον cujus pedes in multos fiſſi ſunt digitos. Somniat equus, dormit etiam ſtando. Voces equorum differunt. Nam fœminæ ſimul natæ ſunt, vocem edunt exiguam ac tenuem, mares exiguam quidem, ſed pleniorem tamen & graviorem, quam fœminæ & indies majorem reddunt. Bimus cum eſt & inire incipit, vocem magnam gravemque mas mittit fœmina majorem quam ante & clariorem usque ad 20 ætatis annum, magna ex parte, ſed ab hoc tempore imbecilliorem tam mares quam fœminæ. Equorum ducem nullum conſtituunt, quoniam Equorum natura non ſtabilis eſt, ſed mobilis & procax.

Equi gregales, φορβάδες a morbis ſunt immunes excepta podagra ut vult ARISTOTELES. Urbani ſive domeſtici, quos modo dictus author τροφίας ἵππους vocat plurimis morbis ſunt obnoxii, ſcilicet εἰλεῷ, τετάνῳ, κριθιᾷ, καρδιαλγίᾳ rabiei &c.

In Equorum collo juba prominet, qua valde ſuperbiunt & gloriantur. In pectore laudatur latitudo & ad formam & ad robur & ad firmiores greſſus. Dorſum quidem probatur craſſum & latum, ſi tamen ſpina paulo ſit elatior commodius præſtat equili ſedile. Venter ſit moderatus non nimis amplus. Latera laudantur demiſſiora oblonga & ſupra ventrem turgidiuſcula. Femora ſint nervoſa, clunes maximæ, rotundæ, ſolidæ. Cauda prolixa ſit, denſa ſetoſa & criſpa, longitudine totum fere corpus æquans. Pedum præcipua habenda ratio, & militi & agricolæ & peregrinatori & aliis. Nec color negligendus, ubi niger præfertur albo, animumque fortem ac generoſum indicat.

Equus generoſus ac fortis eſt, ut dicit SPERLINGIUS. Acriter pugnat mordendo, calcitrando ac toto corpore ſaliendo. Erigit jubam, ſpumam ore emittit, nares inflat, maxillas huc & illuc torquet, terram ungulis fodit, fremit & hinnit. Hoſtem & equorum adverſæ partis vocem agnoſcit, & nec ſonantibus tubis, nec fulgentibus gladiis ac clypeis, nec etiam bombardarum & tormentorum exploſio-

ne, modo ad eam ſit aſſuefactus, terretur. Hanc animi generoſitatem SCRIPTURA deſcribit apud JOBUM verbis magnificis. Numquid das equo fortitudinem? Num quid veſtis collum ejus fremitu. Num facis ut exultet ſicut locuſta? gloria naris ejus eſt terror ſi eum ſeſſores fodiunt, hoc eſt calcaribus incitant ad curſum in valle, tum gaudet robore; exit adverſus arma. Ridet timorem & non conſternatur: & non revertitur a facie gladii. Super illo ſonat pharetra, fulgor haſtæ & lanceæ. In concuſſione & commotione exhaurit terram ungula, nec curat cum ſonus buccina eſt; Quum buccina ſonat, dicit Huy & e longinquo odoratur prælium, fremitum principum & clamorem.

Equus docilis eſt. Agnoſcunt Equi humanas voces, ſiſtunt, currunt, vadunt quo juſſeris. Militandi artem & ſaltationes eos didiciſſe conſtat. Egregie SCALIGER doctum Equum, deformem alias depingit ſequentibus verbis. Equum puſillum deformem circumducebat Agyrta quidam: cujus juſſu atque etiam ſuo interdum nutu, ille omnia faceret. Ambulare, ſuccuſſim properare, currere, ſaltare vel quadrupes vel bipes. Vinum bibere vidimus, in clunibus ſedentem anteriores pedes ad pateram ferre. Pelvim ſeu malluvium cruribus ſuſtinere, quaſi a tonſore lavaretur. Humi ſeſe ſternere, projectum atque etiam porrectum jacere, ciliorum compreſſione annuere. Caput ad heri nutum attollere, in terga vertere, ſupinus oſtendere, quo corporis ſitu mulieres, ineuntem admittant virum. Sed SCALIGER non tantum talem equum conſpexit edoctum, ſed & noſtris temporibus hinc inde tales equi, mirabunda præſtantes circumducti fuerunt.

E mortuo Equo Veſpas & crabrones fieri quidam dicunt & e fimo Scarabœos. Sed advolare ad fimum vidimus ſcarabœos, generari inde nec novimus nec admittimus, inquit SPERLINGIUS. Cadavera equorum viderunt omnes: abiiſſe in Veſpas & crabrones nemo e noſtris obſervavit. Rectius FRANTZIUS ait: Veſpæ & Crabrones perhibentur naſci ex exanimato corpore equi, ut ex cadavere bovis apes; quod aliter tamen accipiendum vix erit, quam quod illud genus animalculorum gaudeat humorem ſuum genitalem vel ovula ſua deponere in ejusmodi cadaveribus.

Vix Regiones reperiuntur in orbe, in quibus non præſto ſint equi ſive domeſtici, ſive quandoque etiam feri. Declinante ſuperiore ſeculo in Alſatia inferiore adhuc reperti ſunt Equi ſylveſtres.

UNGULÆ EQUORUM Græcis vocantur quaſi ἅπλαι, quod nec bifidæ ſint nec multifidæ. CHELIDON ſeu Hirundo & Ungularum concavitas a nido hirundinis dicta BATRACHOS ſive RANA eſt ea pars, quæ clavis ſolearum ſæpe male adactis læditur; ſeu teneritas oſſium referens formam quam nutrit etiam ejusque radices in ſe continet. Barbari Tuellum vocant, Germani einen Kern nucleum. Si ungulæ pleniores fuerint carnoſæque, citra cavitatem, XENOPHON teſte COELIO χαμήλας vocat. Commiſſuram Ungulæ cum pede ſeu Ungulæ exortum Græci στεφάνην, HIPPOCRATES τῆ ὄνυχος ἁρμονίαν dicit. Κύνες Heſychio & Varino ſunt ungularum pars; alii viciniam iis eſſe volunt ideoque κύνοπλον vocari. GESNERUS putat a RUSSIO vocari falcem. Dicit enim locum eſſe delicatum & nervoſum parumque carnoſum; quod forſan erit μεσοκυνιον. Suffrago id eſt in poſterioribus pedibus quadrupedum, quod in prioribus genu vel eſt nodus aut articulus ſub crure, quo pedis verſura conſtat, tibiæque ita annectitur pes, ut verti poſſit. Barbari appellant Garrectum. Cirri & ſubcirri equorum ſunt ornamenta. Crura equi VEGETIUS vocat gambas quaſi campas, Hippiatri Græci βραχύονας & χήλη vocare videntur. VEGETIUS etiam Latine bracchiola in Equis dixit. Coxendices maximas & validiſſimas habet Equus, iisque utplurimum valet. Inde fieri putat AMBROSIUS NOLANUS, quod ſeſſorem ephippiumque juxta humeros amet, ſecus ac aſini & muli. Ἕδρα XENOPHONTI eſt dorſi ea pars, qua inſidetur. Κόκκυγα vocant Veterinarii partem quantum inter armos ſeu ἐνσακμία interſcalpio. ABSYRTUS κόκκον appellat. GESNERO vero Coccyx eſt pars in medio dorſo juxta ſpinam eminens. Caudam habet Equus bovillæ contrariam, tenorem videlicet brevem quem PLINIUS cauſem appellat, pilos prolixos. Illam VEGETIUS Muſcarium, a muſcarii flabelli ſimilitudine, hos PLINIUS ſetas, & lonigiores quibus muſcas abigunt Græci σόβα vocant. Duriores ſunt in Equis quam equabus, quod harum caudæ urina madefactæ ſetas invalidas habeant. Qui ex collo dependent crines juba LATINIS, XENOPHONTI χαίτη, ARISTOTELI

STOTELI λοφία ſeu criſta dicuntur. Qui a vertice juxta oculos & tempora propendent Capronas LATINI, Protocomium VEGETIVS, προκόμιον XENOPHONTES dixit. Palpebra inferior pilis caret.

Equus paludibus & riguis gaudet, nec montes modo rigui ſint aſpernatur. COLVMELLA, equorum gregibus, inquit, ſpatioſa & paluſtria, nec non mōntana paſcua eligenda ſunt, rigua nec unquam ſiccanea, vacuave magis quam ſtirpibus impedita, frequenter mollibus potius quam proceris herbis abundantia. Locum paſcendis Equis idoneum ἱπποφόρβιον vocant. Pompicus & bellator ſtabulo continetur. Id equile alii, VARRO Equarium, GRAPALDVS proprie præſepe dixit. Græcis ἵππων ἱππόστασις, σταθμὸς, φάτνη, ut POLLVX annotavit. HESYCHIVS & VARRINVS apud Lacones ἱππάκην dici tradunt. Lignum ad quod capiſtris alligantur vacerra nominatur. Cum incedunt ſonitum edunt, pedibus terram pulſantes; Inde Latinis ſonipedes Homero ὑψήχεες quaſi Altiſoni dicuntur. Cognitus eſt verſiculus

Quadrupetante pedem ſonitu quatit ungula campum.

Quoniam poplites non adeo flectere poſſunt, aſcendendo magis fatigantur & lapſi majori cum impetu ruunt. In deſcenſu non debent conſcendi, in planitie poſſunt urgeri, unde proverbium Gallicum.

a la montée ne me preſſe pas,
a la deſcente ne me monte pas,
a la plaine ne m'epargne pas,
a l'ecurie ne m'oublie pas.

PAVLVS VENETVS, & BARO AB HERBENSTEIN teſtantur Sarmatos iſtos, ſive Scythas & Getas, quos hodie Tartaros vocant, vulnerare equos cruoremque & per ſe & cum milio devorare. Carnibus quoque eorumdem veſci, etiam ſemicrudis. Præterea Equos pridie tum ſponte defectos, tum morbo peremptos, exciſa parte putrida, perlibenter comedere: equitantes ſi fames invaſerit, aut ſitis moleſtiam crearit, venas equorum aperire, hauſto eorum ſanguine famen & ſitim pellere: lacte vero equorum cum primis delectari; quod homines eo pingueſcere & validos robuſtosque fieri habeant perſuaſum: Reges illorum, ſi quando ſuis commeatum diſtribuunt, 40. hominibus equum unum aut vaccam dare: iis autem mactatis, nobiliores qui ſunt, inteſtina tantum ſumere, ac inter ſe dividere capita equorum, quod in delitiis habeantur, & primatibus ſolum apponantur, ut apud nos aprorum. Alii tradunt adud Perſas olim uſu receptum fuiſſe ut in divitum conviviis, die cujusque natali, equi aſſi apponerentur. Ferunt quosdam populos Alpinos equorum epulari pullos. Fama quoque fuit Turcas olim in bello equinam ſiccátam & in farinam molitam admiſiſſe in cibatum. Verum & recte SEBIZIVS ait, nemo apud nos vel equina vel aſinina nunc veſcitur carne. Veſci ſolum cogit urgens fames & obſeſſio urbium. Tum enim ne quidem ab aliis animalibus longe deterioribus, imo ne quidem à coriis eorum abſtinemus. Hiſtoriæ notæ ſunt non veteres modo, ſed & novæ atque recentes. Cauſa vero cur Equina caro apud nos in uſum cibarium minime veniat, eſt, quia ſucci eſt pravi, concoctu difficilis, palato ingrata. Eſt & altera, quoniam equorum opera utiliſſima nobis eſt ad vehendum, trahendum, venandum peregrinandum, arandum, præliandum, exercendos trium-

phos; peragenda haſtiludia, aliaque infinita. Carnem interim equinam commendant quidam ad morſus Viperarum & ſerpentum, ſi recens imponatur.

EQVÆ LAC tenuiſſimum eſt. Lac maxime perpurgat dicente JONSTONO, ut purgare Dioſcorides tradat, utile cenſetur Epilepticis, Phthiſicis, tuſſientibus, aſthmaticis. Exhibetur etiam ad variolarum excretionem promovendam. RHASIS mulierem, quæ non concipit, ſi lac equinum ignorans biberit, & mox cum viro congreſſa fuerit, concepturam ſcribit. Serum hujus lactis ad ulcera renum perpurganda conducit, ſi Ætio credimus, illud nempe quod per decoctionem ex lacte ſeparatur. Hodie hujus lactis uſus contemnitur.

SANGVIS, Equarum præſertim quæ admiſſuram expertæ ſunt, dicitur eſſe ſepticus. Teſte FRIDERICO HOFFMANNO, in clav. SCHROEDER. ſumma in copia ſal ſuppeditat volatile, elegantiſſimum, caduco expellendo præſtantiſſimum.

HIPPOSORCHIDES ſive TESTICVLI EQVINI, die Hengſt-Gaylen / per caſtrationem exempti. Hi ex præcepto ETTMVLLERI aliorumque prius diſcindantur & poſt temperato igne exſiccentur, & ſi placet, cum eſſentia Myrrhæ irrorentur, ut diutius durent: ſic pulveriſati mire commendantur in compeſcenda colica, & hinc eorum uſum recte deprædicat ZACVTVS LVSITANVS & FONSECA. Propinatur pulvis vel ſolus, vel cum ſemine aniſi vel cum Priapo Tauri aut Cervi, cum priapus tauri & Cervi per ſe non ſint ultimum remedium in eadem. ZWELFFERI experimentum fuit, pulverem horum teſticulorum cum aqua florum liliorum ad pellendum partum difficilem, fœtum mortuum, ſecundinam, lochia, & ſi quid in partu, vel

poſt

poſt partum remanſit in utero, ita ut ſint unum ex primariis ſpecificis pro partu difficili. HENRICVS ab HEER cuidam fœminæ difficultate partus laboranti pulverem teſtium equi, in aqua liliorum alborum cum croco propinaverat, dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctiſſimum enixa eſt. Doſis eſt ad ℈ß. ʒß. ℈ij. vel etiam ʒj. Vis ipſis quoque adſcribitur Aphrodiſiaca.

℞. Teſticul. Equinor. pulveris. ʒj. borrac. Venet. ʒß. ad ʒj. Croc. ℈j. Mſc. pro duabus doſibus vel tribus æqualibus, ſucceſſive in aqua liliorum alborum ſumendis & maxime proſunt in partu difficili, fœtu mortuo & ſecundina expellendis. Eſt pulvis ex ſchola HELIDÆI Paduani profectus.

Ingrediuntur hi teſticuli etiam pulverem pro ſimili ſcopo, qui

IN OFFICINIS PROSTAT.

Pulvis ad Dyſtokiam, Pulver die Geburt zu beförderen/ *Poudre pour les accouchemens difficils.* Vires nomen indicat, quod videlicet ad partum & ſecundinas pellendas inſerviat. Datur vel cuſpidatim, vel ad ℈j. vel ʒß. & quandoque ultra.

MUSCA

AXUNGIA COLLI EQVINI, KammSchmaltz/ AXONGE DE COL DE CHEVAL, luxatis articulis commodiſſime illinitur. Pinguedo cutis jubati colli vi detracta a vivo equo & capillitio abraſo hominis impoſitas renaſcentes facit, ſed non ſine cephalalgia: qui prius progerminant, æmulantur equinos, & hi tamdiu abradendi, dum humani ſequantur. Hæc ut & ex aliis equi partibus deprompta ſuffumigata, partum mortuum, ſi SEXTO credimus

credimus, foras ejicit, & ſecundina ſequitur. Axungia Equina laudatur ad menſes pellendos & ad curanda ulcera interna præſertim pulmonum.

DENTES equorum, qui primi equo cadunt, die Füll-Zähn / infantibus adalligati dentitionem facilem præſtant, idque efficacius, ſi terram non attigere, ut PLINIUS prodidit. SEXTUS eos, ſi dentes, qui doluerint, tetigerint remedio eſſe ſcribit; Nam & infans, addit idem, ſi equi roſtrum baſiaverit, dentium dolorem non ſentit, & nec equus mordebit infantem. Dentes hi quoque incinerantur & pro dentifricio uſurpantur ad dealbandos dentes. Sunt qui dicunt cum LONICERO, ſi dentes Equi non caſtrati ſubjiciantur pulvinari, impediatur ſtertor in ſomno; fides ſit penes authores.

LICHENES EQUORUM, ſunt ingentes iſtæ verrucæ, quæ adnaſcuntur pedibus equorum, die Wartzen ſo die Pferde zuweilen an den Füſſen haben; Les verruës & les duretés calleuſes, qui s'engendrent aux genous, aux jambes & aux pieds des chevaux, quas interdum equi ſua ſponte dejiciunt in ſtabulis, aut quæ abſcinduntur, multum commendantur, (ſunt verba ETTMULLERI,) in curanda paſſione hyſterica ſub forma pulveris. Aliqui horum raſuram commendant ad quemcunque fere morſum. Lichenes hi triti & in aceto exhibiti comitialibus proſunt, uti DIOSCORIDES, GALENUS & PLINIUS tradunt. Calculos quoque pellere feruntur. Externe ſuffitus lichenum recipiatur à ſexu ſequiore in partes genitales: hoc ipſo enim mire paſſiones hyſtericas compeſci aſſerunt. Pulveriſati lichenes & naribus inflati hæmorrhagias ſiſtunt. Eſſentia horum Lichenum valdopere convenire dicitur in paſſione hyſterica.

℞. Lichenum p. I. affund. Spir. Vin. aut alterius ſpiritus appropriati q. ſ. f. l. a. extractum quod multum confert ad paſſionem hyſtericam. Doſis a gr. v. ad ℈ß.

℞. Verrucar. Equor. ℥j. aſæ fœtidæ ʒj. Ungul capr. ʒij. Mſc. f. pulvis, cujus ℈j. accendatur & fiat ſuffitus per tubum ad uterum. Eſt pulvis PARACELSI præſentiſſimus in ſuffocatione uterina, de quo Fonſeca dicit, nullam eſſe ſanatam, quæ ab eo non excitetur.

UNGULA SOLEA EQUINA. Roß-Huff. Corne du pied; eſt etiam remedium contra paſſiones hyſtericas; exinde quidam parant extractum pro uſu interno. Partes iſtæ Ungulæ equinæ, quæ abſcinduntur, quando nova imponenda eſt ſolea, pulveriſatæ & exſiccatæ, atque ad ʒj. aſſumptæ, valde convenire dicuntur in dyſenteria & diarrhœa, uti AGERIUS in tr. de DYSENTERIA affirmat. Eadem ungula frixa cum butyro, aſſumptaque, fuit ſecretum HELMONTII in dyſenteria: obſervetur autem, quod non debeat deſumi ex equo laſciviente, alias magis erit nociva. Suffitus hujus Ungulæ genitalibus exceptus menſes retentos & fœtum mortuum promovet. In peſte quoque commendari ſolet. Pediculos quoque fugat talis ſuffitus. Ungularum cinis cum oleo & aqua illitus, panos & apoſtemata in quacunque parte diſcutit, ſed & ſtrumas ſi urina calefacta admiſceatur. Ex vino & aqua potus hic cinis adverſus calculos prodeſt. Ramenta per nares equo infuſa urinam ejusdem promovere, HIEROCLES ſcribit.

SUDOR equorum cum urina in balneo bibitus tineas & ſerpentes e ventre hominis exigit, ſi promiſſis quorumdam credendum. Si potetur a muliere prægnante cum vino, fœtum ejicere & producere abortum ſolet. A quibusdam perhibetur, quod hic ſudor cum Urina permiſtus, a

ſcabioſo, dum balneum ingreditur bibitus, ſcabiem curet, omnesque cutis impuritates. Si cultelli vel gladii calefacti hunc ſudorem imbiberint, inficiuntur adeo, ALBERTO prodente, ut locus ab eis vulneratus, ſanguine ante mortem animantis fluere non deſinat.

URINA aquæ ferrariæ mixta contra comitialem morbum miſcetur.

SALIVA Equorum recens ſpumeſcentium, ſeu ſpuma recens detracta, & cum oleo roſaceo infuſa, auricularum quamvis vehementes dolores reſolvit. Eadem, MARCELLUS, ſi ab equitando vexata fuerint inguina, aut intertrigines doluerint, fricari tanquam præſenti remedio jubet. Ex ſaliva commendat GESNERUS in fervido faucium malo, quod æſtate nonnunquam, peſtilenti lue in milites imprimis graſſatur, remedium. Saliva, inquit, equi, avenam aut hordeum paſti os ægroti diligenter colluitur: deinde ex cancris vivis contuſis humorem exprimes, eodemque rurſus lavabis. Quos ſi vivos habere non potes, pollinem de cancris aridis in clibano toſtis inſperge, poſtquam equi ſaliva ablueris. Phthiſicis jam deſperatis ſalivam vel ſpumam cum aqua calida per triduum dabis. Æger ſine cunctatione ſanabitur, ſed Equus morietur. Id a PLINIO Marcello & Sexto proditum eſt. Hæc ſaliva per triduum pota tuſſim quoque ſedat. Saliva hæc exterius inuncta, imprimis a non caſtrato & nunquam Venerem experto deſumpta, verrucas tollit & illarum proventum prohibet. Aqua frigida ex ore Equi non caſtrati in præterfluentem potantis elapſa & ſubito vaſculo collecta prodeſt ad ſterilitatem emendandam ſemel iterum pota ex conſilio HARTMANNI.

PILI ad oſtium domus alligati, ne culices per oſtium involent, prohibent juxta RHASIN & ALBERTUM. Siſtunt pili ut & eorumdem cinis ſanguinis profluvium. Pilo circumligato verrucæ tolluntur, quod propter adſtrictionem alimento privatæ areſcant. Pili alias hi die Roß-Haar ad varias res imprimis etiam ſedilia pulvinaria, lectos &c. farciendos adhibentur, compreſſi enim ob vim elaſticam reſurgunt commodioremque cubitum ac ſedem procurant.

ANIMALIA ET PARTES ANIMALIUM SALE VOLATILI BLANDO CONSTANTES.

Capita Muſcarum.
Caput Felinum.
Caro Aureolæ.
Caro Carduelis.
Caro Cocothrauſtæ.
Caro Curviroſtræ.
Caro Erinacei.
Caro Fringillæ.
Caro Galli Indici.
Caro Luſciniæ.
Caro Motacillæ.
Caro Muſtelæ.
Caro Porcelli Frumentarii.

Caro

Caro Sciuri.
Cerebrum Paſſeris.
Cerebrum Picæ.
Cor Corvorum.
Cor Fulicæ.
Coronæ Serpentum.
Exuviæ Serpernum.
Hippentera.
Parus.
Sanguis Alaudæ.
Sanguis Aſini.
Sanguis Mergi.
Sanguis Noctuæ.
Sanguis Talpæ.
Sanguis Veſpertilionis.
Spinæ Muſtelæ piſcis.

CAPITA MUSCARUM.

Sunt Muſcarum præſertim domeſticarum capita.

In

MUSCA, μυῖα ἀπὸ τοῦ μύζειν. i. e. altum ſugo, muſſito, quia utrumque facit Muſca. Dicitur autem non quaſi a muſco, ut quidam, dicente MOUFETO, ineptule ſomniant, ſed a muſculo, nam detractis alis, caput nervoſum, corpus molle cauda tendinoſa apparet. Hinc muſcula diminutivum apud BOETHIUM eleganter exclamantem, quid homine imbecillius, quem morſus muſcula-

rum necat. Germanice dicitur, ein Flieg / ein Muck / Gallice MOUCHE.

Muſca vulgaris ſequenti modo deſcribit JOHAN. DE MURALTO in EPHEM. N. CUR. Muſca habet caput, pectus & alvum. Capitis partem anteriorem potiſſimum conſtituunt oculi, qui utrinque eminenter proſtant, immobiles ut gryllorum oculi & punctis infinitis ceu totidem gemmulis elegantiſſime ornati, ac circulo utplurimum albo cincti, ſupra quem pilorum ſeries exſurgit, qui ad angulum oculi majorem & corpora duo cylindriaca, in media facie ſita, continuantur, recurvi & ramuſculorum inſtar implexi. Intra pilorum iſtorum ſepem corpus membranaceum, latiuſculum, holoſerico nigro ſimile jacet, quod a circulo albo oculorum prodiens pluribus foraminibus notatum oculos diſtinguit. In ſummitate autem capitis corpori huic implantata eminentia coronam refert, quippe ex circulo aureolo conſertam, ac triplici gemma nigra pulcherrime ſplendente ornatam. Hic etiam ſetæ plures recurrvæ exurgunt. Infra membranam nigricantem, oblonga corpuſcula duo ſurſum deorſumque mobilia, ac interpuncta viſuntur, quibus plumoſi tres pili, caudæ muris piloſæ ſimiles, inſident, quorum poſterior ſemper brevior eſt & a levi quacunque aëris agitatione commovetur. His pilis cavitates duæ ſubjacent, intra quas illi aptæ reconduntur ad muſcæ irritationem. In parte capitis inferiore corpora utrinque proſtant maxillas referentia, albida, punctis nigris conſperſa & pilis hiſpida, hæc ab inferiore parte verſus corpora cylindriaca ſenſim incurvantur, & in ſummo acumine pilos prælongos decuſſatim emittunt. Infra pilos hoſce cavitas alia cernitur ori ſimilis, in qua proboſcis complicata deliteſcit; ſuperior oris hujus pars membranæ ad inſtar albicans pellucida eſt. Proboſcis Elephantinæ non abſimilis in extremitate piloſa eſt & oris inſtar fiſſa, ex media proboſcidis parte progrediuntur corpuſcula duo cylindrica piloſa. Collum a parte poſtica binos habet muſculos, quibus caput pectori adducitur, anterius vero collare griſeum & plumoſum conſpicitur, ſub quo ſpeculum ſpadicei coloris. A collo œſophagus interne deſcendit in thoracem, qui a parte poſteriori usque ad alvum in utroque latere piloſus eſt, ac in medio alis binis tranſparentibus tenuiſſimæ texturæ inſtructus. Dorſum lineæ nigræ ſex & tres transverſæ diſtinguunt. Extremitas

mitas dorſi pallidior eſt cæteris thoracis partibus. Internæ coſtæ pulcherrime differentes videntur, itemque caro flaveſcens & glutinoſa. Duo autem foliola abdomini a dorſo incumbunt. Inteſtina cellulas & vaſa nigricantia ſecundum longitudinem deducta poſſident, & flaveſcentem transparentemque pituitam continent. A pectore pedes ſex prodeunt ſpinoſi & in extima parte ungulati, prætereaque ductus hamis inſtructi, ad adhærendum aptis; articulus eſt in femore, genu & pede extremo. Alvus eſt verſicolor, plurimum autem ad cœruleum vergens, piloſus propemodum ac e quatuor vaginis complicatus, lineisque totidem notatus. Ventriculus cum inteſtinis velut Cochleæ intortus eſt: ovaria duo cum ovulis notantur & in fœminis & in maſculis. Exiſtimo, inquit DE MURALTO, me in muſcis, aculeo inſtructis flava ovaria nigris fibrillis conſperſa notaſſe; dubium an muſcæ ſint hermaphroditæ. Cor in abdomine latet ſub diaphragmate pallidnm, conicum, unico ventriculo ſimplici donatum, & pericardio cinctum. Stomachus amplus eſt ac membranaceus, ſæpeque compreſſo digitis alvo veſicæ inſtar cum ſonitu diſrumpit. Meſenterium flavum inteſtina appoſite conjungit. Penis oblongus eſt & nodoſus in medio albidus, ac utrinque lineis nigris notatur, apiceque nigro præditus. DN. DE LA HIRE exiſtimat, tres illas gemmas in capite muſcarum eſſe oculos cum palpebris, quod tamen ſectio noſtra neutiquam approbat.

SCHROECKIUS in Scholio ad præmiſſam anatomen ſequentia addit. Quæ de muſcarum in ERUDITORUM EPHEMERIDIBUS ROMANIS profertur obſervatio P. DE GOTTIGNIES Matthematici in Coll. Rom. uti curioſa eſt, ita hic adduci meretur; Italici idiomatis ſenſum ſic latine reddendo. In capite muſcarum culicum, papilionum aliorumque ſimilium animalium extant duo corpora irregularis convexitatis, quæ microſcopio obſervata apparent elegantiſſima inque muſcis oculi eſſe creduntur. Quo inſtrumento etiam eadem obſervavit D. ROBERTUS HOOKE, & diligenter deſcripſit, in ſua MICROGRAPHIA, ubi partes has ex multis variæ magnitudinis globulis eſſe compoſitas notat, inque forma triangulari diſpoſitas & tam bene unitas; ut inter unum & alterum nonniſi ſpatium interſit, quod a talismodi figuris conſequi neceſſe eſt. Quemvis autem horum minutorum globorum perfectum

eſſe

eſſe oculum credit, ita ut Muſcæ oculos quaquaverſum directos habeant, quibus immotis antrorſum, retrorſum & lateraliter videre queant, quo commodo cætera animalia, paucis oculis prædita careant. Horum vero globulorum in quadam muſcarum ſpecie usque ad quatuordecim millia numerat, i. e. ſeptem in quolibet latere, quatuor nempe millia parvorum & tria millia minorum. Sed P. GOTTIGNIES partium iſtarum diligentes obſervationes inſtituit, atque ſuis ex principiis opticis diſcurrendo ſtatuit, non poſſe illas pro organis viſus inſervire, quia aut quælibet earum unum ſolum oculum conſtituat, aut multos; ſi unicum, iſta extima ſuperficies pro cornea inſervire deberet, quod eſſe nequit, cum habeat irregularem convexitatem, non æqualem & politam, qualis in cornea requiritur; ſin multos, magna confuſio in viſione ſequeretur. Exiſtimat ideo, alium in finem quam ad videndum a natura eſſe conſtructos, & conſiderans, quod tumidæ ſint atque inſtar tympani tenſæ, pro auditu inſervire arbitratur, quia organum aptum conſtituunt ad percipiendam aëris externi trepidationem i. e. ſonum. Tantoque magis in hac opinione confirmatur, quia per microſcopium in capite muſcarum vidit partes aliquot oculis aliorum animalium ſimiles. Et certe dubitari poteſt, an partes hæ realiter ſint muſcæ oculi, cum forma & colore parum differant a maculis illis nigris, quæ ſimiliter per caput ſparſæ reperiuntur. Sed dubium omne demitur, ipſo dicente, ab obſervationibus in aliis animalibus factis, in quibus clare conſpiciuntur oculi & ſupradicta convexa corpora, prout in cimicibus illis, quos Itali Cimici di Campagna vocant, objecto curioſiſſimo per microſcopium multæ maculæ nigræ, elegantiſſimo ordine ſparſæ in fundo partim albo, partim flavo, adparent, quorum nempe animalculorum in capite clare conſpiciuntur duo corpora elevata, dictis muſcarum ſatis ſimilia, & ſupra illa duo diſtincti globuli, quos nihil eſſe aliud quam oculos ſatis eſt veriſimile. Inventis itaque in uno eodemque animali duabus illis eminentiis vel convexitatibus, quæ in muſcis occurrunt, & una oculis evidenter ab iis diſtinctis, concludit, quod etiam in muſcis convexitates illæ non ſint oculi, ſed potius auditus organa. Quicquid ſit (inquit SCHROECKIUS) unicum hic addere liceat, corpora ſcilicet illa globularia naturæ eſſe membranaceæ, intusque liquore craſſiuſculo & ſanguinis ad inſtar rubicundo,

non-

nonnihil tamen obſcuriore oblinita atque infarcta; quo deterſo, membranam ipſam, ſic ſatis pro corpuſculi iſtius, muſcæ nempe conditione craſſam & coloris expertem comparere; cui ſi corpus aliquod coloratum, rubrum, nigrum &c. ſupponatur, globulorum iſtorum (ſi tales & non potius maculæ albicantes fuerint, præcipue cum ex utraque tam externa ſive convexa, quam interna ſive concava membranulæ parte ſeſe videndas exhibeant) ſummitatem colorem iſtum non transmittere, ſed albicantem ſuum nitorem ſervare, reliquum vero ſpatium intermedium non maculatum, ſive ſpatiola globulorum depreſſa corporis ſuppoſiti colorem oſtendere.

Muſca pennata eſt non eo modo quo cæteræ volucres, ſed ex pelliculis ſunt illi pennæ, quemadmodum & locuſtis & cicadis & apibus. Si quis muſcam diligenter inſpiciat, quando in ſole alas expandit variis eam pictam coloribus, ut pavones, videbit. Eſt illi volatus non continuo pennarum remigio, ut Veſpertilionibus, neque ſaltu ut locuſtis, neque cum ſtridore ut Veſpis; verum flexilis, ad quamcunque aëris partem ſe commovet. Adde quod non volet quiete, & ſilentio, ſed cum cantu & melodia, non item immitte aut ſævum, animal, neque cum gravi fremitu apum aut veſparum, horribilem oſtentans ſonum & minacem, ſed volat his ſuavius.

Luce plurimum gaudet, nocte vero quieſcit. Publice quaſi ſcortantur, neque cum inſederit mas ſtatim reſidat, ſed vehitur a fœmina diu, fertque illa ſponſum, convolantque, nec aërium illum coitum volatu deſtruunt. Otioſa eſt muſca & remiſſa, veſcitur iis tantum, quæ elaborantur ab aliis & plena ubique ei eſt menſa. Nam ipſi & capræ mulgentur & apis non minus muſcis laborat, quam hominibus, atque hinc coci obſonia; dulciarii tragemata, pharmacopolæ ſyrupos conficiunt, quos deguſtat, antequam reges: deambulansque per menſas, una cum ipſis convivatur, & ſimul veſcitur omnibus: impudentia ſuperat mendicos atque errones: quoniam illi negari ſibi cibum permittunt, hæc vero vagula repulſam non fert, ſed inutilem alvum paratiſſimis conviviis etiam nolente hoſpite exſatiat.

Hyeme adventante maximam partem omnes expirant: quæ vero in rimis, muris, foraminibus, hypocauſtis frigus vitarunt, languidæ & infirmæ latitant, aliamque hyemem vix ferunt. Immundis lubentiſſime adhærent & loca immunda potiſſimum frequentant in-

quietæ ſunt, importunæ, audaces, infeſtæ, moleſtæ, tumultuoſæ impudentes.

Coëunt Muſcæ aliæ diu, aliæ pauliſper opus expediunt: modus coëundi, aſſerente ARISTOTELE, a plurimis inſectis alienus eſt. Nam mas ubi fœminam conſcenderit, recipit fœminæ membrum ſeminis quærendi gratia exporrectum in corpus ſuum, atque ibi receptum materia atque vi prolifica adimplet. PENNIUS ſe duas muſcas in venere volantes deprehendiſſe dicit, quæ mixtæ videbantur naturæ & viciſſim conſcendebant. Aliquanto poſt coitum intervallo, vermiculos excludunt, qui mira metamorphoſi in muſcas rurſus mutantur.

Obtruncata capite muſca, plurimum vivit parte reliqua corporis, imo currit atque ſalit & volat; imo mortua atque ſubmerſa ſolis calore vel ſuperinfuſo cinere, aut ſale reviviſcit. Sunt qui muſcas ſubmerſas in cineribus tepidis vel tepida farina ponunt: & per quartam horæ partem inter manus halitu fovent, donec reviviſcant.

Muſcarum variæ ſunt differentiæ, hic intelliguntur domeſticæ, ubivis obviæ.

CATUS

In varios uſus ſunt creatæ muſcæ. Non ſolum enim ex illis præſagia tempeſtatum diſcere poſſumus, ſed & medicinæ ſunt ægrotantibus, variisque tum avibus, tum piſcibus alimentum præbent. Præſagia quod attinet, Muſcæ atrocius, quam ſolebant, mordentes, os & oculos hominum aliorumve animalium petentes, pluvias ſignificant: unde POLITIANUS

Sitiensque cruoris
Muſca redit, ſummosque proboſcide mordicat artus.

Forte, quia pluvia ingruente magis eſuriunt, ideoque ad

ſe-

levandam famem victum diligentius quærunt. Hoc præterea animadvertendum eſt , pluvia vel tempeſtate appropinquante, muſcas ex ſupremo aëre ad infimum deſcendere , & quaſi in ſuperficie terræ volare. Quin etiam ſi in aromatis frequentes appareant, pluviæ imminentis ſignum exhibent.

GALENUS e muſcis medicamina contra alopeciam deſcripſit iisdemque muſcis nunc ſolis nunc mixtis uſus eſt.

℞. v. gr. muſcarum capita, contere & affrica capiti alopecia laboranti & certo ſanabitur. Vel plurima muſcarum capita recens avulſa nudis partibus affrica in alopecia præſertim exulcerata. Sunt qui muſcas ad extremam ſiccitatem torrefactas cum alcyonio , ſulphure vivo, felle ſuillo ac aliis ad alopecias commiſcent : quidam iis pilos urſinos calami atque filicis radicem & caſtanearum corticem adjungunt, eoque medicamento non ſolum alopeciam, ſed quodcunque pilorum defluvium & ex quacunque cauſa raritatem emendant, loco affecto prius ad ruborem usque foliis ficulneis perfricato. Alii ſanguinem e capitibus muſcarum fluentem ſolum adhibent : quidam per decem dies cinerem earum applicant, cum chartæ vel nucum cineribus , ita ut tertia pars ſit muſcarum cinis. Alii lacte mulierum vel cum braſſica muſcarum cinerem ſubigunt , quidam cum melle tantum. Ad palpebras gignendas hujusmodi medicamentum PLINIUS præſcripſit.

℞. Muſcarum fimique murini cinerem æquis portionibus permixtum, ut efficiatur dimidium pondus denarii, additis duabus ſextis denarii ut omnia œſypo illinantur. Quidam advitiligines muſcas illini jubent cum radice lapathi, nec defuiſſe memorat PLINIUS, qui eandem ob cauſam

ſam unam & viginti muſcas ruſas emortuas in potu darent, infirmioribus vero pauciores.

Muſcas in variis oculorum morbis veteres atque neoterici laudant, præſertim vero in ſuffuſione, lippitudine, diſtorſione, & crithis palpebrarum Ex muſcis vulgaribus aqua per balneum deſtillata, ſi oculi veſperi intus laventur. Capilli ſi ea madefiant, in immenſum creſcunt. Vas autem autumno ſepeliendum & materia ſub hyemem deſtillanda. Hujus duabus guttis in aures infuſis ſurditatem tolli narrat GESNERUS, medicamentumque iſtud Judæo cuidam refert acceptum.

Muſcæ impari numero confrictæ medici digiti furunculis mederi dicitur. Si jumentum urinam non reddit, vel ſi urina genitalia aduſſerit, muſca viva naturalibus inſerta opitulatur. Ad equi genitale prolapſum urinario meatui muſcam imponito.

Nec modo hominum jumentorumque ſaluti auxilio ſunt, ſed etiam in multorum animalium cibum creatæ videntur. Nam araneorum quædam genera muſcas venantur iisdemque veſcuntur. Hirundines muſcis & fere ſolis veſcuntur, adeo ut fere ſolum propter hirundines muſcæ factæ putentur: eaque ratio eſt cur ipſas ſerena tempeſtate in ſublimi, pluvioſa vero in infima aëris parte venentur. Chamæleon, quem multi ſolo aëre cibari falſo ſcripſerunt, muſcis veſcitur; quas lingua ſex uncias longa velociſſime quâſi vibrando exerta ſubito ferit, attrahitque & deglutit, ut propriis oculis illud MOUFETUS animadvertit. Motacillæ muſcis vivunt, anates quoque muſcas devorant, ut & aliæ aves. Piſces quoque ipſi, Truttæ &c. muſca & præprimis ſtercoraria alliciuntur, quare piſcatores ſingulas aut binas hamo affigere ſolent, & luſoria vel potius fradulenta

lineæ

lineæ retractione truttas avidius invitare, ut eſca affatim deglutita certius pendeant. Alii hamos his muſcis onerant quantum poſſunt, ac fluminis fundo demergunt, præſertim ubi grandiores truttas verſari in compertis habent, quæ etiam humi delatam lubentius appetunt, avidiusque ad jacturam usque animæ devorant.

Ne boves, jumenta, vel alia animalia a muſcis petantur ungantur oleo in ſartagine frixo, & muſcæ iis non inſidebunt. Origanum tritum ad lævorem & illitum idem præſtat: ſucco foliorum cucurbitæ ſi pilos inunxeris, non parva rei admiratione a muſcarum viribus liberabuntur, hoc mihi ſæpe utile fuit inquit CARDANUS. Fungis Muſcariis dictis lacte ſeu melle pertritis facile enecantur, ſi eos guſtaverint Melanthium, Sambucum, ebulum, laurum, coriandrum, helleborum, bugloſſum, hyoſcyamum, ſtaphidem agriam, borraginem, ſalviam, betam, lyſimachiam, origanum, baſilicum, meliſſophyllum, rhododaphnen, piper Sphondilium &c. in ædibus, ſternunt, ſuffitum exinde excitant, decoquunt & decocto conclavia conſpergunt. Piper contuſum in lacte reponitur & muſcæ deguſtantes exinde moriuntur. In peculiaribus quoque vitris cereviſia reponitur, ut ſubmergantur: Foliorum Cucurbitæ ſuffitus muſcas enecare dicitur. Cobaltum & Arſenicum pro interficiendis muſcis quoque uſurpantur, caute autem procedendum eſt, ut nunc alia brevitatis cauſa ſilentio involvam.

CAPUT FELINUM.

Eſt Felis ſeu Cati Domeſtici caput præſertim nigrum.

CARO

CATUS, CATTUS quaſi cautus a ſolertia & aſtutia in venandis muribus vel a capiendo Αἴλουρος παρὰ τὸ ἄλλειν τὴν οὐρὰν a blanda caudæ vibratione, CATUS MURILEGUS, FELIS a Φῆλος fallax. impoſtor, quoniam felis eſt animal fraudulentum, eine Katze. UN CHAT.

Felis adeo commune eſt animal, ut nemini non ſit notum. A SPERLINGIO definitur, quod ſit brutum quadrupes, blandum, velox, aſtutum, omne genus murium proſequens.

Duplex eſt Catus, vel domeſticus vel ſylveſtris: de Cato domeſtico, von der Hauß-Katz/ hic potiſſimum ſermo eſt. Qantitate minor vulpe eſt, caput habet rotundum, oculos ſplendentes, ſpecie Leoni non omnino abſimile, præſertim facie dentibus & unguibus, ut diſſerit SCHWENCKFELDT. Auriculæ ſunt acutiores. In tenebris illi fulgent radiantque oculi. Lingua imbricatæ aſperitatis & limæ ſimilis, attenuansque cutem hominis. Pedes unguibus acutis habet inſtructos. Corpus totum ad luſus varios diſpoſitum maxime eſt. Cum pendere aliquod, aut trahi, aut alio moveri modo cernit, aſſultat, ore & unguibus captat nunc reſilit, nunc proſilit, denuo rapit, projicit mireque geſticulatur. Et cum quavis occaſione data ludere geſtiat, propriam ſæpe caudam capit, dimittit, reſumit, itaque ſe gerit, ut pueri & otioſi homines, riſus habeant materiam. Motum habet velocem & ſcandendo, progrediendo, reptando, ſaliendoque ſe exercet. Murem cum cernit toto irruit impetu, gratamque captat prædam, Omnes angulos ædium percurrit, operta apertaque perluſtrans. Ex altiſſima turri cum dejicitur, parum admodum detrimenti capit. Volare enim quaſi videtur ob pedum, caudæ ac totius corporis extenſionem.

Mures appetit atque odit. Cattorum Cati ſunt mures prendere nati. Non appetit ut amat atque conſervet. Etiam cum ſatur eſt captat eos atque necat. Etiam quos non devorat apprehendit & occidit. Interdum ludit cum muribus Catus juxta illud. Cattus ſæpe ſatur cum capto mure jocatur: dimittens eos ac denuo captans, ſed finito luxu occidit ac devorat. Avibus quoque eſt infeſtum animal. Lepuſculis quoque inſidias molitur. Piſces mire appetit quibus tandem & veſcitur. Veſcitur etiam aliis carnibus & variis aliis

rebus

rebus juxta verſum; Cattus edit piſcem ſed non vult tangere flumen, & Cattus de Caſeo tarde depellitur eſo.

Feles tegunt excrementa ſua & abſcondunt quantum poſſunt, partim ob odorem, ne prodantur muribus, partim & præcipue ob munditiem In libero enim campo id agunt, ubi nec venantur mures, nec diu perſtat odor: nec ob invidiam ne homines utantur iis ac fruantur. Livor exiguus qui non alio nos privat bono, quam fœtido excremento. Cauſa eſt amor munditiei, ne fœtida iſta materia, ædes, hortos, terrasque conſpurcet. Sicut ob munditiem pedes ventrem caudam & cæteras partes perpetuo feles lambunt. Pluviæ ſignum exhibent, ſi pedibus caput præſertim anterius multum detergent.

Cati in ſaccis procul delati redeunt, mutante hoſpite ædes easdem non deſerunt. Manu hominis demulceri ambiunt. Valerianæ ſe libenter affricant, mentha Cattaria delectantur. Cattorum tripudium ſi exhibere cupis, Valerianæ radicem catto uni aut pluribus projice: accurrunt odore illecti: mox lambent ac baſiabunt, tum circum curſitantes tripudiabunt, arreptam dentibus vellicabunt identidem, volutabuntur circum ac miriſſimos geſtus incredibilis delectationis & ut apparet gaudii indices facient Marum mire depereunt & in eo ſe volutant, imo Cati mares ſemen in id emittunt. Vivunt ſex annos, aliquando decem, caſtrati plures. Exercent inimicitias cum quibusdam ut muribus, buſonibus, ſerpentibus, vulpanſere, aquila, ruta, felle proprio, ſuavi odore & humiditate. Ruta certe a columbariis pelluntur. Unguentorum odore aliquando in rabiem aguntur, ſi aqua mergantur, nec ſtatim exſiccentur, pereunt. Et certe ut canes ita & feles ſponte quandoque in rabiem aguntur, morſusque hujus animalis rabidi æque periculoſus eſt ac aliorum animalium rabidorum.

Varia felis vox eſt, pro vario affectu. Obſcæna vox eſt cum libidine turget Terribilis ac dira cum Cati de fœminis certant Miſerabilis cum fœmina marem advocat. Mollis & remiſſa cum liberior ab affectibus eſt. Germani dicunt die Katzen mauen / *les Chats miaulent*. BOILEAU dit,

L'un

L'un miaule en grondant, comme un tigre en furie,
L'autre roule ſa voix comme un enfant qui crie.

Odoratu valet plurimum felis, mureſque, antequam vidit, invadit. In tenebris videre dicitur a pleriſque & rectius quam clara luce. Sed non eſt ſatis ad viſionem oculus ſplendidus. Objectum illuſtratum ſi non fuerit nulla datur viſio, ut recte dicit SPERLINGIUS. Splendor autem oculorum felium tantus non eſt, ut & medium & objecta illuminare queat. Ne proprium quidem corpus felis illuſtrat, nedum aliena atque remota objecta. Iſta noctu videndi in felibus aliiſque animalibus potentia emergere videtur, partim a ſumma tunicæ corneæ & humorum in oculo tenuitate atque limpiditate ſeu pelluciditate extraordinaria, per quam, quia nihil aut parum admodum luminis reflectitur aut intorquetur, vivido tranſit, partim etiam hæc noctu videndi potentia in pupillæ majore amplitudine & ad plures ſimul admittendos radios capacitate, quæ in felibus noctuiſque præſertim reperitur, ita ut totus fere oculus pupilla appareat, conſiſtere videtur. Non dicam multa de humoris cryſtallini cum retina propinquitate. Illud tantum monebo, quod hic haud parum contribuat, quod tunica choroides in noctivagis animalibus colore magis ſplendente tingatur, ita ut exiguo lumine mox illuſtretur, & per conſequens etiam radios ad retinam rurſus reflectendo, cauſa viſionis nocturnæ exiſtat. Quod autem & animalia noctu videntia nulla nativa gaudeant luce ſequens experimentum ſufficienter demonſtrat.

Inducatur felis cubiculo, cujus rimæ omnes probe obturatæ ſint, cum lucerna candelam maxime abſcondente, inſuper veſtimentis involuta, ſic nihil lucis ab initio felis oculi ſpargent, donec tantillum luminis ex lucerna abſcondita emittatur, quo facto felis oculi a lucerna averſi egregie ſplendeſcent, ſuppreſſa vero denuo luce lucernæ ad priſtinam ſe obſcuritatem recipient oculi. Porro ſpeculo exponantur felis oculi in ſpiſſis tenebris nihil tamen luminis in ſpeculo reflexi apparebit. Adde quod feles in tali loco obſcuriſſimo in loco

quem

quem occupant, remaneant nec excurrant, donec redeat lux.

Curioſum eſt, quod ſi felis, nigricantis præſertim, dorſum in tenebris adverſo pilo, id eſt a cauda verſus caput fricetur, ſcintillulæ phosphoraſcentes emittantur.

Catus differt colore. Alius enim rubet, alius candicat, gryſeus alius, alius niger prorſus, alius denique coloris varii.

Feles calorem depereunt, unde tempore hyemali fornaces ingrediuntur & ſic facile incendium producere poſſunt, quare fornaces bene cuſtodiendæ.

FELIS quod nomen generale eſt dividitur in marem & fœmellam. FELIS MAS proprie dicitur CATUS, FELIS MASCULUS, ein Kater/ ein Roller/ UN CHAT MALE. FOEMINA felis appellatur eine Kätzin/ Kätzlerin/ une CHATE. Junior Felis dicitur CATULUS FELINUS, eine junge Katz / UN PETIT CHAT, UN CHATON.

Libidinoſum animal eſt, magnoque clamore coit. Marem magis libidinoſum dicunt quam fœminam. Hanc enim fugere iſtius conſuetudinem & apprehenſam ac compreſſam, horrendum edere clamorem. Sed provocat fœmina ſæpius marem, ad coitum frequenter alliciunt, cogunt, puniunt etiam niſi pareant; par igitur in utroque ſexu libido. Neque clamor ſolius fœmellæ, ſed illi cum mare communis eſt. In Europa Januario & Februario plerumque exardeſcunt, in India omnia fere anni tempore luxuriantur. Fœminæ in congreſſu, tacente aut murmurante mare clamant, ſeu quod a fervido nimis ſemine adurantur, ſeu quod a mare unguibus lædantur. Mas ſtat, fœmina ſubjacet. Gerunt fœtum duos menſes lunares ſeu dies ſex ſupra quinquaginta. Pariunt partu uno quaternos & plures. Martio editus fœtus probatur & præfertur. Auguſto rejicitur propter pulices. Fœmina ſobolis eſt amantiſſima, Mas inventam ſæpe interimit, ut fœmina novorum Catulorum deſiderio mota, morem iterum gerat. Hinc mater ſollicita toties loca mutat, ut contra maris rabiem charam defendat ſobolem. Sunt qui dicunt fœminam gravidam abortire, ſi mas interim occidatur.

Illud tandem notandum felem non admodum eſſe fidelem, & ſunt qui dicunt feles aliquoties vitæ hominum inſidiari præſertim noctu, ſed ob debilitatem memoriæ mox propoſiti rurſus obliviſci. BRU-

JERINUS in ea eſt opinione, quaſi halitus hujus animalis ſit venenatus, & quod Phthiſin inducere capax ſit.

Naturale eſt diſſidium inter quosdam homines & feles. Præſentibus his in deliquium animi illi cadunt & ſaltem non exanimantur. Nec vim retrahere poteſt ciſta, cui feles includuntur. Major enim eſt, quam ut impediri queat aut domari ligno. Ad occultam fugiunt quidam facultatem cum manifeſtarum tanta potentia non ſit. Nos inquit SPERLINGIUS ſubjectum iſtarum qualitatum minime advertendum cenſemus. E corpore enim felis effluvia egrediuntur, quæ quosdam afficiunt homines. Fieri poteſt, ut gravida fele territa, imprimat ſoboli naturale cum fele diſſidium. Hinc ferre nequit iſtiut effluvia, quæ vim inferunt, quæ naturam ipſam deſtruunt.

AUREOLA

CARO FELINA a quibusdam comeditur, ſaporeque leporinam referre dicitur. Alias Caro Cati laxa & mollis hæmorrhoides ſanat, ſalita tuſa & impoſita extrahit ſagittas, tela, aculeos, ſpicula.

CAPUT, præſertim Cati nigri, incineratum ad oculorum vitia, unguem, nebulam albuginem &c. remedium præſtantiſſimum eſſe, ſi quotidie ter inſuffletur, ſcribit MIZALDUS.

Qui de CEREBRO maſculi Cati ederit, dementatur fere, cenſente SCHWENCKFELDTO. Meatus enim cerebri obſtruit, eodem authore, unde homo excluſa memoria ſine mente efficitur. Hinc proverbium enatum in amentes, er hat Katzen-Gehirn geſſen. Quædam meretriculæ ex hoc cerebro philtra componunt. Curantur Lemnia terra cum aqua Majoranæ propinata, Diamoſchu dulci cum vino, pulveribus bezoardicis, & aliis, quibus ſpiritus reficiuntur.

AXUNGIA CATI CASTRATI calefacit, emollit, diſcutit

cutit ; mirifice articulorum affectibus prodeſt. Laudatur etiam contra epilepſiam & dolores artuum imprimis podagricos. Adeps felis in ferro a rubigine præſervando aliis non cedit.

JECUR uſtum & tritum calculoſos ſummopere juvare fertur.

FEL fœtum mortuum extrahit.

URINA deſtillata ad ſurditatem valet.

STERCUS cum Sinapi partibus æqualibus & aceto illitum alopecias curat & podagricos juvat. Feces porro alvi cum reſina & roſaceo permixtæ atque ſuppoſitæ muliebre profluvium ſiſtere perhibentur. Spinam aliudve quid faucibus adhærens felis fimo extrinſecus perficato, aut reddi aut relabi tradunt.

SANGUIS commendatur in Epilepſia. Nempe felibus pro cura Epilepſiæ tertiam caudæ partem abſcindunt, & ex illo erumpentes tres guttas ſanguinis propinant ægro calidas in aqua florum tiliæ, & dicunt, expertum eſſe remedium ad ſuſcitandos Epilepticos, in paroxyſmo propinatum, obſervato ſaltim ſexu &c. Idem præſtant guttulæ tres ex Vena ſub cauda aperta Cati maris cum malvatico potæ. Teſtante enim SCHWENCKFELDTO, Nobilis quidam obſervavit, quod caducum curet hoc remedium, ut per vitam non redeat. Ad idem malum commendantur etiam TESTICULI Cati præſertim nigri.

In eryſipelate feli vel Catto nigro auricula vulneratur atque exinde extillans cruor parti Eryſipelaceæ inungitur, ſuperimpoſito linteo ſicco, illico Eryſipelas dicitur curare, alias Eryſipelas recedere ſolet, id quod teſtatur LOTICHIUS.

SECUNDINAM felis primiparæ quidam de collo ſuſpendunt ad varios morbos oculorum.

FELIS VIVA aperta & lateribus applicita doloribus pleuriticis medetur.

Mulo Medici ſeu Veterinarii, ex Cato domeſtico volunt præparare Medicinam Catholicam pro cura Vaccarum, Equorum &c. hoc modo, prouti illum recenſet ETTMULLERUS. Felem vivam coquunt in aqua, donec caro contabeſcat & ob oſſibus ſecedat: decoctum refrigeratum infundunt beſtiis ægrotantibus, qua hauſta aqua decoctionis Catti, denuo curantur.

CARO AUREOLÆ.

Eſt Aureolæ avis caro tota flaveſcens.

CARO

AUREOLA ab aureo ſive luteo pectoris ventrisque colore, Ἰκτερὸς. ICTERUS vel ab eodem colore vel quod ictero medeatur, EMBERIZA FLAVA, LAGOPUS CROCEA, CHLOREUS, GALBULA, GALGULUS, Emmerling/ Gilbling/ Goldammer/ Gollammer/ Goldhammer/ LORIOT.

Avis notiſſima paſſere paulo major, corpore longiore. Maris pectus & venter lutea ſunt: foeminæ vero pectus & venter pallidus eſt. In capite, dorſo & alis pennis fuſcis luteæ intermiſcentur. Juxta Uropygium ad dorſi finem ex flavo rubet. Roſtrum firmum breve acutum; crura obſcure flavent: unguiculi fuſci: cauda longiuſcula eſt fuſca, exceptis utrinque extremis duabus, quarum oræ extremæ candore nitent. Æſtate ad ſylvas recedit, in frutetis nidum ſuſpendit, & terna vel quaterna ova parit. Hyeme tota conſpicua circa villas, horrea & pabula commoratur & gregatim cum paſſerculis volat.

Veſcitur hordeo, tritico, avena præter vermiculos.

CARO AUREOLÆ tota flaveſcit, cibis grata eſt & Ictericis ſalubris.

Aureola ſi ſpectetur Icterum ſanari tradunt & avem emori.

CARO CARDUELIS.

CARDUELIS a carduis quorum ſeminibus frequenter veſcuntur Ἀκανθὶς ἀπὸ τῶν ἀκάνθων, a carduis ſive ſpinis in quibus nidulantur, χρυσομῆτρις, γαρδέλι, ποικιλὶς, θραυπὶς, AURIVITTIS, ZENA, id eſt AVIS JOVIS, ein Diſtel-Finck/ Diſtel-Vogel/ Stiglitz/ CHARDONNERET.

Avis eſt parva etiam pueris nota, cui dorſum cinereum & fuſcum: alæ croceo colore nigroque mixtim & alternatim variatæ albisque maculis notatæ; vertex nigricans, roſtrum acutum ſubrubens, apice fuſco: oculi ambitus exterior niger, hunc miniatus, miniatum cæſius circumdat: pedunculi ſubrubent, digiti fuſci unguiculis nigris. Femina minus cantu & pulchritudine valet, alas habet cinereas, guttur album, caput rotundius.

Cantus & vocis amœnitate & modulatione Luſciniis cedunt, eas autem corporis pulchritudine & pennarum elegantia longe ſuperant. Capiuntur non tam propter cibum, quam propter cantum. Ejus enim gratia caveis includuntur. Reperiuntur in omnibus fere regionibus: canunt etiam cum volant, non ſolum quando carduis arborumve ramis inſident. Volant gregatim & propterea magna quandoque in copia capiuntur, allectatricibus ad retia alligatis: nidulantur in carduis & arboribus, idque bis vel ter in anno menſe Majo, Junio & Auguſto, quæ ultimæ præſtant & voce & ſpecie corporis: vocalior mas eſt fœmina: paſcuntur caveis incluſæ ſeminibus cannabis: ſed hoc poſterius pabulum nimium illas obeſat, & ſanitati earum incommodat & canendi alacritatem ipſis adimit. Quæ ſemina comedunt, ea roſtro decorticare ſolent ut pura medulla fruantur: veſcuntur & ſeminibus aliarum ſtirpium: reſpuunt vermes & quodvis aliud animal. Scribunt Ornithologi, producere Cardueles vitam in vigeſimum usque annum, plus minus, prout fuerint tracta-

tæ ab heris ſuis, & natura conſtitutæ. Caveis incluſæ aliquando epilepſia corripiuntur. Dociles ſunt aviculæ, & ,ut PLINIUS loquitur, imperata faciunt, nec voce tantum , ſed pedibus & ore, hoc eſt roſtro pro manibus. Nam hominem quidvis cantantem imitantur: & fonticulo arte facto alligatæ, vaſcula, funiculo illis appenſo per trochleam trahunt retrahuntque ut aſcendere & deſcendere queant & cibum potumque inde hauriunt. Roſtro enim funiculum trahunt, eoque attracto pede illum firmant & pro libitu exinde bibunt & comedunt. Miti præterea placidoque ſunt ingenio: id quod vel ex hoc conſtare poteſt, quoniam captæ caveisque incluſæ cibum potumque capiunt, neque ita hominum expaveſcunt præſentiam, ut roſtrum, pedes alasque caveæ clathris ſive cancellis, ferramentis ſcilicet reticulato textu concinnatis, allidant, ſicut aliæ pleræque aves, caveis minime aſſuefactæ facere ſolent,

Cardueles capiuntur viſco & retibus.

Avis eſt boni ſucci & facilis digeſtionis in cibo ſumpta Aſſam ſcabie Iliaca & colica paſſione affectis prodeſſe KYRANIDES ſcripto prodidit.

CARO COCCOTHRAUSTÆ.

Κοκκοθραύστης, Coccothraustes, quia roſtro ſuo coccos & interiora grana ſive oſſicula ceraſorum confringere ſoleat. Ligurinus Major, Oſſifragus, Gemmivora, ein Kirſch-Finck/ ein Kern-Beiſſer/ Kirſch-Schneller/ Stein-Beiſſer/ Klepper/ Bollenbeiſſer/ Grosbec.

Paulo major eſt alauda ſeu fringilla ſanguinea; roſtrum ei inſigniter magnum, pro corporis magnitudine durum, validum, breve, craſſum, fuſcum, tantillum ſubrubens: color capitis charopus, vel ex flavo rufus, in pectore & ventre ex cinereo rubicundus, cum macula ſub gutture nigra: pennæ alarum ſuperius nigricant, in medio albent, in imo indici ſunt: collum pronum utrinque ad latera plumis veſtitur cinereis; dorſum ex ruſo nigricat; propius caudam

nigræ

nigræ ſunt pennæ, extremæ albicant, præter medias duas, quæ totæ cinereæ.

Veſcitur gemmis arborum, fructu juniperi, Sorbi Alpinæ, nucleis Ceraſorum &c. ſemine quoque paſcuntur Cannabis. Capiuntur retibus in ſylvis, ſed non quotannis gregatim volant. Ut caput magnum, dicente SCHWENCKFELDT, ſic etiam ingenium craſſum & ſtolidum obtinet.

Cantus ei peculiaris, cymbalorum fere æmulus, non inſuavis; Caveis tamen includitur raro, quia in iis aut nunquam aut parum canit.

In cibum cedunt hæ aves: CARO earum non improbatur quamvis ſit amaricantis ſaporis. In cibo calculoſis proficuus eſſe dicitur.

CARO CURVIROSTRÆ.

Eſt Caro Avis Cruciferæ quæ ſummas roſtri partes in crucis modum invicem decuſſatos habet.

Cibo

CURVIROSTRA vocatur græce λοξία, LOXIA a roſtri obliquitate, AVIS CRUCIFERA, CRUCIATA. Creutz-Vogel/ Krumb-Schnabel.

Avis eſt paulo major & longior fringilla ſanguinea: color ei per totum corpus varius, quem tempore & ætate mutat: nunc enim ad flavum, nunc ad rubicundum, nunc ad viridem nunc ad cinereum ſeu griſeum magis declinat roſtrum cornei coloris, cujus ſummæ partes ac mucrones in Crucis morem invicem tranſpoſitæ & decuſſatæ ſunt; caput magnum, crura ſubrubent.

Montes incolit & alia frigidiora loca Nidificat in cavis arboribus & pullos excludit, circa natalitia Chriſti Januario, Aprili etiam & Majo. Voraciſſima eſt & nucleis Pinaſtri & Abietis in cibo fruitur. Semine Cannabis mire delectatur ac pingueſcit.

Caveis

Caveis incluſa ferreis (ligneas enim confringit) roſtro ac pedibus ſurſum deorſumque inſtar Pſittaci reptitat. A potu pocillum roſtro, ſi poteſt, abjicit. Ingenii eſt ſimplicis & ſtolidi; at ſuaviſſime quandoque modulatur atque cantillat.

Non quotannis viſitur in copia: aliquando autem turmatim advolat: vulgus earum copiam annonæ caritatem ſeu peſtem præſagire credit. Quod a me, inquit SCHWENCKFELDT, diligenter etiam obſervatum fuit. Ingens enim harum avium captura adeo frequens aliquando fuit, ut etiam pagos & oppida appropinquaret. Secuta ſunt brevi poſt tempore fames ingens & peſtis vehemens.

Viſco facillime capitur ſuppoſita allectrice, maxime Majo & Junio, cum cæteræ aves nidificant.

Cibo hæc avis non eſt inſuavis, ſaporis grati & ſucci boni. Calculoſis & artheticis commendatur. Probum enim ſiccum & minus excrementitium nutrimentum generat. Aquam in corniculis ſeu vaſculis potoriis, cui roſtrum ſæpius immerſit, caduco morbo repugnare, ejusque inſultus coërcere experimentum. Fœmina quædam nobilis, inquit SCHWENCKFELDT, alitem hanc eam ab cauſam cavea incluſam alebat, ut aquam pauperibus prædicto morbo correptis propinaret, nec infelici ſucceſſu: Quidam ob id detinent perſuaſi, eas domos in quibus ſunt, non conflagrare incendio, nec a fulmine tangi: at hoc vanum ac ſuperſtitione plenum.

CARO

Communicat modo dictus SCHWENCKFELDT elegans de hac ave carmen elegiacum JOHANNIS MAJORIS POETAE CELEBERRIMI quod ita ſe habet.

Obvia naturæ rerum veſtigia mentis
Certa ſuæ impreſſit conditor ipſe Deus.
Inque feris, quæ mente carent, & moribus harum
Quæ fugienda homini, quæque ſequenda monet.

Eſt

Eſt avibus pietas inter ſe, eſt gratia quædam
Et ſuus in Dominos eſt amor atque fides.
Id docet exemplo volucris pia & advena quædam
Chriſtiferæ geſtans æmula roſtra Crucis.
Tempore natalis Chriſti, parit: inde triumphi
Tempore per ſylvas agmuina veſca volant.
Cum reliquæ indulgent ovis, hæc uſibus apta eſt,
Nec nulla in cantu gratia ineſſe ſolet.
Fert etiam imperia atque agnoſcit herilia juſſa
Et cavet infantes ne mala Luna premat.
Ortu ſagax noctu increpitat Vulcania damna,
Matribus & fœtus non ſinit eſſe graves.
Fama eſt has roſtro tentaſſe revellere clavos,
In Cruce pendentem, qui tenuere Deum.
Si qua crucis Chriſti ſtat imago lignea tectis
Inſidunt, clavos & ruere ore parant
Fama pium affectum notat, & qua novimus illas
Præ reliquis avibus laude vigere, fidem.
Vix uno ſervata die duo nominis hujus
Forte mihi ex cavea plumea turba volat.
It reditque viam in ſylvas rurſumque frequentat
Tecta, ſuum planus dum facit annus iter.
Ergo me cantus monet & pietatis imago
In cruce quo Chriſti ſim memor ipſe crucis
Æquo animo perferre crucem & dare præmia laudum
Par eſt, quos ſalvos Crux tua Chriſte facit.

Tandem notandum quod aucupes diſtinguant inter has aves, ratione coloris, magnitudinis, anni tempore quo pariunt, & roſtri flexura.

Ἐσχῖνος,

CARO ERINACEI.

Eſt Erinacei ſive Echini terreſtris caro, ſaporis non injucundi,

Ἐσχῖνος, Echinus non ab aculeorum hirſutie, ſed potius ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ἔσχεσθαι διὰ τὰς ἀκάνθας ὅ ἐστιν ὁ ἀκράτητος, quod ob aculeos teneri non poſſit nomen adeptus eſt. Ἐσχῖνος χερσαῖος, GALENUS ACANTHIONEM TERRESTREM vocat. SUIDAS Ἀκανθόχοιρον, PORCUM SPINIS HORRENTEM, γύλιον & χοιρογρύλλιον. HESYCHIUS ἀκανθύνωθον propter dorſum ſpinis refertum. Lycophron ab inſigni vaframento NAUPLIUM nuncupavit, quod nomen Latini Echino marino tribuunt. Quidam cum PLINIO, Hericem, Hericeum, & Herinaceum, Erinaceum proferunt nec male. Ab horrore enim, vel etiam ab hærendo, quod fructus ejus ſpinis adhæreant hoc animal dictum eſſe videtur. Germanice dicitur ein Igel/ Eigel/ Hachel/ Gallice HERISSON.

Erinaceus eſt brutum quadrupes, terreſtris, Cuniculi magnitudine, ſpecie porcina, aculeis undique vallatum ut Hyſtryx, præterquam in ima parte, ubi lanugo mollis rara & innoxia.

Duum eſt generum. Differentia cognoſcitur ex roſtro. Alter cui caninum caput, ECHINUS CANINUS, Hunds-Igel; Alter cui proboſcis, qualis in ſuum genere ECHINUS SUARIUS vel SUILLUS vel PORCINUS nuncupatur.

Vocem acutam tribuunt Erinaceo & propriam eam faciunt animalium timidorum. Maligne aſtutus eſt & una fallacia in omnibus periculis triumphat. Timidum alias animal, ſed ſpinoſum eſt. Spinis igitur contra quemvis hoſtem ſe defendit. Aculeos autem in dorſo pro lubitu poteſt erigere & deponere beneficio muſculi, cui per cutim inhærent, protenſi a capite usque ad caudam, uti ex COLUMBI ANATOMIA & RONDELETIO refert ETTMULLERUS. Inſidias itaque cum ſentit, in formam pilæ convolvitur, ut tractari nequeat unde locutio proverbialis; Totus Echinus aſper de homine intractabili.

Nutrimentum Erinacei ſunt poma, pyra Uvæ & fructus alii. Hinc arbores aſcendit poma ac pira decutit, in iſtis ſeſe volutat, ut ſpinis hæreant. Poſt ad iter ſeſe accingit & ad cavas arbores, in quibus habitat, properat. Pomum unum ſi decidit, mox omnia abjicit, & ad arborem redit, novumque cibum requirit. Juxta NIEREMBERGIUM Echinus vindemiæ tempore vites ſubit pedibusque botrorum acinos in terram decutit, quos ibidem volutatus undi-

que

que ſpinis confixos excipit. Hominem accedent m cum cernit, fugit. De fuga cum deſperat in globum ſe volvit, n. apprehendatur. Interdum urinam emittit ex metu, cujus contactu ſpinæ dorſi decidunt. Lac ac vinum in ædibus potare animadverſum. Inimicitias gerere perhibetur cum Urſo, Lupo, Vulpe, Viverra & Potamogeto herba.

Erinaceus præſcire tempeſtates dicitur, adeo ut pluvia imminente petat cubile. Erinacei, inquit NIEREMBERGIUS mutationem Aquilonis in Auſtrum, contendentes ſe in cubile præſagiunt. Cubilia autem ad Aquilonis & Auſtri viciſſitudinem commutant & ſi domi alantur, pro ventorum flatu, modo ad hunc modo ad illum parietem accedunt, ut docuit ARISTOTELES.

Erinacei hominum modo ſe complexi coëunt. Teſtes in maribus intus latent & lumbis adhærent. Et cum partus inſtat tempus, fœminam contrahere alvum dicunt, ne ſpinis lædatur. Duriorem autem poſtmodum & aſperiorem fœtum, majores inferre cruciatus perhibent. Hinc proverbium: Echinus partum differt, de iis, qui in perniciem ſuam moras nectunt. Sed profecto, inquit SPERLINGIUS res ea moram non patitur. Et ſecundina tegitur Echinus, ut uterum lædere nequeat. Etiam incluſus utero molliores habet ſpinas, unde nihil metuendum mali.

Diverſantur Autumnali tempore in ſylvis, dumetis, vineis & circa ſepes. Hybernis in cavis ſeſe arboribus occultant.

Erinaceus in globum complicatus, in aquam calidam immiſſus ea delectatus ſeſe aperit ac dilatat, hinc apprehenſus pede altero e poſterioribus, ſuſpendio ac fame necatur: aliter non eſt occidere & tergori parcere.

Degunt Erinacei hybernis menſibus in cavernis ſuis, ſomnumque glirium imitantur. Ex illis egrediuntur noctu, alias rarius.

TRIN-

ERINACEUS frigidi eſt temperamenti, excrementis pluribus redundans, quibus aculei nutriuntur, ut loquitur SCHWENCKFELDT. Idcirco ejus CARNES in Medicamentorum potius quam in ciborum uſum expetuntur.

 Cum

Cum enim terreſtris ſit, ægre concoquitur, & minimum ſane præbet alimenti. SEBIZIUS dicit, quod caro Echinorum ſit frigida & multis referta excrementis. Propterea Authores, qui eſum illius concedunt, eam probe prius abluunt, & vel in artocreate variis aromatum generibus condiunt, vel in veru torrent, lardo & caryophyllis confixam. Captos nempe Echinos excoriant, vel in aqua fervida depilant ut porcos. Poſtea interanea abjiciunt, depile corpus lavant, & dicto modo ad epulas apparant. Eſt autem edulium pravi ſucci, dyſpepton etiam & melancholici, uti loquuntur, humoris ferax. Eligunt autem Erinaceum Suillum, cujus carnem jucundam fieri arbitrantur, ſi, juxta PLINIUM Echinus capite percuſſo uno ictu interficiatur. Abſtinendum cenſent ab Erinaceo Canino, qui ſumme fœtet Juxta SCHWENCKFELDT Caro Erinacei Stomacho prodeſt, Ventriculum lenit & provocat. Eadem manducata vel deſiccata pota, Elephanticis, Cachecticis, Convulſione obnoxiis, Nephriticis & Anaſarca laborantibus prodeſt, quia valenter digerit & exſiccat. PLINIUS docet eos, qui carnem erinacei comederint, priusquam in ſe urinam reddat in ſtranguriam non incidere. Carnem enim hunc in modum occiſi ſtillicidium veſicæ emendare. Quod ſi urinam in ſe reddiderit, eos, qui carnem deguſtarint, ſtranguriæ vitium contrahere monet. Caro porro hæc ad præcavendum abortum præſcribitur. Exſiccata plica laborantibus exhibetur. Efficit etiam, ne pueri lectos permingant. Urinam enim tantopere retinet in cibo ſumpta, ut ſi aſſidue quis ederit, urinæ difficultatem incidere periclitetur. Erinaceus, juxta ACTA HAFFNIENSIA, coctus & comeſtus, vel ejus decoctum in juſculo uſurpatum, diureticum egregium conſtituit, & hinc in Cachexia & in Hydrope convenit,

ERINA-

ERINACEUS CALCINATUS ſeu combuſtus dat cinerem ſeu caput mortuum, ut loquitur ETTMULLERUS, quod contra mictum involutarium ſeu incontinentiam urinæ egregium ſpecificum eſt, ſive ſtragula permingantur a dormientibus ſive vigilantibus. Frequenti etiam in uſu fuit DN. MICHAELIS, cui Medicus quidam retulit, quod per 20. annos fuerit affectus mictu involuntario, tandem tamen aſſumpto pulvere Erinacei combuſti ad ℈j. ad ʒß. curatus. Unde medicamentum elegans & in mictu involuntario valdopere commendandum eſt, nempe PULVIS MONTAGNANÆ, qui fit hoc modo.

℞. Erinacei combuſti ℥iij. tunic. interior. carnos. ſtomach. Gallin. ℥ß. agrimon. ℥j. Miſc. f. pulvis, cujus doſis ad ʒj. cum jure.

℞. Ciner. Erinac Guttur. Gall. toſt. & triti ana ʒj. medullæ lapidum ʒij. Miſc. f. pulvis cujus doſis ʒj. in mictione enormi, præſertim ſi incontinentia ſit a partu difficili, quod probe notandum.

℞. Pulver. Erin. combuſt. p. iij. Gutturis Galli calcin. part. j. Miſc f. pulvis pro eodem ſcopo & eadem doſi.

℞. Pulv. Erinac. combuſt. tunic. inter. ventric. Gallin. glandium. Gumm. Arab. Unicorn. foſſil. ana ʒij. Terræ Catechu ʒj. Miſc. f. pulv. LENTILII ad Urinæ incontinentiam: ſumantur mane & veſperi duo cuſpides cultri de hoc pulvere in jure.

HEPAR ERINACEI renum vitiis miro dicitur eſſe auxilio.

FELLE contactæ verrucæ ſiccantur, pilos quoque in palpebris incommodos enaſci non patitur.

LIEN aſſatus & pulveriſatus efficaciſſimo lienoſis eſt remedio, ut quidam volunt.

SANGUIS haud ſpernendi perhibetur eſſe uſus in lapide veſicæ, renum & ardore urinæ.

CINIS CORII & capitis cum pice liquida, Alopeciis utiliſſime illinitur. Porro cinis hic ut & Erinacei totius combuſti, de quo jam ſupra, extergit, digerit, ad ulcera ſordida carnemque in ulceribus excreſcentem valet. Cinis cum adipe Urſino capillis decorem reſtituit. Eodem ad præcavendum abortum multi utuntur.

FIMUS recens cum Sandaracha, aceto & pice liquida, fluxum capillorum cohibet.

CORIUM cum ſpinis olim ad extergenda veſtimenta adhibebatur.

VENTRICULI TUNICAM interiorem commendant ad dolores colicos, ſi interne uſurpetur.

AXUNGIA Erinacei contra hernias commendatur & recte quidem judicio ETTMULLERI: In Enterocele enim & Omphalocele lumbis inungitur, ut ejus medio facilius reponantur & quaſi retrahantur inteſtina, atque etiam melius firmentur, ne facile rurſus excidere poſſint; ſive ſola, ſive miſta cum axungia leporina, vel quod melius eſt cum axungia Urſina, quæ etiam loco pinguedinis Erinacei, ſubſtitui poteſt.

℞. Pingu. Erinacei part. jv. ☍ Sem. Ric. maj. expreſſ. part. j. Mſc. fiat linimentum contra epileſiam infantum, ut aſſerit ETTMULLERUS.

CARO FRINGILLÆ.

FRINGILLA, FRIGILLA ſeu quod frigus prænuntiet, ſeu quod plures in frigore convolent. Fringillæ σπίζαι videntur ab ARISTOTELE vocari. Spizam enim GAZA fringillam vertit. GESNE-

GESNERUS tamen dubitat, num Fringilla & Spiza ſint unum idemque, hac motus ratione, quoniam ARISTOTELES ſcribit aves ἀκανθοφάγυς, quæ ſpinis veſcuntur, neque vermes neque aliud animal attingere: fringillæ autem ſeminibus ſpinarum albarum veſcuntur, ideoque a vermiculis abſtinent. At illos Spiza devorat. Nomen FRINGILLÆ gerit, teſte FESTO, quod frigore cantet & vigeat, Ein Finck/ PINCON.

Sunt fringillarum aliquot differentiæ; Ein Finck/ ein Buchfinck/ Rothfinck nominatur a rubro pectoris colore, qui tamen intenſior eſt in mare, remiſſior in fœmina, unde illi pectus rubere, huic palleſcere dicitur, & arbore, cujus glandibus delectatur. Paſſerem magnitudine æquat variis coloribus albo nempe, viridi & ruſo diſtincta. Maris pectus rubeſcit, fœminæ pallet: cauda fuſca exterioribus utrinque binis albicantibus. Viſæ etiam fuerunt albæ. Nidulatur neque in loco excelſo neque imo, ſed in fruticum ſummis & arborum inferioribus ramis: parit ova quinque vel ſex. Migratoria eſt avis & diſcedit a nobis ſub hyemis finem, præſertim fœmina. Nam mares aliquando plures adhuc tunc conſpiciuntur. Quæ rit fringilla hyeme loca frigida, æſtate calida, contra aliarum avium conſuetudinem; authore ARISTOTELE libertatis ſtudioſa eſt avis: capta fera eſt admodum & ægre cicuratur: primis captivitatis menſibus muta eſt. Viſæ quæ in captivitate cibum haud capiebant, ſed præ moerore & triſtitia mortuæ. Ajunt Zephyro ſpirante capi plures & multo plures eo ſilente. Tunc enim & demiſſius volant & melius allectatricum voces audiunt. Callidæ ſunt, cum ſtructas ſibi inſidias ſuſpicantur: oportet igitur, ut allectatricum vocibus ad retia accerſantur. Dociles quoque ſunt & imperata faciunt, ut Cardueles. Nam ſitulas cibarias & aquæ plenas ad ſe trahunt roſtro & pedibus pro manibus utentes. Paſcitur ſeminibus papaveris Lini, Cannabis &c. Cantat vere primo & eſt valde canora avis. Cantus etiam gratia in caveis alitur: Eſt tamen maris vox plenior & altior: fœminæ exilior & ſubmiſſior. Non ita cantum continuat ut Carduelis. Vento ſpirante muta eſt. Ut crebrius & alacrius canat autumno & hyeme aucupes per totam æſtatem loco obſcuro eam detinent, alioqui tacet. Fringutire vel frigere authores dicunt; ſi ſuavius ut canat volueris, locuſtam mandendam appone.

Editur aſſa & elixa; amariuſcula eſt neç mali ſucci. Stomachicis utilis.

FRINGILLA HYBERNA, ὀροσπίζη, FRINGILLA MONTANA, MONTIFRINGILLA, FRINGILLA NIVALIS, ein Wald-Finck/ Winter Finck/ Schnee-Finck/ Dann-Finck. Fringillæ prioris æqualis & magnitudine proxima, ſed collum habet cæruleum, roſtrum luteum: Alæ variis coloribus albo nigro & luteo diſtinguunt; vox illi inſuavis & ſtridula. Cantus illarum non ita aures oblectat atque demulcet, ut fringillarum communium. Imitantur aliarum avium voces, præſertim paſſerum, ſi aliquandiu in caveis fuerint detentæ, aliasque aves cantare audiverint. Manſueſcunt autem & cicurantur citius & facilius quam vulgares: minus tamen his aſtutæ ſunt atque callidæ. Facile quippe viſco & retibus capiuntur: volant gregatim: & apparent tarde, ſcilicet cum agri nivibus & glacie rigent, cibantur vermiculis rebusque aliis. Sylvas amant, in quibus copia abietum, a quibus & nomen acceperunt ſuum.

FRINGILLA SANGUINEA, πυῤῥύλας, FRINGILLA ALPINA, PYRRHULA, IGNARIA, RUBICILLA, ein Blut-Finck/ Lob-Finck/ Roth Vogel/ Bollenbeiſſer/ Thumherr/ Thumpfaff a vertice nigro, qui niger quaſi Cucullus, Gümpel/ magnitudine alaudam æquat, paſſere major, roſtro brevi, craſſo nigro ferme triangulo. Color dorſi & alarum ſuperiorum cinereus. Capitis, alarum pars inferior & cauda nigricant. Poſt oculos collo & igneo rubore nitet, qui ventrem verſus dilutior eſt, imo venter ad Uropygium pallet. Fœmina tota prona parte pallida eſt, cætera maſculo ſimilis, vertice tamen nigro. Fruitur gemmis arborum, acinis etiam fruticum quorumdam, Sambuci paluſtris, Juniperi, Sorbi &c. Æſtate rarius comparet, autumno & hyemis initio montoſis frequens. Alitur in hypocauſtis cantus gratia ſemine cannabis & facile cicuratur. Perquam docilis eſt & fiſtulam voce ſua imitatur. Autumno tendiculis ex ſetis equinis capitur, & in cibum recipitur non mali guſtus.

GALLUS

CARO GALLI INDICI.

Eſt Galli Indici caro alba, ſuavis ſaporis, duriuſcula. Galla-

GALLUS INDICUS prioribus ſeculis, uti SEBIZIUS loquitur, in Europa notus minime fuit. Delatus ad nos ex India unde nomen habet atque ex Africa, & ea illius parte, quæ dicitur Numidia. Tanta Gulæ rabies eſt, ut ſimplici victu non contenta, aves, ut PLINIUS conqueritur, ultra Phaſidem amnem, & e Numidia quærat. Mares in hoc genere vocantur GALLI INDICI, GALLI PEREGRINI, GALLOPAVONES, Indianiſche/ Calecutiſche & Wälſche Hähn/ COGUS D'INDE. Fœminæ, GALLINARUM, MEDICARUM, DECUMANARUM, AFRICANARUM, NUMIDICARUM, INDICARUM, CALECUTICARUM & MELEAGRIDUM, nomine veniunt, welſche Hännen. DINDONS Juniores dicuntur junge Welſch-Hühner/ Dindonneaux. Vocantur mares Pavones Indici & Gallopavi, non quod ejusdem familiæ ſint cum pavonibus (pluribus enim inter ſe differunt & Gallopavi pulchritudine corporis longe a pavonibus ſuperantur) ſed propterea quia quædam habent cum pavonibus communia. Nam & ſuperbiunt & malevoli ſunt atque iracundi, & caudam in rotam explicant, eamque ipſi admirantur & ab aliis videri geſtiunt.

Gallopavus collo eſt rotundo, Pavonis majore, cruribus proceriſſimis, in quibus ungues aduncitate & diſtinctione noſtratibus ſimiles. Plumæ tum accipitris ſpeciem ſimilitudinemque gerunt, tum extremæ albæ viſuntur. Dantur tamen & alterius coloris, ejusque nunc unius, nunc varii. Caput plumis omnino eſt nudum, pelle tantum obducitur carnoſa rubeſcente, quæ nihil aliud eſt quam appendix quædam Cutis, quam nunc extendit & per nares adeo demittit irata, ut roſtro promineat, nunc contrahit, ſeu in paſtu ita retrahit, ut vix videri queat, criſtam appelles, inquit SCHWENCKFELDT; nunc cœruleo colore, mox pallido, dein purpureo, pro affectibus ut apparet, ſuis, pingit. Caudam inſtar pavonis ſubito extendit & in rotam erigit. Acri atque acute videndi ſenſu viget.

Sicut corpore & animo partim pavonem, partim gallum refert: ita voce non multum iis diſſimilis eſt. ALDROVANDUS ait, Gallopavo vocem quandam edit, crocitationi gallinaceæ, pavoniæque non diſſimilem, cum fragore nempe per collum longe lateque vagantem, quaſi inſtar liquoris in dolium infuſi obſtrepentem. Ad vocem extendit POLLUX verbum κακκάζειν, SCHWENCK-

FELDT addit, Gallopavonem in ſua voce Gallinaceum quiddam recinere. *Gu, gu, gu.*

Fœminæ Gallis minores ſunt, cæteris quandoque, præſertim ſi juniores exiſtant, adeo conveniunt, ut decipiantur ſæpe incauti, fœminam pro mare habentes.

Salax avis eſt & mas ex defectu fœminarum gallinas & anates invadit, fœmina in maris abſentia, gallos invitare, urgere & cogere conatur. Ova pariunt quindecim viginti & plura Incubatio diebus tricenis abſolvitur: Ova pariunt albicantia, maculis rubentibus reſperſa. Adeo occupantur negotio incubationis, ut cibum ſumere ſæpe obliviſcantur.

Animalia ſunt audacia & pugnacia, dimicant acriter cum maribus aliis recens adventantibus, ſuarumque fœminarum cuſtodes ſunt vigilantiſſimi & propugnatores acerrimi. Iracundum eſt animal præſertim cum libidine flagrat. Pugnant inter ſe totis viribus & glabrum caput roſtro validiſſimo adeo pertundunt, ut niſi fortiſſimum eſſet cranium frangeretur. Nonnunquam vero tanta iis timiditas eſt, ut ne cum gallinaceo quidem Gallo ineant pugnam, totiesque laceſſiti turpiter fuga ſibi conſulant. Cum quis fœminas accedit, mares toti inhorreſcunt plumis, & ſuperbo inceſſu, retracto collo, pendente extra roſtri extremitatem appendicula, caudaque in rotæ figuram expanſa, adverſarium aggredi conantur, in eumque nonnunquam inſiliunt, nihil verbera curantes.

Parum volat, cum grave admodum habeat corpus: inceſſus maris ſuperbus eſt & pavoninus, Ut enim pavo inceſſum, lentum, faſtuoſum & ut vocant Junonium habet, ita & gallo pavonis greſſus nil niſi faſtum refert. Gallinæ amore cum capitur, ſeſe circumſpicit, lento inceſſu accedit, ac corporis animique dotes oſtentat. Appendiculam illam, oblongam rubramque, quæ ſupra roſtrum propendet, cum ſuperbiunt, iraſcuntur, rotantque caudam, infra roſtrum demittunt, poſtea cum ſuperbire & ſuccenſere deſierunt, & ad capeſſendum pabulum ſe accomodant, iterum contrahunt, ne cibationi & aſſumptioni alimenti roſtrum ſit impedimento. In Gallopavone ipſe quoque ſanguis movetur rei rubræ intuitu. Barba quoque exornantur quaſi quadam, in pectore.

Amant aves iſtæ loca calidiora. In frigidioribus Europæ plagis minus commode degunt. Teſtantur hoc pulli eorum, qui niſi in loco calido alantur, facile emoriuntur. PLUVII quoque ſi fuerint dies, labore multo multisque curis vix ſervantur pulli. Radiis ſolaribus etiam adeo afficiuntur, ut concidant & ſubita morte pereant.

Avis eſt voraciſſima; fruitur in cibo cerealibus omnis generis ut Gallinæ. Hodiernis temporibus uterque ſexus harum avium ubique obvius eſt.

LUSCI-

Gallopavi in cibo habentur lautiſſimi & Principum menſis digni. Caro, ut ſupra jam dictum alba, ſuavis ſaporis, duriuſcula, conſtans præbens alimentum, maxime ſi probe concoquatur. Gallopavus aſſus lardo & aromatibus quibusdam transfixus menſis lautiorum epularum apponitur. Optimus qui Juvenis, quique diem unum aut alterum ante appoſitionem jugulatus, in aëre ſuſpenſus, & in media ætate conſtitutus. Sic enim & ſapidior & tenerior & concoctu facilior eſt. Nutrimentum dat bonum largum & durabile. Capis ſane neque ſaporis ſuavitate, neque ſucci bonitate cedit. Fœmina tamen mare eſt humidior. Abſtinendum a Gallis veteranis. Juniores e contra les DINDONNEAUX minime ſpernuntur. Caro veteranorum dura eſt & ægre digeritur. Cavendus quoque eſus capitis & colli. Pelle enim ejuscemodi tecta ſunt, quæ craſſa, lenta, viſcida κακόχυμος & difficulter coctilis, quemadmodum & appendicula illa, quæ ſupra roſtrum propendet.

CARO LUSCINIÆ.

Eſt avis illius canoræ, quæ Luſcinia vocatur, caro.

 Non

LUSCINIÆ quaſi LUCINIÆ, dicuntur, quod in Lucis canant, aut quod cantu ſuo ſurgentis diei exortum ſignificent, quemadmodum ISIDORUS loquitur, aut ut alii tradunt, quod ante lucem canant. Ἀηδὼν ab ἀείδειν vel τοῦ ἀεὶ ἄδειν, quod ſine intermiſſione fere cum cepit, canat. Alias PHILOMELÆ, & quod CHARMIDIS Athenienſis erat epitheton Φιλόμουσοι, quoniam cantus & muſices ſunt amatrices dicuntur. AUTHOR CARMINIS DE PHILOMELA aviculas iſtas ACREDULAS appellat; quod ipſe quoque CICERO ex Arato facit, inquiens:

Et matutinis Acredula vocibus inſtat,
Inſtat, & aſſiduas vocum jacit ore querelas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit.

Germani alites iſtas Nachtigall vocant, quoniam nocte dieque cantare ſolent, quo nomine MARTIALIS illas garrulas & multiſonas nominat. Verſus ita habent,

Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, Garrula fertur avis.

Galli ROSSIGNOLS vocant.

Avicula paſſere paulo minor eſt, Currucæ magnitudine. Roſtellum oblongiuſculum ei & teneriuſculum atque molle. Caput collum, & dorſum ex phœniceo ſeu ſpadiceo ad cinereum quodammodo vergente colorem decorantur, qui color ſpadiceus in alis & cauda dilutior eſt: gula pectus, venter & uropygium ſubcinerea aliquantulum albicare videntur. Cauda duodecim pennarum palmum longa fere ſpadicea: crura oblonga, ungues ſubtiles aliquantulum incurvi: lingula breviſſima: ocelli nigricant: a quibusdam diſtinguitur LUSCINIA in MINOREM, quæ etiam LUSCINIA MONTANA dicitur, eine kleine Nachtigall: amoenis ut plurimum locis & frutetoſis montium degit & nidificat; & MAJOREM, eine groſſe Nachtigall/ Nachtigall ſimpliciter dicitur. Hæc paulo major eſt modo dicta tota fere cinerea parum rubedinis obti-

net

net. Cantus ſuavitate & voce præcellit; in planis verſatur ſemper nec ad montes volat.

Eſt Philomela inter aves non ſpecie corporis ſed cantus dulcedine facile princeps: nihil indiga alienæ commendationis præco ſufficientiſſima ſuarum laudum: tametſi ex abundanti a diverſis authoribus proſa & ligata oratione eximiis celebrata ſit encomiis. Uniſona non eſt ut pleræque aves aliæ: ſed referre poteſt mille diſcrimina vocum, & ea quidem aſſiduitate, ſuavitate varietate & altitudine, ut quamvis aliæ volucres modulamina tentent, nulla tamen PHILOMELÆ modulis æquivalere poſſit. Haud muſicalibus opus eſt organis, ubi Luſcinia canit. Cantus ſui dulcedine mirifice aures hominum demulcet, animumque curis & ſtudiis feſſum inenarrabiliter recreat atque refocillat. Res eſt mehercle, inquit SEBIZIUS, ſtuporis & admirationis pleniſſima, quod a tam exigua avicula tantus tamque altus, varius, aſſiduusque ſonus noctu pariter atque interdiu edi queat. Certe haud inepte LACON apud PLUTARCHUM cum Luſciniam depilaſſet & parum pulpæ carnoſæ in ea inveniſſet, dixit, *Vox tu quidem es & nil aliud.* Merito igitur rudis & inſulſus ridetur Aſinus Aeſopicus, qui cum ob aurium magnitudinem, de ſuavitate cantionis judex eſſet conſtitutus, palmam Cuculo, Avi uniſonæ tribuit, ſpreta contemptaque Luſciniæ multiformi modulatione. Verum brutus judex nonniſi brutum ferre potuit judicium.

Eſt autem PHILOMELA non dulciſona ſolum ſed etiam ambitioſa & glorioſa avicula, neque tam ſibi Pavo ob caudæ pulchritudinem, quam ipſa ob cantus amoenitatem ſibi applaudit & gratulatur. Hinc a CHARMIDE Φιλόδοξος cognominata. Si ſoli ſibi in ſolitudine canit, non tanto apparatu canit, quanto canere in præſentia hominum conſuevit. Modulos ſuos, inquit ARISTOTELES, canere docet pullos, ſubditque viſam eſſe, quæ verſus, quos imitarentur, tradiderit. Canere autem ſolet, ait idem, aſſidue diebus ac noctibus quindecim, cum ſylvæ frondere incipiunt; poſt canere quidem ſcribit, ſed non aſſidue. Æſtate adaucta vocem mittere diverſam non variam aut celerem modulatamque, ſed ſimplicem. PLINIUS refert Cæſares juvenes Luſcinias habuiſſe græco latinoque ſermone dociles, præterea meditantes in diem & aſſidue nova loquentes, etiam contextu longiore. Doceri ſecreto & ubi nulla alia vox inter-

miſcetur, aſſidente, qui crebro dicat ea, quæ condita velit & cibis blandiente.

Mares vocaliores ſunt fœminis. Hæ canere ceſſant cum incubant pullosque educunt. Adultæ ſi fuerint captæ & in caveas immiſſæ, a cantu abſtinent, ſimiliter & a cibo, brevique pereunt. Non diu apparent: abdunt enim ſe & latent; conduntur ab Autumno ad vernos dies. Tunc ſiquidem redeunt, qua de cauſa Veris nunciæ dici meruerunt.

Vigiles ſunt admodum. Non enim ſolum interdiu ſed etiam noctu modulantur: frigoris admodum ſunt impatientes. Hyeme caveis incluſæ facile occumbunt. Non uno manent in loco: Vagantur, mane hic, veſpere illic volitant; a meridie usque ad Solis occaſum umbroſa petunt habitacula, veſperi cantum repetunt. Errant in ſylvis, ſaltibus, dumetis, nemoribus, hortis quoque urbium arborumque ramis inſidentes & ſe & homines magnopere delectant dulcedine cantus.

Fœminæ æſtate pariunt & quidem ova quinque aut ſex. Nidificant menſe Majo, aliquæ humi ſub ſepibus arborumque truncis: nonnullæ in ipſis fruticibus viridibus & denſis. Prolis ſunt amantiſſimæ. Implumes ſibi e nido ab accipitribus aut aucupibus ereptos deflent ramisque ſedentes miſerabile carmen fingunt, & late loca moeſtis queſtibus implent. VIRGILII hac de re verſus ita ſe habent.

Qualis populea moerens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat & mœſtis late loca queſtibus implet.

Avis eſt ſtolida, curioſa & minime circumſpecta. Foſſula in terram facta, decipulam collocant, ſuperiore parte patentem, ut adeuntibus aviculis aditum præbeat, quæ tamen operculo cooperitur, cum opus eſt, & virgula qua in altum erectum fulcitur, ne decidat, prohibetur. Farinarios deinde vermiculos intra & extra decipulam apponunt; quos anim-

animadvertens illico accurrit, tracto loco dimovens virgulam, operculo delabente clauditur, miſerculaque capitur.

In caveis cibantur Luſciniæ vermiculis farinariis, corde etiam brutorum, in tenues particulas diſſecto, maxime bubulo & vervecino. Liberæ cum ſunt, venantur vermiculos, muſcas formicas & illarum ova. Semine erucæ ad cantum excitantur. Libertatem amant; eaque amiſſa ſæpe commoriuntur. Diligunt phœnicuros, averſantur accipitres, aquilas, viperas & ſerpentes odio quodam naturali.

Non venire ſolent in alimoniam hominum, ſed ob cantus ſuavitatem & multiplicem modulationem in caveis aluntur; qui tamen eas guſtarunt haud inſuaves inſalubresque earum CARNES eſſe teſtantur, quamvis alimentum præbent paucum. Fertur Heliogabalus monſtrum illud hominis Camelorum calcanea, criſtas gallinaceis vivis ademptas, ac pavonum & luſciniarum linguas eſitaſſe, ut immunis eſſet ab epilepſiæ inſultibus. Cachecticis in cibo commendatur.

Cancrorum oculi cum Luſciniæ carnibus in cervina pelle alligati vigiliam præſtare dicuntur fugato ſomno.

FEL cum melle illitum viſum acuere a KYRANIDE dicitur.

CARO MOTACILLÆ.

Eſt paſſeris aquatici ſive Motacillæ, caro exſiccata & in pulverem reducta.

Hujus

Motacilla a motitatione caudæ dicta, σεισοπυγὶς, id eſt paſſer, qui juxta rivulos aquarum & torrentes invenitur cauda ſemper mobili. Κιλλυρὸς, Cnipologus, Albicilla, Albicula, Cauda tremula

tremula, PASSER AQUATICUS, Bach-Steltze / Weiße / Graue/ Bach-Steltze/ Queck Stertze/ Kloſter-Fräulin/ LAVANDIERE.

Avicula eſt oblonga, Fringilla paulo major; vertice, collo ſuperiore & pectore nigris: dorſo cinereo, roſtro longiuſculo, tenui nigro, gula candida, ventre toto candido. Alæ primum cinereæ, dein ex albo & nigro variæ, quemadmodum etiam cauda, quæ oblonga eſt. Tibiæ & pedes fuſceſcunt & longiuſculi ſunt. Femella eſt cinereo vertice, gula luteſcente, cætera mari ſimilis. Caudam ſemper motitat; degit utplurimum ad ripas fluminum, ubi Muſcas captat & vermiculos: quin & aratrum vermium cauſa ſequitur, quos verſat & exhibet cum gleba aratrum. Nidos extrahit ſub ſaxis & colliculis, foſſula in terram facta. Ova parit quinque, ſex. In hoc nido Cuculus aliquando educatur. A quibusdam in hypocauſtis alitur, ubi non ſolum muſcas captat, verum etiam micam panis colligit, ac longo tempore perdurat.

MOTACILLA FLAVA, MOTACILLA MINOR, BOARULA, CULICILEGA, quoniam Culices legit. Kuhbach-Steltze quod ad pecora, quæ paſcuntur, propius accedit, kleine Bach-Steltze/gele Bach-Steltze/ Kuchſcheiße. Vulgari minor eſt, roſtro longiuſculo, capite & dorſo fuſcis, ventre albicante, cum pauciſſimo luteo: gula lutea; pennæ in alis nigricant, in medio per transverſum albicantes, extremis totis nigris. Cauda longiuſcula eſt & bifurcata, partim alba, nigra, & lutea. In arvis circa pecora frequens.

Hujus avis vis mira prædicatur in atterendo calculo. Pulvis ejus in aqua ſaxifragiæ aut vino albo generoſo potatur.

CARO MUSTELÆ.

Eſt Muſtelæ vulgaris caro ſapore ad carnem leporinam accedens.

CARNEM

ISIDORUS autumat MUSTELAM dictam eſſe quaſi murem longum.

gum. Eſt enim longitudinis porrectæ. Quidam eam derivant a μῦς & ςίλλω quod eſt ſurripio; ad ſe namque mures e cavernis trahit ſurripitque. Nonnulli ridicule ſatis denominatam credunt a germanico Mäuße ſtelen/quia muribus inſidiatur tum domeſticis tum agreſtibus, ut habet SEBIZIUS; Græci eam γάλην vocant, forſan ut aliqui conjiciunt, ἀπὸ τῦ γάλακλος a lacte Eſt enim vel tota alba, caudæ extremitate excepta, quæ nigra, vel ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum ventrem, pectus, & guttur. Unde & Germani forſan animalculum iſtud ab albo colore Wiſelin nuncuparunt. In dorſo & lateribus, quæ tota alba non eſt, rutila eſt raro ſubflava. Vocatur etiam σπονδύλη, ein Wieſel/ ein Wieſele/ Milch/ Mäußlin. BELETTE, FOUINE.

Eſt animal parvum ſed formoſum caput breve habet, aures ſunt rotundæ quaſi abſciſſæ & dentes acutos & primores breves, non ſicut mus longos obtinet, Corpus habet tenue & in longius ductum, caudam brevem plerumque in dorſo & lateribus rutila, raro ſubfulva ac nigra, in gutture & ventre ſemper candida. Breviſſimis eſt cruribus ut quaſi repere videatur. Licet autem ſit animal parvum corpore, animo tamen invicto conſtat atque feroci, ſubdolum eſt & miræ ſagacitatis. Velox eſt muſtela & prædam, quam fecit, citiſſime aufert. Corpus admodum flexile habet & ad furta clandeſtina aptiſſimum, mutat loca ſubinde, ut cubile reperire difficile ſit. Viſa dicitur muſtela continuatis ſaltibus fluvium tranſiiſſe, ſine ſubmerſionis periculo.

Vox illi acuta, ſibilo ſerpentum proxima; SCALIGER ait, vocem illi eſſe quaſi infantis. Muſtelæ ſunt animalia, omnivora. Veſcuntur enim ſerpentibus, veſpertilionibus & muribus, quos e cavernis halitu narium extrahere dicuntur. Devorant & talpas mureſque agreſtes. Nam ob corporis gracilitatem melius faciliuſque in anguſtias ſeſe inſinuare poſſunt quam feles. Hinc multi ruſtici, montiſculæ illas ad capturam murium loco felium alere ſolent. Facile enim Cicurantur, imprimis ſi dentes allio fricaveris. Inſidias ſtruunt etiam columbariis, gallinariis & aviariis; idque propter pullos & ova. Hæc enim abſorbent. Hinc Gallinæ conſternantur, voce muſtelarum audita. Galli vero acriter adverſus eas decertant.

Ripas & cavernas inhabitat. Circa ſtabula & horrea ſæpe oberrat, mures perſequitur & cum ſerpentibus pugnat, ob id a ruſticis

amatur. Cavernas ſibi parat duabus inſtructas feneſtris, quarum altera verſus Septentrionem, altera verſus Auſtrum ſpectat; ut adventantibus & imminentibus tempeſtatibus occurrere poſſit, unam earum obturando.

Antipathia muſtelis ſingularis cum cornicibus, quia iſtarum avium ova pulloſque abliguriunt. Antipathia quoque cum ſerpentibus, felibus atque porcis intercedit. Dimicatura cum ſerpente Muſtela, juxta ARISTOTELEM, rutam comedit. Odor namque herbæ iſtius ſerpentibus eſt infeſtus. PLINIUS ait Muſtelam eadem ſe herba armare in murium venatu conſerta cum iis dimicatione. Genitale maris oſſeum eſt. Edunt fœmellæ partu uno plures & coëunt tempore verno. Aure concipere & ore parere dicuntur. Nirembergius ſcribit recte: Muſtelam ore parere fabulantur, fabulantur certe. Neque enim Ventriculus geſtationi aptus, nec auris conceptioni. Certum enim eſt muſtelam habere uterum, ut alia quadrupeda. Cauſam autem falſæ perſuaſionis fuiſſe perhibent, quia parvos admodum parit catulos, eoſque ſæpe ore ſuſceptos transfert de loco in locum, procul dubio ne ipſi ſubtrahantur. Fœtus ſpatio unius diei in diverſa loca transfert. Fœtus poſt partum per dies triginta cæci ſunt, & die quadrageſimo poſt acceptam viſionem, ad venationem proficiſcuntur. Fœminæ libidine correptæ, niſi ſe mari commiſcuerint, inflatione perire dicuntur.

Ad iram provocatæ muſtelæ excrementa alvi odora egerunt. Item ſi per agros & ſilvas liberam vitam agit, fimus moſchum redolet. Quia in rabiem concitatur hoc animal, morſus ejus lethalis eſt, ideo & vaccarum ubera, ſi ea attigerit, inflammatione corripiuntur. Muſtelæ domum ruituram ſentire & paulo ante migrare dicuntur. Dormit plurimum, hyberno maxime tempore. Timidum alias eſt animal & ad quemvis arborum ſtrepitum exhorreſcit.

MUSTELA dividitur in DOMESTICAM & CAMPESTREM. MUSTELA DOMESTICA, MUSTELA MINIMA, γάλη κατοικίδιος, ein Hauß-Wieſele / BELETTE domeſtique, minor eſt ſylveſtri, inferne alba, ſuperius rubra. MUSTELA CAMPESTRIS, MUSTELA SYLVESTRIS, MUSTELA AGRESTIS, ein Feld-Wieſel / BELETTE SAUVAGE. His addunt MUSTELAM CANDIDAM, ein weiß Wieſele. Quidam aſſerunt ſylveſtrem Muſtelam

Muſtelam poſt decem annos albeſcere. GESNERUS dicit muſtelam æſtate in Helvetia montoſa eſſe fuſcam & rubicundam, hyberno vero tempore albicantem exiſtere & tunc vocari ARMELINUM, Hermeline/ Härmline/ cui conſentit WAGNER in Hiſtoria Helvetiæ, qui hæc inſuper addit. ALPINI noſtri obſervant & percrebo commemorant, quod ſi forte Muſtela in bufonem incidat, illa equidem fugam meditetur & hinc inde diſcurrat, voceque triſti ac lamentabili opem contra atrocem hunc hoſtem quærere tentet; bufonem immani aperti oris rictu illam expectare: poſtquam autem diu muſtela fuga vitæ ſuæ conſulere tentaſſet, nihilominus tamen eam in bufonis rictum apertum deſcendere & in prædam cedere cogi: neque dubitandum quin hoc ſubinde accidat. Fides ſit penes authores. Muſtelæ alias albicantes reperiuntur in regionibus ſeptentrionalibus.

GESNE-

CARNEM MUSTELÆ ſale conſperſam & exſiccatam carnibus leporinis correſpondere ſcribit GALENUS. Calefacit, digerit & ſiccat valenter, cum vino ſumpta juvat Epilepticos. Adverſus omnia ſerpentum venena felix remedium. Pulverem exſiccatæ muſtelæ in morbo comitiali adhibuit GALENUS. MATTHIOLUS crematæ cinere aqua ſubacto, capitis dolores mulcet, & oculis caligantibus injecto ſuffuſiones emendat. Laudatur quoque muſtela ad podagram & articularios dolores.

FEL cum ſucco fœniculi ad oculorum argemas & nubeculas adhibetur. Lentigines & alia cutis vitia emendat cum melle aut ari farina.

STERCUS ejus Moſchum nonnihil redolet. Fimus hic cum melle exceptus & cum farina lupinorum vel fœnu græci mixtus ad ſtrumas diſcutiendas laudatur à MATTHIOLO. Morſus venenatos Muſtelæ curat Allium, Cepæ, Theriaca, Pellis propria: qua ultima etiam ubera vaccarum

ab hoc animali demorſa confricantur. Pellis a pellionibus ad veſtimenta præparantur.

Sunt qui muſtelis ad venationem Cuniculorum utuntur.

CARO PORCELLI FRUMENTARII.

Eſt Criceti caro humidior atque impurior.

Aſſantur

GESNERUS ex GELENIO ſe didiciſſe ſcribit, vocem CRICETI Illyricam eſſe. Nominatur ab eodem GELENIO κέρκος καὶ ἀρτομῦς. Eſt autem κέρκος, HESYCHIO Authore, ἀρχαῖος μῦς, MUS AGRESTIS. Ἀρκτομῦς autem, MUS SEPTENTRIONALIS, non quod peculiaris ſit populis Septentrionalibus (invenitur enim & alibi, uti docet SEBIZIUS ex quo & SPERLINGIO atque SCHWENCKFELDT, hæc potiſſimum deſumpta) ſed quod figura τὸν ἄρκτον Urſam quodammodo referat. HAMESTER quoque audit, atque quibusdam Vivertra, quaſi vi omnia ad ſe verrens. Ein Hamſter / ein Korn-Färle / ein Meuſe-Hambſter / ein Grutzſchel / ein Erdwolff.

Animal generis murini & urſini, parvum eſt magnitudine fere cuniculi. Longitudo dodrantalis & palmi unius. Pilus in dorſo fere Leporis eſt colore. Guttur Venter & pedes interiores nigricantes ſunt. Rubet in lateribus & circa caudam quæ coloris murini tres digitos longa. Pedes admodum breves, digitis & unguibus albidis quinis utrinque. Anterioribus utitur pro manibus; Bipes aliquando incedit ut Urſa. Oculi ſplendidi nigri elegantes. Dentes habet ut Lepus anteriores binos inciſores & laterales. Lingua mollis ſpongioſa. E bucculis veſicæ amplæ utrimque membraneæ ſub cutę porriguntur, quæ ſenſim gracileſcentes dorſo tenui ligamento alligantur, ut docet SCHWENCKFELDT. Has inſtar ſacci meſſis tempore granis tritici ſiliginis & aliis ceu folles quospiam infarcit,

cit , atque in ſuos cuniculos comeatum in futuram hyemem congerit ac reponit.

In Thuringia ingens hujus animalis numerus, item in Miſnia atque Luſatia; reperitur etiam in reliquis Germaniæ regionibus, etiam in noſtra Alſatia: In terræ cavernis habitat, Agri vaſtator & Cereris hoſtis, ita ut propterea, FRANTZIO notante, FURO vel FURUNCULUS dicatur, quia plurima furatur, & comportat in ſuos ſpecus ſine fine, vel innumera grana pro hyeme, & illa quidem omnia pura ſine paleis; ita ut ſæpe dimidius aut integer modius in uno antro reperiatur. Hyberno autem præſertim tempore latent in ſpecubus ſuis ſubterraneis, in quos æſtivo tempore frumenta, quibus magnam partem paſcuntur, congeſſerunt. Ne grana comportata germinent, pullulantia eorum capillamenta, aut grana utrinque arrodunt.

Mus dicitur fœminæ negare cibum. Hæc, ut SPERLINGIUS habet clam aliud fingit foramen aditumque ſibi ad cibum parat. Quanto tenacior ille, tanto hæc voracior & liberalior eſt.

Pingueſcunt tempore hyemali, & eo tempore multum dormiunt, ut Glires. Beſtiolæ ſunt animoſæ, audaces, iracundæ, mordaces, & mordent irritatæ. Haud terrentur facile, tametſi viribus ſint impares. Si eum Eques incaute proſequatur, ſolet proſilire & os Equi appetere, & ſi prehenderit, mordicus tenere. Aliquando in homines inſilit, & dentes cum inflixit, vix remittit. Ex antris fugantur infuſa aqua fervente: vel intus ſuffocantur. Effodiuntur etiam ligone & rutro. A canibus quoque & a vulpibus inde expelluntur. Vivi denique capiuntur arte, idque noctu cum ad prædam egrediuntur. Nam interdiu plerumque latent. Vox huic animali exigua, cum interficitur voce clara finit vitam. Domi pane, aliisque ferculis ſaginantur. Uvis delectantur maturis, Venantur quoque mures præſertim in agris.

Sciurus.

Aſſantur hæc animalcula ut porcelli, & a quibusdam pro deliciis habentur. Inſigniter enim pingueſcunt liberaliter alti. Non videntur tamen probi eſſe ſucci, propter vitæ ignaviam, temperamenti humiditatem, & locorum,

in

in quibus degunt, dum adhuc feri ſunt, impuritatem. Ex ſubterraneis enim agrorum cavernis in urbes transferuntur.

Pelles præparantur & conſuuntur ad veſtimenta.

CARO SCIURI.

Eſt Sciuri caro dulcis, ſuavis, ori non omnino ingrata.

CARO

SCIURUS. Primus OPPIANUS nomen hoc illi indidiſſe dicitur, ἀπὸ τῆς σκιᾶς καὶ τῆς οὐρᾶς, ab umbra & cauda quoniam beſtiola iſta cauda ſupra dorſum reflexa ſe tegit atque inumbrat. Vocatur & καμψίουρος a verbo κάμπτειν flectere, quoniam animalculum iſtud clunibus inſidens caudam ſupra dorſum flectit. Vocatur etiam MUSTELA QUERCUUM ſeu ARBORUM. Ein Eichhorn/ Eichhörnlein/ ESCURIEU.

Sciurus eſt animal parvum ſed egregiæ formæ; caput ſubtile & breve habet, dentes acutos, quibus acerrime mordet. Muſtela eſt paulo altior & corpulentior, pilo rutilo ſeu nigricante, griſeo interdum ſeu ferrugineo ventre albitio. Caudam villoſam oblongam ad reliqui corporis magnitudinem & denſam habet. Hæc cauda non ornamento tantum illi eſt, ſed & varios habet uſus, cum movetur, ea ſe gubernat, cum pulicibus ac muſcis vexatur ea ſe defendit. Gradiens demiſſam poſt ſe caudam trahit. Caudæ vibratu, ut loquitur SEBIZIUS, tanquam ala, aëre pulſo ſaltum edit inſignem, magno ſpatio transmiſſo de ramo ad ramum, & in longinquam arborem tanſiliens. In magno Solis fervore erecta ac patula cauda ſe tegit & quaſi obumbrat. Fluvium trajiciens aſſere vel cortice pro navi utitur, cauda vero pro velo.

Animal jucundum eſt, formamque amat & puritatem. Lambit ſe perpetuo, comat ſe, & quam maxime poteſt, exornat. Singulis annis depilatur, fermeque calveſcit. Sed mox pulchrioribus pilis

de novo veſtitur, ac priſtinum corporis decus recuperat. Hinc lætatur admodum, nihilque agit magis, quam ut pilorum æquabilitati corporisque puritati ſtudeat. Hinc licet ordinarie in ſylvis ac nemoribus degant, tamen voluptatis & jucunditatis gratia magis, quam utilitatis & neceſſitatis cauſa alitur, quoniam eſt animalculum lepidum, agile, geſticulatorium, ridiculum. Ridiculis certe geſtibus homines delectat mirifice. Sæpe laſciva & hiſtrionica ſaltatione riſum ſpectantibus offert, ut diſſerit SPERLINGIUS. Non raro ſupinus alludit, heri manus prehendit, eas leniter dentibus detinet, mox dimittit, iterum arripit, projicit, repetit. Cumque denegatur manus, murmure ſubmiſſo eam inſequitur ludumque continuare geſtit. In rotas caveis annexas immiſſum pedibus eas verſat & circumagit eleganti miroque ſpectaculo. Vagantur extra ædes in quibus paſcuntur, & ad illas redeunt.

Differunt inter ſe Sciuri potiſſimum magnitudine & colore, qui aliis niger, aliis ruber, præſertim in Germania. In Ruſſia viſuntur cinerei toti. In Polonia, Leucophæi quibus tamen admixtum eſt aliquid coloris rutili.

Appetitum moderatum habent Sciuri. Non aſſumunt plus cibi quam requirit natura. Satur, licet verberibus adigatur, nihil comedit amplius; ſed quæ offeruntur accipit ac recondit. Optimum agit patrem familias, quem mediocris victus & accurata reliquarum cuſtodia decet maxime; verba ſunt SPERLINGII. Veſcitur faginis glandibus, Avellanis, juglandibus, pomis, piris, ſtrobilis Piceæ & Abietis, amygdalis. Delectatur quoque ſuavioribus cibis ſaccharatis.

Cum cicurari facile queat, hominem ſponte accedit, a pedibus ad caput aſcendit, in ſaccis, nuces amygdalas, panem & alia quærit. In ſylvis degens cibum æſtate congerit, quo per hyemem victitet. Hyeme deliteſcunt in cavernis & multum dormiunt, quod etiam alio tempore faciunt. Anterioribus pedibus ſeu manibus utuntur eosque ori admovent, clunibus inſidentes. Nuces artificioſe delibrant, ut nucleo potiri valeant. Curioſum eſt, quod caſſæ inutilesque nuces in domiciliis eorum minime inveniatur. Prævidere dicuntur tempeſtates. Obturant enim cavernæ fores, qua ventus flaturus, & averſas alias aperiunt.

Vernæ

Verno tempore ſolvuntur in libidinem, & inter altiſſimarum arborum ramos avium more nidulantur. Nidos autem ex bacillis & arborum foliis ſiccis conficiunt, In iis fœtus enituntur ac fovent, donec ſponte ad cibum ſibi comparandum progredi poſſint. Edunt partu uno plures.

Vox Sciuro acuta eſt. Canem cum cernit, fugá ſibi conſulit & voce acuta pedumque ſtrepitu teſtatur affectum. Murmurat quandoque cum oblatæ nuces retrahuntur, aut negantur nutrimenta. Bene SPERLINGIUS loquitur. Nobis nec Sciuri nec Glires tota dormiunt hyeme, nec enim ratio id ſuadet, nec confirmat experientia.

Quia ab arbore in arborem, a ramo in ramum & quidem ſtupenda velocitate tranſilire ſolet, Venatores quidem in captura vehementer delectat, verum & mirum in modum fatigat.

Inter

CARO SCIURI dulcis ſuavis & ori grata exiſtere dicitur a SCWENCKFELDTO; commendatur in Polonia.

OLAUS MAGNUS, citante SEBIZIO, refert eam non quidem ad epularum apparatus aptam eſſe, aſſam tamen Venatoribus gratam præbere edulium. Sane ſi habitationem, (verba ſunt SEBIZIANA) ſi victum, ſi craſin, ſi motum animalculi crebrum contempleris, haud mala eorum caro judicari poterit.

BRUYERINUS eam alimentum aridius & atrabilarium præſtare putat. Prius concedimus, inquit prædictus Author, ob cauſas modo indicatas; poſterius vero inficiamus: quoniam, beſtiola melancholicæ naturæ minime eſſe videtur. Alacris enim eſt & vivida & pernix in actionibus ſuis. Quare carnem dat excrementis vacuam & ob id ſalubrem palatoque acceptam. SCHWENCKFELDT aſſerit, quod competat imbecillibus & qui fluxionibus moleſtantur.

ADEPS

ADEPS ad aurium dolores deprædicatur.

CEREBRUM ut & carnem Venatores in Alpibus uxoribus gravidis edendas apponunt, nt mares, ſi quos uteri tulerint, rupicapris per avia & juga montium ſectandis alacriores minusque vertigine obnoxios enitantur. Funambulus quidem Smalcaldicus referente FRID. HOFFMANNO in CLAV. ad SCHROEDER. vertiginem etiam fortiſſimam ac inveteratam curavit cerebro Sciuri, quocunque modo comeſto, protinus enim juvat & vix redire permittit. Eodem annotante ex hoc animalculo, alius quidam funambulus pro ſingulari arcano habuit pulverem contra vertiginem, quem pretio & precibus vix ab eo extorqueri potuit MICHAELIS.

CEREBRUM PASSERIS.

Eſt cerebrum Paſſeris in actu venereo transfoſſi.

Quod

Inter minores aves, quæ nobiſcum degunt, cognitus admodum Paſſer, voce ſæpe moleſtus & granariis non parum noxius.

PASSERES a patiendo forſan dicti ſunt; quoniam epilepticum patiuntur affectum: vel quod paſſim volitent, aut quod paſſim & ubique ſint obvii. Græcis στρουθοὶ, στρούθια, δηγῆρες, δήρηγες, δρῆες. dicuntur. Germanice Sperling/ Spercken/ Spatzen/ MOINEAUX, MOISSONS, PASSEREAUX.

Paſſerum diverſæ admodum ſunt ſpecies. Dantur PASSERES AQUATICI, ſive ARUNDINARII, στρουθοὶ σχοίνικλοι, BATES ſeu RUBETRÆ, PASSERES TORQUATI PALUSTRES, PASSERES CALAMODYTES, Rohr-Sperling/ Rohr-Spatzen / qui in arundinetis nidificant. Dantur PASSERES TORQUATI, PASSERES CAMPESTRES, PASSERES SYLVATICI, Ringel-Spatzen/ Ringel-Sperling/ Feld-Sperling/

Wald-Sperling. Minores ſunt Paſſeribus domeſticis, ſuperne fuſci ſed varii & lineolis albicantibus interciſi: inferne ad flavedinem vergunt, vertice purpureo: collum pennis albis tanquam torque circumdatur. Nidulantur in carioſarum cavarumque arborum truncis. Vitæ longioris ſunt quam Paſſeres domeſtici. Reperiuntur quoque PASSERES MONTANI, PASSERES FERI, στρουθοὶ ἄγριοι. Degunt in montibus in cavis arborum nidificantes. PASSERES TROGLODYTÆ de quibus ſuo loco. Sunt porro paſſeres Exotici, ut ſunt PASSERES CANARIENSES; PASSERES INDICI, quorum alii caudati, alii non. Imprimis autem hic intelliguntur PASSERES DOMESTICI, qui etiam paſſerculi ob parvitatem vocantur, Hauß-Spatzen.

Avis adeo eſt cognita ut ejus deſcriptione vix opus ſit. Mas per dorſum & alas colore lateritio & cinereo diſtinguitur, nigris maculis tinctus. Vertex cinereus gutture nigro & ventre albicante. Fœmina cinerea eſt roſtro candicante: Reperiuntur etiam ſed rarius Paſſeres albi, qui toti candidi præter roſtrum & pedes.

Paſſeres cantum edunt moleſtum & injucundum, ſtridere non canere dicuntur ab authoribus, στρουθίζειν καὶ τρίζειν. Alii dicunt quod vox Paſſeris ſit πιππίζειν.

Pippilat & Paſſer & dulce canit Philomela.

Suo garritu ſe invicem invitant ad epulas, & ad eum locum, ubi gregatim epulari queunt. Sunt Paſſeres πάμφαγοι ut gallinæ, granivori, vermivori, fructivori. Ad agros æſtate, dum fruges matureſcunt, & autumno dum Cannabis ſemen maturum, volant. Hyeme ad Horrea ſe conferunt & granaria inviſunt. Detrimentoſi ſunt agellis ruſticorum, illis maxime in quos milii ſemina conjecta. Ab his autem ut arceantur paſſeres, ſolent ruſticani larvas & perſonatos apponere cuſtodes, qui pavorem iis incutiant, ratis, homines adſtare, qui furta obſervent.

Sunt aviculæ mire ſalaces & libidinoſæ, ita ut horæ ſpatio vigeſies ſæpius Mares fœminam ineant Imo juxta Urſinum per diem trecenties inire capaces exiſtunt. Dum autem coëunt, coitum celerrime perficiunt. Hoc nomine mares βραχυβιώτεροι ſunt fœminis. Non enim

enim anno diutius durare ARISTOTELES & PLINIUS ſcribunt. Probantque hoc exinde quia nulla veris initio appareat nigritudo in roſtro, quæ incipit ab æſtate, ſed contrarium tamen etiam obſervatur, & ad quartum annum vivere conſtat. Fœminis interim longiuſculum vitæ ſpatium eſt conceſſum. Vere & æſtate fœtificat & quidem bis terve pullos quatuor quinqueve excludens, haud raro ſeptem ſed cæcos.

Dictum fuit quod paſſeres ſint omnivori. Capiunt enim multa inſectorum genera, muſcas, papiliones, veſpas, apes, crabrones, araneas, formicas, grillos, ſcaraboeos &c. & uvis delectantur.

Cadavera etiam ſuſpenſorum arrodit, in quorum craniis aliquando nidificare ſolet.

Ætas cognoſcitur ex roſtro: cinereum hoc & circa fauces croceum juvenibus, nigrum ac durum provectis.

Sunt aviculæ timidæ, quia puſillæ & inermes. Prædæ proin accipitrum. Verum inermem naturam ingenii ſagacitate compenſant. Nidulantur enim in domorum, ædium atque turrium faſtigiis, ſub tectis earum & in parietum cavitatibus, ut ab aëris rapaciumque volucrum injuriis ſint tuti. Nidum ex feſtucis & ſtraminibus mira arte congerunt & ut molliter cubent, quam molliſſimis plumis ſternunt. Dociles item ſunt paſſeres & diſciplinæ capaces. Facile enim manſueſcunt & cicurantur. Cum gradiuntur ſæpe ſaliunt. Volatus eorum nec admodum tardus eſt nec velox nimis. In altum non admodum ſe efferunt, ſed contenti ſunt loco humili. Antipathia ipſis eſt cum Hirundinibus, Vulturibus & muſtela.

Picam

Quod ad uſum paſſerum attinet. AVICENNA omnes pronunciat malos, cauſa videtur eſſe duplex, una, quia epileptici ſunt, altera, quia ſalaciſſimi. Dicuntur eſſe concoctu difficiles, improbi ſucci, nec grati ſaporis. Alvum ſiſtere perhibentur. Quibusdam videtur eorum caro non usque adeo mala: idque propter pabuli, quod in granariis ſuffurantur bonitatem. GALENUS certe carnes parvorum paſſerum & turricolarum præcipue, quos πυργίτας, Pyrgitas

 no-

nominant, merularum proximas ſtatuit. Noſtri homines, inquit SEBIZIUS, paſſerculos comedere minime verentur. Abjiciunt autem capita, propter rationem, quia epilepſia infeſtantur. Quanquam an omnes epilepſia prehendantur dubitari poſſit. Caro Venerem excitat, & Epilepticis, Tympaniticis, renum calculo vel articulorum vitio laborantibus præſcribitur.

OVIS vis quoque aphrodiſiaca adſcribitur, ſed & imprimis CEREBRO, quomodocunque uſurpetur, talis virtus tribuitur. BAPTISTA FIERA ita canit

Ardet & in tenera paſſer durabitur alvo:
Si vis eſſe ſalax, det cerebella tibi.
Heu miſerum: qui præcipiti ſic labitur ævo,
I Venus, hinc ſolas ni modo perdis aves.

Convenit quoque & SANGUIS pro eodem ſcopo. Uſurpatur autem vel interne vel membro inungitur. Hic ſanguis & cerebrum paſſeris in coitu transfoſſi fuit ſecretum Comitis a Pappenheim, ut habet ETTMULLERUS non minus clari in exercitiis Martis quam Veneris. Dicunt quidem, quod paſſeres, quoniam laborant epilepſia, etiam homines reddant epilepticos: ſed contrariatur experientia, ubi ex illorum eſu nulla ſecuta eſt epilepſia; ſin vero epilepſia ipſum ſupervenerit, factum id potius eſt ex uſu Veneris nimio, concitato a cerebro paſſeris.

STERCORIS grana aliquot exhibentur infantulis ad ciendam alvum; agit inſtar muſcerdæ. Fimus hic porro faciem purgat. Cum vino potus virgam erigit. Cum ſputo hominis illitus varices extirpat, cum adipe porcino inunctus alopeciam ſanat. Stomachum exolutum & nauſeabun-

dum inſperſus corrigit. Cum oleo calefacto proximæ auriculæ infuſus dolorem dentium pellit. Commendatur quoque ad lentigines recens & adhuc calidus illitus.

CEREBRUM PICÆ.

Eſt Avis notiſſimæ alba & nigra varietate diſtinctæ, Picæ nempe cerebrum.

Pica

PICAM a pietate dici ſuſpicantur, qui ejus in pullos benignitatem mirantur. ISIDORUS aliunde nomen deduci putat, & Picam quaſi poëticam dici, quia exprimendo verba, quæ pronuntiare didicit, proxime imitaretur hominem. A Græcis dicitur κίσσα, ἢ κίττα, κίσσα, κεῖσσα, βάσκιλος, κραγγὼν, ποίκιλις, διὰ τὸ ποίκιλον τοῦ ζώου a varietate, vel quia plumis varia, vel quia varia appetit cibaria. A Germanis appellatur ein Atzel/ ein Algaſter/ Agelaſter/ Aglaſter/ Algarte/ Elſter/ PIE Gallis audit. Epitheta habet multa. Dicitur enim a PLINIO longa inſignis cauda, a MARTIALI improba, loquax, ſalutatrix, ab aliis garrula & humanæ vocis imitatrix.

Ita Picam deſcribit SCHWENCKFELDT, Alarum brevitatem cauda compenſat. Caput, collum, cauda, Uropygium, femora nigra ſunt, venter & alæ ſuperiores cum dorſi parte clypei figura candidæ ſunt. Remiges majores decem mediotenus ad nervum candidæ ſunt, altera parte cum apicibus extremis virent. Reliquæ ſuperiores & inferiores majores cum cauda ex fuſco virore ſplendent. Roſtrum craſſum nigricans; pedes atri ſplendent unguibus nigris.

Nidum in arboribus, præſertim altis conſtruit ex luto, lana & pilis, extra & ſupra ſpinis munit, relinquens tantum arctiſſimum foramen in latere, per quod ingrediatur & hoc eo in loco quo inacceſſibilior eſt. In oppoſita oſtii parte aliud relinquit foramen, per quod caudam emittat. Teſte PLINIO, cum ſenſit nidum ab homine diligentius obſervatum eſſe, ova alio transfert. Parit ova circiter quin-

quinque ſex aut novem viridia notulis purpuraſcentibus reſperſa. Cœcos edit pullos, cumque corpore ſit parva multos tamen progenerat. Avis namque eſt ad libidinem proclivis.

Pica eſt guloſa & vorax, variaque curioſe deguſtat. Inſidiatur teneris Gallinarum pullis, ova quoque populatur & aviculas rapit. Glandes cum deficiunt, colligit & in repoſitorio abditas reſervat. Cibum petit aliquando e porcorum alveis. Gaudet & fructibus arborum: ſed quos guſtavit, mox faſtidit, aliosque quærit, in diverſas ſubinde transvolans arbores. Volatus ipſis raro albus, quem etiam alarum brevitate impeditæ parum protrahunt. Saliunt & caudam more Motacillæ perpetuo movent.

Κίττας κιταβίζει POLLUX ſcribit, ſed ſingulis fere diebus imo horis vocem mutare & uniuscujusque animantis imitari, certum. Puerilem vagitum expreſſiſſe quandam, alteram hoedi primum veluti a matre ſeparati querulam vocem edidiſſe, mox inſtar vituli mugiſſe, ovis more balaſſe, tandem ad inſtar paſtoris, cum poſt paſcua oves ad potum deducit, ſibilaſſe, fide digni authores prodidere. Humanum edocta ſermonem adſtantes ſalutat, ut ſi eam non viderent, avem eſſe negarent, quemadmodum MARTIALIS canit

Pica loquax certa dominum te voce ſaluto:
Si me non videas, eſſe negabis avem.

Minor eſt nobilitas Picarum loquentium quam Pſittacorum ſed expreſſior eſt loquacitas. Perhibentur adamare verba quæ loquuntur. Nec diſcere tantum ſed diligere, meditantesque intra ſemet cura atque cogitatione intentionem non occultare. Conſtare, emori victas difficultate verbi, ac niſi ſubinde eadem audiant, memoria falli, quærentes mirum in modum hilarati, ſi interim id verbum audierint. Quidam Poëta ita canit

Pica loquax varias modulatur gutture voces
Scurrili ſtrepitu quicquid & audit, ait.

Infeſtæ dicuntur noctuæ, unde ad clamorem ejus ſtatim advolant eamque adoriuntur præ cæteris fere avibus. Epilepſiæ obnoxiæ ſunt:

Pro-

Proprium illis, inquit PLINIVS, calveſcere omnibus annis, cum ſeruntur rapæ. Id quod quidam de ſecunda earum ſatione intelligi volunt, quæ fit menſe Auguſto. Prima enim contingit vere. Infeſtantur juxta ARISTOTELEM ab Alcione & Ulula. Educatus & ad volatum roboratæ poſcunt parentem in ſenectute, curantque ut maneat in nido absque ullo labore. Solito plus ſtridentes pluviam præſagiunt, unde a veteribus pluviæ aves dictæ. Albæ Picæ viſuntur in terris verſus ſeptentrionem ſitis.

In

Pica capitur non tam ut comedatur, ſed ut caveis includatur & informetur, quo hominum dialectum diſcat. Caro ejus inſipida eſt, dura, mali ſucci: proinde nonniſi a ruſticis, plebejis & pauperibus manducatur, præſertim pullorum e nidis exemptorum. Juxta SCHWENCKFELDT calefacit, exſiccat, digerit & venenis reſiſtit, convulſionibus reſolutionibus & contracturis eſt remedium. Oculorum caligini, rubedini, pterygio & leucomati prodeſſe perhibetur. Eſus pullorum Picæ aſſiduus viſum auget, ſed quidam excoriari ſuadent, ut facilius concoquantur. Sunt qui dicunt Picam avem aſſam elixamve comeſtam cito ſanitatem reſtituere ægrotis, ſingulariter vero prodeſſe iis, qui per maleficium ligati & ad venerem ſunt impotentes.

CEREBRUM PICÆ lapidem e veſica per urinæ ductum allicere & attrahere creditur, ſi præputio & glandi impoſitum adalligetur. Alii ad epilepſiam Picarum cerebrum comeſtum conferre ſcribunt.

In teſtaceo vaſe cremata Pica, adjecta cautione ne aduratur, & in cinerem redacta, datur maniacis, epilepticis cardiaca tentatis, melancholicisque. Curat cancrum in pudendo virili, ſi lixivio ejus frequenter abluatur. Ad oculorum aſperitatem, ruborem, dolorem vehementer a Pra-

cticis

ſticis laudatum remedium quocunque modo ſumpta vel adhibita. Proſtabat olim.

IN OFFICINIS.

Aqua Picarum, quam efficacem dicebant in frigidis Cerebri & nervorum affectibus, mederi perhibebant Apoplexiæ, paralyſi, ſpaſmo, contracturæ imprimis ex vitiato frumento, loquelam amiſſam reparat & Epilepſiæ ac convulſioni ſuccurrit.

Occaſione Picæ liceat etiam ſermonem facere aliquem de GARRULO.

CARO

GARRULUS vocatur a garrulitate, quia garrit ſemper & nemo fere tranſit, quem non inclamet: ita quandoque occupatus ſua in garrulitate clamoſa eſſe dicitur, ut ſibi non proſpiciens rapiatur ab Accipitre fringillario. Græcis dicitur κάρκαξ. Pica glandaria nuncupatur quod vel glandibus veſcatur, vel quod libenter inſideat quercubus quæ glandiferæ. Häher/ Här/ Nußhär/ Hätzel/ Hätzler/ Baum Hatzel/ Holtzſchreyer.

Deſcribitur a SCHWENCKFELDTO hunc in modum. Columbæ fere eſt magnitudine, tota varii coloris. Roſtrum breve, nigrum, robuſtum. Pedes leucophæi, quorum digiti multis articulis flectuntur, unguiculis cinereis quodammodo aduncis armati. Criſtam in capite erigit ex plumis anterius albidam, maculis nigris variam, retrorſum verſus mixtus eſt ex cæſio rufoque color: ſimiliter per totam pronam, niſi quod in dorſo minus rufi plus cinerei admiſceatur. Pennæ ab uropygio ad caudam candidæ extenduntur. Cauda palmos duos & ſeſquidigitum longa pennis conſtat nigris. Alarum pennæ oblongæ & validæ ſunt, partim candidæ, partim ex nigro albicante & cœruleo coloribus ordine diſtincto variantes. Supina pars ejusdem fere coloris cum prona, ſed remiſſiores maxime vero, quo propius caudam fuerit, eo magis ad album vergit. A roſtro plumæ aliquot atræ antrorſum ſubter oculos tendunt. Alæ interiores cinereæ, Lingua latiuſcula diviſa.

Fre-

Frequens in ſylvis. Veſcitur glandibus quernis, juglandibus, carne, aviculis, ſorbi bacculis quibus autumno frequenter appoſitis laqueis decepti capiuntur. Nidificat in arboribus. Ne brumali tempore pereat inedia, glandium, quibus tum victitet, acervos, non aliter ac formicæ fruges in terram ſeu arbores recondit.

Garrula eſt avis in juventute educatur & caveis includitur, edocta varias imitatur voces & hominum ſermones & cantu delectat. Epilepſia facile corripitur.

CARO GARRULI dura eſt & inſipida, & propterea a delicatioris vitæ hominibus non admodum expetitur. Menſas plebejorum ſubire non epulas ditiorum ornare ſolet. Juxta SCHWENCKFELDT edibilis eſt nec pravi ſucci. Calculoſis in cibo commendatur.

COR CORVORUM.

Eſt Avis illius nigricantis notiſſimæ, quam Corvum appellamus Cor ex vivo animali præſertim extractum.

Abdi-

Κόραξ a colore nigro, κόραξ enim nigrum eſt, vel παρὰ τὸ κάραν μεγάλην ἔχειν, a capitis magnitudine, κόρακας, CORVUS, ein Rabe/ Kohlrabe/ ein Rappe/ CORBEAU.

Avis eſt, uti dictum notiſſima, omnium nigerrima corpore & roſtro craſſo, magnitudine Cornicem ſuperat, & ei atror adeo eſt intenſus, ut præ nimia nigredine cæruleus quodammodo appareat. Roſtrum habet aterrimum nonnihil aduncum utrisque marginibus incidens. Oculos obtinet lucidos, linguam habet in apice latam ad radicem rotundam, nigram. Datur tamen etiam Corvus albus, ein weiſſer Raab. Corpus candore nitentes gignit Norwegia, Islandia & alia loca frigidiora polum Arcticum reſpectantia, ſeu quod ob aſpectum nivium in nivoſis locis tales naſcantur ſeu quod frigus id efficiat, ſeu quod alimento id attribuendum ſit.

Non in uno loco degit Corvus, cum ſit polyphagos & pene pamphagos ſive omnivorus. Modo humidis locis, modo agris cultis, modo locis deſolatis, ſæpe in mediis urbibus & in celſis ædificiis, turribus & altiſſimis arborum cacuminibus nidum conſtruit. Nutriuntur Corvi vario cibo, veſcuntur cadaveribus, vermibus, piſcibus, pomis, piris, uvis pane & aliis. Cadavera ſuſpenſorum gratiſſima iis ſunt fercula, unde Germani, cum mala imprecantur, dicunt daß dich die Raben freſſen. Malum ſignum eſt Corvi abſtinentia a cadaveribus. Apud Athenienſes peſtis erat, ubi paſſim cadavera jacebant inſepulta, nec tamen a corvis aut aliis brutis devorabantur. Corvi etiam furto ſubſtrahunt res alienas, potiſſimum monetas, unde Germani er ſtiehlt wie ein Raab. Invadunt pullos gallinarum anatumque deplumant & devorant, cujus rei ipſe teſtis eſſe poſſum. Odoratum habent ſagaciſſimum, & vulturum more cadaverum odore facile ſentiunt Hinc ſtrage edita mox advolant, non ſecus ac ſi futuram prævidiſſent.

Magna Corvi audacia eſt; non mortua tantum ſed viva etiam animalia rapit ac devorat. ÆLIANUS ſcribit Corvus Aquilæ nihil de animo concedit, quo minus quam hæc audax ſit. Non etiam contra puſilla tantum animalia, ut ſupra dictum, venire audet, ſed & contra aſinos & boves pugnat, quorum in cervicibus conſidens cor percutit, & multorum effodit oculos.

Diu non quieſcunt Corvi, ſed circumvolitant frequenter. Volatus tamen gravior ac tardior eſt ob gravitatem corporis. Clamore hominum nunquam factum fuiſſe ferunt, ut ſupervolantes Corvi attoniti & velut ſagitta ſauciati deciderint. Majori enim voce aërem disjunctum fuiſſe, nullamque volantibus firmitatem præbuiſſe. Sed aut fabula eſt, ut SPERLINGIUS ait, aut alia cauſa ſubeſt. Fortaſſis timor deturbavit aves volatu minus valentes.

Ore coire vulgus prodidit, inde fellatorum ipſis nomen, ſed falſo; nam & vulvas habent & ova, juxta ſeptum, nec cogitari poteſt quomodo ſemen per ventriculum, qui ſemper quod injectum eſt concoquit, perveniat, abſurdum eſt. & viſi Corvi, qui aliarum avium more congrediebant, roſtrorum fit inter eos ante coitum conjunctio, ſeu ut alii cantu prius quodam velut hymenæo demulcentur fœminæ, tum mares admittunt, hinc exorta fabella. Salax non eſt Avis ſed raro coit, ſemperque bini Corvi inviolata conjugii jura ſervare dicuntur.

cuntur. Ova pariunt non duo tantum ſed quatuor etiam aut quinque. His incubant dies viginti. Faciunt hoc mature, menſe ſcilicet Martio pulloſque aliarum avium nutriunt. Albos eſſe Corvorum pullos adeoque deſeri a parentibus & eſurire ſtrenue dicunt, & cœleſti rore, ut Caſſiodorus credit, ſeu a muſcis prætervolantibus aluntur, donec atrum induti colorem in curam veniant. Sed nec albi ſunt pulli, nec a parentibus deſeruntur. Non minori Corvi cura alunt pullos quam Columbæ aut paſſeres Quando firmiores evaſerunt pulli, mox pulſi, quæ ſunt ad vivendum neceſſaria, inquirunt.

Vox Corvo minime ſonora, quamvis cantare PLAUTUS dixerit. Vocem ſeu propter diverſos effectus, ſeu imbrium & ventorum inſtantem curſum ita mutat, ut FULGENTIUS ſexagintata quatuor diverſas habere voces dixerit. Aërem mutatum iri ex ejus varia crocitatione conjicimus; alia quippe voce tranquillam auram, alia concitatam tempeſtatem, alia caſuram nivem, aliaque ſpargendam nebulam præſignificat; etiam cum rauca voce triſtius altiusque crocitare advertitur, verberatis alarum vehementius lateribus, nimbos præſagit, & ventos prænunciat, uti PLUTARCHO placet; carptim autem reſorbens, ventoſum imbrem prædicit; ſed cum deglutiunt vocem, veluti ſtrangulandi, PLINIO peſſimum præſagium præbent, & inauſpicata eſt ſignificatio, cum utplurimum horrida, rudis & ingrata Corvorum vox eſt, ideoque portentum videtur corvus & hominum malo etiam apparere, uti ex Ciceronis exemplo probare conantur. Maxime vero propria & naturalis vox eſt Crocitus ſeu Crocitatio, Croaſſement. Nullo enim affectu, nullaque tempeſtate impulſus Crocire ſeu Crocitare Croaſſer ſolet. Iteratas pluries edocti voculas imitantur proxime, & non conſpectu homines putantur ex vocis ſimilitudine; omnes fere aves hac in parte præcellunt: viſi enim ſunt (ut refert PARÆUS) Corvi loquentes prolixa cantica & profuſiores pſalmos accurate decantantes. In hujus rei fidem facit notiſſima MACROBII hiſtoria: narrat enim, quod reduce feliciſſimo Auguſto cum periculis perfunctus Antoniani belli, a plaudibunda Roma communi congratulatione exciperetur, inter gratulantes quidam Corvum attulit, qni clare articulata voce ſæpius repetebat, hoc (uti doctus erat) elogium, SALVE CÆSAR

IMPERATOR AUGUSTISSIME, quo ſpectaculo attonitus Cæſar avem emit mille argenteis, & adeo placuit, ut plures poſtea comparaverit. Excitatus exemplo pauper, qui ſutoria arte ſtipem parabat, conatur ſimiliter inſtituere Corvum, ut ſalutationem hanc addiſceret; ſed operam male locaverat, impendio fere exhauſtus, quare Avi indignabundus dicere ſolebat, OPERAM & OLEUM PERDIDI: cepit tandem aliquando optatam ſalutationem, diſcipulus Corvus diſtincte pronuntiare, quam tranſiens aliquando Auguſtus audivit quoque, & talium numero ſatis ſibi proviſum indicans, inquit: Sat multos hujusmodi ſalutatores domi meæ habeo: Supererat Corvo memoria iteratorum a Domino verborum, cum de indocilitate ejus conquereretur, & eadem Cæſaris reſponſo ſubjungens verba, ait, operam & oleum perdidi, quare ſubridens Cæſar, emi juſſit avem tanti, quanti aliam nullam hactenus emerat. Legitur quoque in hiſtoria Romanorum (quod creditu difficilius videtur, ut VAN DEN BOSSCHE loquitur) fuiſſe Romæ Corvum, qui populum nominatim ſalutaret, idque obſervato ordine: primo enim Tiberium, deinde Druſum, Cæſares, reliquum deinde populum: hunc (ut refert PLINIUS) manceps quidem propriæ ſutrinæ, quia calceos fœdarat fimi macula, interfecit. Tanta autem fuit populo irato triſtitia, propter humanæ avis necem, ut ſutorem regione pepulerint, & interemerint poſtea, & adornato funere exequias celebraverint Corvo; duorum enim Æthiopum humeris inſtravere lectum, præcedente tibicine luctus præcentore, & delatis coronis plectilibus omnium generum, ad conſtructum usque rogum.

Corvi in regionibus fœcundis gregatim volare perhibentur, in ſterilibus vero ſolitariæ propter cibi & eſcæ penuriam, quæ crudeles etiam in filios facere dicitur, eos quippe ad volatum & venationem enutritos, non tantum ſolos venari, & eſcam quærere volunt, ſed ſua eos regione exigere memoratur. Dicitur pullos parentes ſuos ſenio confectos interficere & devorare, unde natum adagium; κακȣ̃ κόρακος κακὸν ᾠόν, *Mali Corvi malum Ovum.* Quod etiam hodie perſeverat iu uſu, quoties e mali magiſtri ſchola ſimilis ei malus prodit diſcipulus, & a patre improbo, improbus ſimiliter filius, denique ſceleratum ab homine ſcelerato facinus.

Cele-

Celebratur multum Corvorum vivacitas. Novem ſecula quidam Corvos vivere volunt. Hinc THEOPHRASTUS moriens naturam accuſavit, quod Corvis & Cervis vitam dederit longiorem, hominibus breviſſimam, qui tamen longiſſima digni fuiſſent. Sed experientia docuit, ut SPERLINGIUS dicit, ultra centum & octo annos Corvum non facile protendere vitam. Pauciſſimis licebit talia experiri.

Amicitiam naturalem colere dicitur cum Lauro, quam depaſto Chamæleonte comedit, cum Aſaro & Aro, quibus remediis in quibusdam morbis utitur, cum Salice Amerina, qua tanquam amuleto nidum munit, cum Coracio qua vim toxici deguſtati frangit, cum Oenuta qua ſe ad ebrietatem exhilarat. Inimicitias autem gerit cum Milvo & Percnoptero, Circo, Turture &c.

FULICA

Abdicatur Corvus a cibo ab pabula immunda, quæ ſunt magna ex parte ex Cadaveribus hominum, piſcium vel aliorum animalium. Reperiuntur tamen quidam, qui CARNE præſertim juniorum quandoque veſcuntur.

CORVUS VIVUS, ſepultus in fimo equino & per dies 40. putrefactus, deinde combuſtus, & in cerati fordies ... KYmam redactus, perfecte ſanat podagricos, ut refert KYRANIDES.

In PULLIS CORVORUM recentibus verno tempore ex nido exemptis, antequam veſtiantur plumis, ex ore exſumitur CARO, quæ hepar pullorum Corvorum, das Leberlein vocatur & ſpecifice epilepſiam curare dicitur, ſi hepar hoc ſiccatum aliquoties aſſumatur.

PULLI Corvorum incinerati, commendantur ad morbum comitialem; ſi ſcilicet pulli Corvorum menſe Martio ex nido extrahantur, comburantur, & in tenuiſſimum pollinem redigantur. Bis vel ter in die pondere ℈.

 unius

unius, per tempus imprimis cum aqua deſtillata Caſtorei exhibetur, & ſic epilepſiam amplius redire negant.

PES CORVI ſuſpenditur de collo pueri tuſſientis.

STERCORE CORVINO e collo pendente ſanari odontalgiam perhibent, eandemque efficaciam roſtro corvino e collo penſili attribuunt. MARCELLUS dicit, obvolvatur Stercus Corvinum lana, & minutis particulis infarciatur denti cavo & ſine dolore odontalgiam depellet, & dentem educet.

OVA CORVORUM ad epilepſiæ curationem commendat ARNOLDUS a VILLA NOVA: etenim cum epilepſiæ malum a melancholia originem trahat, ſtercus columbinum probe contritum Corvorum ovis commiſce, & cataplasmatis inſtar apponito ſpleni, adhibitis prius ſanguiſugis, hoc enim cataplasma materiam trahit a capite ad ſplenem, & febrem generat, atque epilepticum liberat, maxime ſi fiat in autumno. Idem author tres guttas ſanguinis de ſpatulis epilepſiam patientis, per ſcarificationem extractas, cum Ovo Corvi (patiente adhuc ſtupido) in potum dari utiliter judicat. Optandum fuiſſet ut author ſuum ratiocinium melius probaſſet. Corvi ovum in æneo vaſe permixtum oleo, illitumque deraſo capiti, nigredinem in eo producit juxta PLINIUM & RHASIN. Axungiæ quoque Corvinæ hæc vis nigredinem inducendi a quibusdam tribuitur.

CEREBRUM CORVI (inquit GESNERUS) cum ſtillatitio liquore Verbenæ hauſtum epilepticis prodeſſe tanquam experimento compertum remedium quidam ſuadent.

COR CORVI geſtatum arcere ſomnum putatur, quod

quod efficax remedium huic incommodo reputat FERNELIUS. Negant tamen hanc virtutem alii.

Tandem notandum, quod pennæ ſeu calami Pictoribus ad icones ſubtilius delineandas & Organiſtis ad Muſica inſtrumenta eligantur.

COR FULICÆ.

Eſt Gallinæ aquaticæ, Fulicæ dictæ, cor vivæ extractum.

FULI-

FULICA & FULIX a furvo h. e. nigro colore vel a fuligine nomen accepit. Κέπφος, Φαλαρὶς a macula alba, φάλον enim album & ſplendidum ſignificat. Φαλαροκόραξ, λέφα, τρυγὰς, GALLINA AQUATICA, GALLINA ARUNDINUM, FOLLEGA, FOLLATA, FULSA FUSCA, MERGUS NIGER, ein Waſſer-Huhn / ein Rohr-Henne / FOULCE.

Mergi eſt genus, Avis aquatica nigra tota, anati ſimilis at paulo minor, tres ſpithamas longa & quatuor extenſis alis lata: roſtrum ei acutum, craſſum, longiuſculum, candidum. Pedes obſcure glauci circa genu ſupra & infra ex viridi flaveſcunt. Digiti cum calce tres ut in Columbis fiſſi, quibus per internodia tunicæ ſemicirculares ejusdem cum pedibus coloris, ora exteriore nigricante junguntur, unguiculis fuſcis rectiuſculis acutis. Color per totum corpus niger, in collo & capite nigerrimus. Venter dilutius ad cinereum inclinat. Sinciput glabrum, figura fere ovali, alba pellicula tectum, calvitii ſpecie: collum oblongum, cauda breviſſima, ventriculus calloſus craſſior ut anſerum.

Frequens eſt in lacunis, piſcinis & fluviis, nec facile recedit ſi eſcam habet & pacem. Veſcitur ſeminulis plantarum aquaticarum, gramine, piſciculis, vermibus &c. ſuper ſtipites in aquis nidum exſtruit.

Fulicæ matutino clangore tempeſtates prænunciant quod carmine Aratus confirmat.

Cana

Cana Fulix itidem fugiens ex gurgite Ponti,
Nunciat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens ex gutture cantus.

FULICA admodum pingueſcit autumno. CARO ejus quid grave & paluſtre olet: quapropter prius aqua fervente elixatur, ut odoris virus exhalet: deinde aſſatur & conditur. Succum gignit minus probum & bilioſum.

COR crudum comeſtum Epilepticis prodeſſe creditur. CEREBRUM vero cum veteri oleo permixtum, [illegible]i paſſiones curat.

CORONÆ SERPENTUM.

Sunt Coronæ quædam parvæ oſſeæ atque candidæ, quas ſerpentum præſertim candidorum coronas eſſe perhibent, capiti eorum innatas.

Vir-

CORONÆ SERPENTUM ita dicuntur a ſimilitudine coronarum regiarum. Schlangen-Krönlein.

CONRADUS KHUNRATH in MEDULL. DESTILL. hæc de his coronis habet verba Germanica. Sintemahlen ich allhier der Schlangen oder Nattern gedencke/ muß ich noch etwas gegenwärtiges anzeigen/ daß etliche Natter-Schlangen weiß ſeynd / die haben auf ihrem Haupt oben/ und etwan ungefähr das fordere Glied an einem kleinen Finger iſt/ und iſt anzuſehen gleich einer Königs-Kron/ und iſt gleich als wäre es von Bein/ wie es dann auch iſt / ſiehet auch ſchön weiß/ ziemlicher guter ſchwere/ und wenn man es gegen die Sonne oder einen brennenden Liecht hält / ſo iſt es gleich- wie durchſichtig und die Natter-Schlangen ſtreiffen es im ſiebenden Jahr mit dem Balge

unter

unter einer Haſel-Stauden / da Miſpel aufwachſen/ ab/ darunter ſie auch ſampt dem Balg gefunden wird.

JOHANNES JACOBUS WAGNERUS Poliater Tigurinus, in EPHEMERIDIBUS CURIOSORUM his verbis mentem ſuam de his coronis aperit. Ut dicamus id quod res eſt, Coronæ iſtæ Agyrtarum meræ ſunt impoſturæ, tales quippe coronas candidas, ſerpentum capitibus innatas nullus Curioſorum Naturæ Myſtarum hactenus obſervavit: aut quis quæſo αὐτόπτης animadvertit tales coronas ſeptimo anno una cum exuviis ſub corylo exutas? Quin imo decantatæ hæ Agyrtarum Coronæ Serpentum, nihil aliud ſunt, quam dentes molares porcellorum, ſubſtantiæ candidæ, ſuperficiei inæqualis, acutis eminentiis ſeu apicibus pulchre exaſperatæ, inferiore parte rotundæ, ita ut ob id elegantis coronæ formam præ ſe ferant: cavitas autem eorum ampla albo ſeu lacteo quodam humore, veluti muco eſt impleta, unde & vulgo, die Milch-Zähn appellantur. Quilibet Archetypon nullo negotio habere & ipſe inſpicere poteſt. JOHANNES quoque JÆNISIUS in iisdem EPHEMERIDIBUS jam ante WAGNERUM hæc protulit verba. Quidam aliquando dono mihi dedit coronam ſerpentis, quam ob rariorum qualitatum virtutes de meliori mihi commendaverat, veramque & genuinam ſerpentis eſſe coronam & ipſe falſus ſancte aſſeveraverat, credidi hoc diu, cum autem inter alia brutorum genera porcellum jam ablactatum cultro anatomico ſubjicerem, experior inferioris maxillæ protuberantes dentes molares ejusmodi coronam ſerpentum ementitam exacte referre, ut deinde & meæ coronæ putatitiæ natales ſatis clare innoteſcerent. GEORGIUS HIERONYMUS VELSCHIUS in Hecatoſt: ita diſſerit. Novimus plurimis eſſe perſuaſum, eſſe ex ſerpentibus quibusdam Regiis coronas ad uſum Medicum aliaque plura efficaciſſimas. Nemini opinionum ſuarum oblectamenta eripimus: quia credimus verum eſſe. Sed iſtæ tamen, quæ circumferuntur vulgo, oſſeæ ſive eburneæ non videntur eſſe genuinæ. Ne quis enim dubitet, plures ex maxillis aprorum ipſi collegimus & decuſſis quibusdam eminentiis lævigatos limaque expolitos, ad lubitum efformavimus. HOFFMANNUS in CLAVE ait, quod ſit impoſtura plebeis obtruſa, dum coronæ hæ nihil aliud ſunt, quam Chelæ Squillæ marinæ, quæ dentatæ ab uno latere inferiore ſemifalcatæ ebore quovis nitidiores ſint. Has affabre ea parte, qua dearticu-

latæ fuerunt, committunt, capſulisque oſſeis & ligneis decenter inſerunt. Ex his, quod nugæ ſint, quicquid de hujusmodi ſerpentum coronis circumfertur, planum eſt.

His contrariatur JOH. LUDOV. HANNEMANNUS Chilonienſis, qui in EPHEM. NAT. CUR. refert fidei filii ſui & materteræ, viſum eſſe ſerpentem revera coronatum corona articuli digitum alta; inſuper ſanctiſſime aſſeverat ſe adhuc duas ſimiles coronas vidiſſe. Huic conſenſum largitur ROSINUS LENTILIUS celebris Medicus Würtembergicus, & dicit ſe talem Corollam veram palpaſſe, ſerpentem interim ipſum negat ſe vidiſſe ſed non diffitetur, ab Agyrtis, ad imitationem verarum corollarum, adulterinas alias e dentibus porcinis, Chelis ſquillinis aut alia quavis materia fingi poſſe. HANNEMANNUM non curo, ſed miror LENTILIUM narrationibus tam facilem præbuiſſe aſſenſum. Cum WAGNERO aliisque tamdiu faciendum eſſe cenſeo, donec veræ ſerpentum coronæ fides majoribusque certioribus firmetur fundamentis.

SER-

Virtutes harum coronarum quod attinet, rurſus audiendus eſt ſupra citatus KHUNRADH, ita docens. Dieſes Krönleins virtutes ſeynd / daß wer es bey ſich trägt / den præſervirt es (nechſt GOtt) für allem Gifft und zaubereyen/ und iſt das höchſte præſervativ wieder die Peſtilentz in tempore infectionis, verhütet auch Apoplexiam und machet dem bey ſich tragenden ein gar gut hell lauter Geſicht / und præſervirts für aller Blödigkeit und Dunckelheit / biß ins höchſte Alter. Nugæ: poſito quod etiam tales coronæ revera in capitibus quorumdam reperiantur, quid aliud præſtare poterunt, quam Cornua aliorum animantium: cum Corollæ communes ſint adulterinæ, certum eſt, quod peculiari quoque virtute præ aliis dentibus haud gaudeant.

EXUVIÆ

EXUVIÆ SERPENTUM.

Eſt cutis animalis ſponte depoſita, colorem nativum una cum figura quodammodo adhuc retinens, odore & ſapore deſtituta.

De

SERPENTIS vocabulum, vel a ſerpendo, παρὰ τὸ ἕρπειν quod occultis acceſſibus non occultis paſſibus animal hoc progrediatur, vel a Græco ἑρπετὰ niſi FESTUS fallit, deſcendit. In genere ſumptum, omnia illa, quæ vel citra uſum pedum repunt, vel tam exiguos habent, ut repere quam incedere videantur, complectitur. Dicitur etiam Priſcis, SERPULA ſi FESTO credendum; aliis COLUBER, ſeu quod in lubricos tractus flexibus ſinuoſis labatur; ſeu quod umbras colat, ut apud VIRGILIUM legimus, quanquam alii pro ſerpente domeſtico, alii pro ſerpente aquæ accipiant. Dicitur & ANGUIS, quod ſemper anguloſus quaſi & plicatus conſpiciatur: quanquam SERVIUS aquaticis duntaxat hoc nomen tribuat, alii etiam terreſtribus. Græcis veteribus eſt ὄφις, modernis ὄφιδ, ſine dubio παρὰ τὸ ὄπλω ſeu quod acutum cernat, ſeu quod oculis apertis dormiat. Germanis dicitur, ein Schlange/ Gallis un SERPENT ou COULEUVRE.

Serpens animal eſt terreſtre ſanguineum, ἑρπυστικὸν ſive reptile pedibus ex natura carens, corticeque intectum. Varia ſunt genera Serpentum diſcrepantes magnitudine, colore, figura, venenoſitate &c. Omnes ſunt ſine pedibus, dorſum quoque omnibus coloratius. Hic intelligitur Serpens vulgaris, qui frequens eſt, ut cum OLAO WORMIO loquamur, in dumetis & locis uliginoſis, ac tam aquis, quam terra gaudet, colore nigricante vel ferreo aliove &c magnitudine inæquali, quandoq; ulnas duas attingens, dorſo ſquamis tenuibus & parvis maculato, ventre ex albo & nigro variegatis majoribus, capite oblongo: oculis parvis, paulatim in caudam anguſtam deſinens. Caput dorſo affixum in averſum vertere, reliquo corpore quieſcente valet. Senſoria non eminent, ſed foramina habent, ut Nares olfaciendi,

 ciendi,

ciendi, aures audiendi: Oculi ſunt duriores: palpebra ſuperior immobilis, ſed inferiore connivent. Collum proportionale potius collo videri poteſt. Vertebræ Serpentum cartilaginoſæ & flexiles ſunt: ſicuti natura horum animalium expoſtulabat: nimirum ut quoſcunque motus & corporis flexiones, imprimis convolutiones ac in orbem complicationes exercere poſſent, quem in finem plures adſunt coſtæ.

Vox ſerpentibus eſt ſibilus: obtuſum teſtudines, longum ſerpentes reddunt ſonum: ſtridere id LUCANO, ῥοίζειν APOLLONIO in ARGONAUTICIS dicitur.

Erectos ante lapſum inceſiſſe nonnulli credunt (an verum ſit nec ne, non opus eſt nunc diſquirere, ſerpere quis non novit? inquit JONSTONUS: flexuoſis impetibus incedunt, & caput, reliquo corpore quieſcente ob vertebras cartilaginoſas vertunt, ſicque corpus ſuum longum & anguſtum in partes adverſas reſpicientes melius tueri poſſunt: ſquamis quaſi unguibus & coſtis quaſi cruribus innituntur. Græci de hoc motu verbum εἰλυσπᾶσθαι uſurpant.

Capitis, quod compreſſum eſt, os dentes habet ſerratos & acutos pectinatimque coëuntes, lingua eorumdem tenuis longa atroque colore referta eſt, ideoque longius protrahitur in ſummitate vero eſt bifida & ſecundum nonnullos piloſa.

De generatione ſerpentum duo occurrunt: unde ſint orti & quomodo generent. De ortu variæ ſententiæ. Quidam Poëtæ ex ſanguine Titanum a Saturno & Opi occiſorum prodiiſſe fabulantur, alii ex capitis Meduſæ ſanguine nonnulli ex putredine terræ, ex qua magnus ille ſerpens Python prodiit; ut alias ridiculas opiniones taceamus. Serpentes producunt ſerpentes. Modum generationis ex ARISTOTELE aperuit PLINIUS. Coëunt, inquit complexu adeo circumvoluti ſibi ipſi, ut unus exiſtimari ſerpens poſſit, iſque biceps. Ova pariunt continuata ſerie contexta, quæ inſtar monilis cohærent: incubant, quæ pepererunt, in terra & ſequente anno fœtum excludunt.

Omnivori ſunt ſerpentes: nam & carnem edunt, inſecta, herbam & terræ pulverem & quævis obvia Conduntur hyeme ſub terra aut ſaxis aut in arborum ſaxorumve cavis, & ſeceſſus tempore dormire plerumque dicunt. Loci in quibus verſantur, utplurimum

ſunt

ſunt caulæ, caſæ ruſticæ & ſcopuli, aut exiguæ valles, colles, prata, quæ prope lucos & ſylvas cæduas ſunt: Reperiuntur quoque ad ripas aquarum &c. ſunt in quærendis ſibi latibulis tutis admodum perſpicaces.

Inimicitiam fovere dicuntur cum hominibus, plantis & animalibus. Quantum ad homines, omnibus contra ſerpentes ineſt venenum: feruntque ictos ſaliva, ut ferventis aquæ contactum effugere. Aquilæ anguibus veſcuntur. Pavonis clamore terrentur ſerpentes. Ciconiæ olim in Theſſalia maxime immunes erant, quod ſerpentes interimerent. Ne dicam de accipitribus, vulturibus &c. Ex quadrupedibus Elephanti, Cervorum ritu, ſpiritu ſerpentes e cavernis evocare perhibentur. Cervi, ſeu tanquam medicamento, quod ISIDORUS tradit, ſeu tanquam pabulo, quod BELLUACENSIS, ſeu laxandi ſenii ergo & ut pilos mutent quod ALII, ſerpentibus veſcuntur, aut ſpiritu eos ex cavernis extrahunt. Sues etiam angues inventos edunt; ne dicam de ſoricibus, teſtudinibus &c. Ex exanquibus Locuſtæ quædam ſpecies Ophiomachus dicitur, quod cum ſerpentibus prælietur, eosque gutture arrepto interimat. Cancri quoque & aranei anguibus ſunt infeſti. Quantum fraxinus iis adverſetur, dictum jam ſub fraxino. Amicitiam colunt inter ſe, quia in cavernis ſæpe conglobatim reperiuntur.

H,w?

De ſerpentibus vulgo dicitur, quod ſint venenati, ſed nihil eſt. Innoxie enim comeduntur, ut fruſtra illis energiam ſalutiferam quidam adimant. BORELLUS refert Locum a Caſtro in Galliis quatuor Leucis diſtantem eſſe Baſtida vocatum prope St. Amantium, in quo Ruſtici ſerpentes innoxie comedant, eosque viatoribus comedendos ſub anguillarum terreſtrium nomine apponere, caudam ſaltem atque caput amputantes, reliquum comedentes, quod mire ſapiat palato; nec ex eo pabulo ullum ægrotare. Ob hanc balſamicam vim ſerpentes æque ac Viperæ ad uſum

a quibusdam expetuntur. Inter ſerpentes & viperas ratione virtutis & modi operationis nulla eſt differentia, ut docet FRIDERICUS HOFFMANNUS in CLAVE SCHROEDERIANA. Noſtri enim ſerpentes roborant æque Naturam ac Veneri & impotentibus ſubſidio ſunt, turgentes & luxuriantes in corpore humores compeſcunt, malignos corrigunt, leproſos mundant, ac virtutem alexiteriam ſibi vendicant, unde & ex illis eadem depromi poſcunt medicamina, quæ e Viperis. Paſtus quoque Caponum aut Gallinarum cum ſerpentibus factus mire convenit in firmanda ſanitate & prolonganda vita, ut habet LOTICHIUS. Serpentes porro æque ac Viperæ pro arcenda ſterlitate Virorum faciunt ſi edantur, ſtimulum enim Venereum inſignem largiuntur. Sic Dux quidam Bavariæ habuit Gallos criſtatos, quos cibavit ſerpentibus & uſurpavit pro cibo, quo factus fuit fœcundus.

Modum ſaginandi Capones atque Gallinas mediantibus ſerpentibus atque viperis ita traditur a ZWELFFERO. Serpentes atque Viperæ mundatæ in fruſtula conſcindantur ac in vaſe idoneo affuſa ſufficienti quantitate aquæ fontanæ decoquantur, adjecto modico ſalis communis usque dum ſufficienter carnes emollitæ ſint: hinc cochleari perforato eximantur ſerpentes vel viperæ in mortario contundendæ, ut oſſa comminuantur: quibus ſic contritis adde farinæ ſaginationi aptæ & juſculi decoctionis ſerpentum vel viperarum q. ſ. miſce fiant paſtilli, quibus Gallinæ, Capones & adultiores pulli ſaginentur. Suadet porro, ut qui intenſiores ſerpentum atque viperarum facultates per hujusmodi ſaginationem ſibi comparare ſatagit, Gallum & aliquot Gallinas in chorte, ovis pariendis deſtinatis viperina aut ſerpentina enutriat ſubſtantia: quæ ſic enutritæ mirum

eſt

eſt quam evadunt fœcundæ & ſalaces. Hinc ova taliter epulantium conjugum excluſioni ſubjicienda, & pulli quam primum e teſtis eruperint, eſca e Viperis aut Serpentibus parata ſunt educandi. Cum autem recenter excluſi pulli ſuperius dictis paſtillis paſci non poſſint, alia via eos cibare oportet. Caro videlicet cocta & ab oſſibus ſeparata minutim contundenda, ovis ad duritiem coctis & ſimiliter inciſis permiſcenda, & pullis nuper excluſis in eſum porrigenda eſt. Atque hoc cibo tam diu pulli paſcendi, donec ſaginationem prædictis paſtillis celebrandam ſuſtinere tandem valeant: quibus deinde ultro ſuſtententur, donec partim pingues & jugulationi accomodati, partim fœcundi pariendis ovis & ex iis aliis excludendis pullis apti videantur, denique toto vitæ tempore ſimili pabulo alantur, ut quantum fieri poteſt tota Gallinaceorum natura, tum quaſi per ſemen in ipſa generatione, tum per alimentum in vitæ decurſu, ſerpentum & Viperarum viribus alteretur & imbuatur. Aſſerit ZWELFFERUS, quod Caponibus & pullis Gallinaceis ſerpentibus ſaginatis ad multorum invidiam, virorum autem Principum ac Magnatum ſatisfactionem, quorum ſeniles artus fovebat, languentem virilitatem expergefecerit, adeo quidem, ut non tantum iis fercula deſignarit capones ſaginatos, ſed etiam pulveres, eſſentias & ſalem ex ſerpentibus diverſimode paratum imo etiam Vina ipſa, virtutibus eorum artificioſe imbuta, felici ſucceſſu epotanda præbuerit, cujus ſchema & exemplar, Vini ſcilicet ex ſerpentibus infuſis ſubjungit. Accipiebat viginti aut complures ſerpentes, reſectis capitibus caudis & inutilibus, quos prius mundatos, jungendo corda & jecinora, vivos adhuc immergebat Vini menſuris decem circiter, ac in eo ſinebat emori, facta poſtmodum una ebullitione aut

dia-

diaria infuſione in vaſe vitreo , colatum & filtratum Vinum, in urnam alteram Vini boni infundebat, de quo ſingulis quibusvis paſtibus cyathum unum ebibere licuit, magno emolumento.

Serpentes loco Viperarum utique ſubſtitui poſſunt cum toti ſint diaphoretici, & alexipharmaci, & multorum morborum ſaluberrima Medicina, unde eſt quod & pulvis ſerpentum vocetur Bezoardicum Animale æque ac Pulvis Viperarum.

Præſtant ſerpentes collecti initio Veris cum ſenectam deponunt, non tamen ſtatim ab egreſſu e latibulis hybernis, nec refert utrum maſculi ſumantur qui ſunt majores, an fœmellæ, modo ex montanis & locis ſalubrioribus, non vero paludoſis inſalubribus fuerint.

Pulveres ſerpentum tot compoſitionum circumferuntur, ut Agyrta fere quisque peculiare ſibi quippiam imaginetur. At quid opus eſt compoſitione, ut recte dicit SCHROEDERUS, nec enim corrigi ſerpentes exenterati opus habent, nec ſtimulari, ſatis enim fortis eorum vis, ſat tuta, carnoſa ſubſtantia (Cor, hepar, lingua, caro, oſſa,) ita ut absque ullo periculo remedia e Serpentibus deſumpta aſſumi poſſint.

Bezoardicum animale ſimplex.

Hoc ita a SCHROEDERO deſcribitur; Recipe Serpentem excoriatum (rejectis interaneis cauda & capite, ceremoniæ cauſa) lava & exſicca, hinc pulveriſa, una cum Spinæ vertebris, pulverem ſerva pro uſu: Doſis eſt ad ʒß ad ʒj.

Alii

Alii ſic præparant. ℞. Serpentes vivos (non exenteratos aut excoriatos) conjice in ollam ac tege operculo, torreque ad ignem lentum, ut omnis pinguedo & humiditas conſumatur (absque combuſtione tamen) poſtea redigantur in pulverem. Præfert autem SCHROEDERUS priorem.

ETTMULLERUS atque HOFFMANNUS ſequenti procedere jubent modo, ℞. Serpentes exenteratos diſciſſos (cum corde & jecinore) in fruſtula immittantur in Balneum Maris & per abſtractionem phlegmatis lente exſiccentur. Humiditas autem prolecta non tanquam inutilis rejicenda, dum in oculorum affectibus & ſcabie mira præſtat. Hoc modo exſiccati & pulveriſati Serpentes ſuo adhuc conſtant ſale volatili, quibus pro lubitu Myrrha, Camphora elæoſacchara Vegetabilium aliaque convenientia poſſunt addi. Pulvis hic eſt baſis plurimorum medicamentorum. Obſervetur quod, ubi aſſumpto pulvere bezoardico animali ex ſerpentibus, altero die velimus purgare difficilius ſequatur purgatio, quoniam pulvis bezoardicus vegetabilis reſiſtit veneno & malignitati purgantium ut docet ETTMULLERUS.

Bezoardicum Animale compoſitum.

℞. Pulu. ſerpent. ℥ij. Rad. Valerian. Angel. Pimpin. Herbæ Rutæ ana ʒj. M. f. pulvis doſis a ℈j. ad ℈ij. & ultra.

℞. Pulv. Serpent. partem unam, adde flor. ♃r. Myrrh. ana partem dimidiam. ☍ deſtill. angel. rutæ ana part. unam cum ☍ d. Cinam. & Lign. Rhod. q. ſ. pro ſcopo confortante.

SCHROEDERUS commendat Serpentes integros

combuſtos dicitque vim habere alexiteriam atque ſudoriferam, & dicit eſſe uſus præcipui intrinſecus in omnibus morbis venenatis ac malignis, quales ſunt peſtis, febris petechialis, febres & ſimiles. Reſpuunt autem hunc calcinationis modum ETTMULLERUS atque HOFFMANNUS tanquam inutilem. Verba ETTMULLERI ita ſe habent. Modus præparandi Serpentes per combuſtionem eſt rejiciendus, quoniam in combuſtione vis egregia, quæ conſiſtit in ſale volatile ex ſpiritu, exhalat; potius exſiccandi ſunt Serpentes, ut dictum eſt, & pulveriſandi. Externe tamen ex cineribus Serpentum parat unguentum ad Morphæam GESNERUS.

℞. Ciner. Serpent. combuſt. in olla nova & bene cooperta ℥ij. Lithargyr Galban. Ammon. Opoponac. in acet. diſſol. ana ʒv. Bulliant usque ad aceti conſumptionem & colentur, tunc adde Terebinth. ℥iij. Thur. Maſtich. Sarcoc. ana ℥iij. Croci ʒij. ducendo cum Spatula, donec infrigidetur.

Si placuerit, inquit SCHROEDERUS, CORDA SERPENTUM & JECINORA ſeorſim ſervare, ſecundum nonnullos Theſaurum Medicus obtinet pretioſiſſimum; Verum me hercle ſi quicquam peculiare a carne & oſſibus, quantum vires attinet, tibi inde perſuaſum habeas falleris. Falleris itidem ſi (quod communis fert opinio deglutitione pulveris ſerpentini vel & cordium recenter extractorum atque adhuc ſeſe moventium ab ictibus ſerpentum tutum te imagineris. Experto crede. Addit tamen hic HOFFMANNUS, quod in dyſenteria maligna nihil præſtantius ſit pulvere cordis & Epatis Serpentum adjectis Saniculæ rubræ Alpinæ radicibus; ZWELFFERUS porro dicit; nulli parti ineſſe virtutem alexipharmacam potiorem quam hiſce partibus

tibus : aſſerit inſuper multos Viros principes ac magnates corda viva e ſerpentibus recenter extracta devoraſſe, ut ſubſequente vitæ tempore venenorum eſſent certa antidotus, philtrorum quoque & incantamenti & quicquid faſcini Orcus habet, expertiſſimum amuletum : fides ſit penes Authorem. Porro Cor ſi mordeatur, aut alligetur, in odontalgia efficax perhibetur. Jecur qui deguſtaverit, ſi credere fas eſt, a nullo ſerpente tangetur.

VESICULA FELLEA a SCHROEDERO rejicitur, quia proxima eſt lacuna materiæ venenatæ ; Verum hoc non eſt probabile, inquit HOFFMANNUS : FEL enim non ſolum eſt alexipharmacum, ſed & contra partus difficultatem notabili cum effectu propinari certo conſtat. Imprimis ſi jecur exſiccatum addatur, in aqua Cinamomi miræ erit efficaciæ. FEL porro demorſos a cane rabido ſanat, & hæmorrhoidibus illitum opitulatur.

SANGUINEM Serpentum pallida prælabia rubicunda reddere, faciei inunctum ab omni macula ſervare, dentibus illitum gingivarum fœtorem auferre, ſunt qui perhibent.

AXUNGIA ſive PINGUEDO SERPENTIS, Schlangen-Schmaltz/ AXONGE ou GRAISSE de SERPENT, emollit ſtrumas, oculorum rubedini, maculis & exulcerationibus medetur, item ad ſcabies pertinaciores, luem veneream & lepram facit. In abundantia lactis certum adeps Serpentinus inunctus mamillis remedium. Podagricos quoque dolores mitigat.

℞. Axung. Human. ʒiß Axung. Serpent. ʒj. Axung. Gallin. gr. x. Styrac. calam. Gumm. Bdell. acet. ſolut. ana ʒß. ol. Verbaſc. Chamæm. cœrul. ana guttas. xxxiv. Terebinth. Venet. q. ſ. Miſc. f. empl. alut. induc. HANNEMAN-

MANNUS hoc Viro Juveni nuptias ſequenti die adituro præſcripſit, ſic ut non ſolum nuptiis intereſſe ſed & choreas ducere potuerit absque noxa.

Serpens ſi filo ſuſpendatur & ſuffocetur, funiculus ille in angina & apoſtematibus faucium valet.

Singulare dicunt eſſe experimentum, ſi Serpentibus ſuſpenſis evellatur lingua, carbunculis peſtilentialibus imponatur, quod venenum mire attrahere (uti loquuntur) ſoleat.

Peculiare omnino eſt de univerſa Serpentum familia, quod bis ſingulis annis ſua ſpolia deponant, vere ſcilicet & autumno, intra quod tempus ægrotant ſæpius plus minus graviter, usque donec prioribus dejectis exuviis cute omnino nitida aut glabra denuo inveſtita appareant. Id omnino curioſum obſervatur in his exuviis, quod etiam oculorum tunicæ ſeu integumenta externa ſimul cum reliqua cute removeantur, adeo ut dictæ exuviæ primo intuitu totum ſerpentem ſatis eleganti facie exhibeant ac ſiſtant. Inter duos lapides aut aliud ſimile exuere incipiunt, ab oculis primum detrahendo, ita ut occæcari videantur iis, qui rem non intelligunt, tum caput atque 24. horis tota exuitur a capite ad caudam, cute nova ſubtus renaſcente. Eo autem, ut WORMIUS in Muſeo loquitur, modo id contingere volunt, quo quaſi Elephantiaſi laborantibus cutis a corrupti humoris vaporibus ſiccetur & elevetur. Sunt qui hoc ab interno principio oriri negant, ſtatuentes ſordes potius quam pellem detrahi: verum hos redarguit ipſa autoptica experientia. Cauſa juxta HOFFMANNUM eſt alimentum balſamicum, quod Veris tempore elevatum ad ſe trahunt, quo ſatis refecti & inſtaurati non ſolum vim acquirunt & facultatem ſpolia ſua ſtato tempore exuendi, ſe-

ſeque renovandi , ſed ob exuberáns illud balſamum inſtar Medicinæ Uuiverſalis ad corpus quavis ex parte vitioſum emendandum & alexiteria vi balſami hujus copia præſentiſſima debellendi venena.

EXUVIÆ modo dictæ vocantur etiam SPOLIUM SERPENTIS, SENECTA ANGUIUM, VERNATIO, quod exuvias ſemper Verno tempore (& quidem tantum ut quidam volunt) deponant ſerpentes. Ein Schlangen-Balg/ PEAU DE SERPENT, DEPOUILLE de Serpent. Uuſus harum exuviarum eſt adverſus partum difficilem, ſi ventri & lumbis alligentur, uti nimirum (dicente LANGIO) partus dolorum cauſa fuit ſerpens ſeductrix protoplaſtarum ita quoque Deum optimum & ſumme miſericordem in ipſis animalis hujus exuviis remedium , adverſus hoc moleſtiſſimum ac periculoſiſſimum ſymptoma poſuiſſe docent. Alopeciis quoque medentur ac pilos naſci faciunt ; inſigne nimirum balſamum animalibus his ineſſe augurantur ex hac cutis depoſitione authores, hinc cum pili ex defectu balſami nativi ſeu nutrimenti accomodati cadant, tali balſamo ſuccurri debere huic malo jubent. Commendatur etiam decoctum exuviarum adverſus odontalgiam in gargariſmis; laudatur quoque adverſus impetiginem , item ad anginam & tumores glandularum colli ſub forma gargariſmatis. Laudatur etiam ut diureticum , hinc pulvis hicce in Hydrope & urinæ obſtructionibus aliis propinatur. Ingreditur pulverem ſpecificum MICHAELIS contra hydropem, ex Lapidis fulminaris ℥iv. & exuviar: Serpentum ℥ß. conſtantem. Cocta hæc vernatio ſi Oculis affricetur, claritatem iis conciliat. Cocta in vino aurium doloribus auxiliatur, in aceto fervefacta dentium doloribus medetur , cum cera miſta celerrime dentes evellere ſcribunt , phthiriaſin prohibet , ad co-

colicam, dyſenteriam, tenesmum decoquunt & applicant. Canis rabidi morſum impoſita curare fertur. Exuviæ ſerpentum pulveriſatæ, ut docet ETTMULLERUS, mixtæ cum pulvere cancrorum fluviatilium, mire conveniunt in vulneribus nervorum: quod ſi quis fuerit diſſectus inſperſo pulvere ſubito concreſcit & conſolidatur; quod etiam de tendinibus & aliis verum eſt. Item ſi pulvis exuviarum inſpergatur in vulnus recens intra triduum illud curare dicitur.

Tandem de Serpentibus adhuc illud notandum eſt, quod ex iis æque ac Viperis extrahi facile poſſit SAL VOLATILE, SPIRITUS atque ESSENTIA. Quanta autem copia Salis volatilis ſerpentum pro ſale volatili Viperarum venditetur, experientia quotidiana docet. Cæterum hæc remedia iisdem gaudent virtutibus cum Viperinis.

HIPPENTERA.

Sunt fimus caballinus equorum fœno & avena nutritorum, præſertim integrorum & non caſtratorum, coloris & foetoris ſpecifici.

ἱππέντερα, HIPPENTERA, quæ ſunt ea, quæ ex inteſtinis Equorum emittuntur, FIMUS CABALLINUS, STERCUS EQUORUM, Roß-Dreck / Roß-Bullen / EXCREMENT OU FIANTE DE CHEVAL.

Αἰγιθατὸς,

Stercus equi, verba ſunt ETTMULLERI, recens, eſt medicina magni & multi uſus, cujus vires ſunt ſingulariſſimæ, imprimis ex mare non caſtrato, von einem jungen und ſtarckem Hengſt / quod interne non tantum in ſanguine

com-

compeſcendo adhibetur, ſi ſuccus ex ſtercore recenti exprimatur, ſed etiam præterea ad colicam convulſivam, paſſionem hyſtericam, pleuritidem, icterum, morbillos & variolas egregium eſt remedium utut multis nauſeoſum. In colica experimentum eſt certiſſimum ſi recipiatur ſtercus equinum maris non caſtrati recens, ſubigatur cum hauſtu vini vel cereviſiæ vel quocunque liquore, bene exprimatur ſuccus, coletur per linteum & hauſtum egregium erit remedium expectando ſudorem. Vnde etiam ſunt, qui dicunt quod ex hoc ſtercore ſit paratus Syrupus Lutheri, qui eſt ſingularis in colica: in hyſterica paſſione idem ejus uſus eſt; & vix habetur præſentaneum magis remedium quam ſtercus Equinum. Ipſe ego, qui ex authoribus talia de medicaminum virtutibus compilo, teſtimonium ferre queo, de egregia ſtercoris equini in expugnandis doloribus colicis efficacia.

Redibam cum amicis ex acidulis trans rhenum in Valle Petrina ſitis. In diverſorio ab his aquis milliari fere diſtante, reperiebam hominem humi ſe circumvolutantem & præ nimiis cruciatibus colicis mire ejulantem; Caupo & adſtantes aſſeverabant, ſe multa incaſſum exhibuiſſe, Spiritum Vini Simplicem compoſitum & carminativum, imo aquam hyſtericam, juſcula inſuper varia carminantibus condita, & quæ erant alia. Cum nihil ſupererat & neſcio cur hujus ſtercoris immemor perſuaſi homini, ut nobiſcum ad oppidulum Oberkirch milliari adhuc diſtans proficiſceretur, ſperans in officina Pharmaceutica talia reperturum remedia, quibus enormitas dolorum compeſci poſſet. Aſt cum & hic ſpes decollata eſſet, Medicis, qui in conſortio erant, propono me ex officina ſtercoraria opem laturum homini, præ nimiis torminibus quorſum ſe verteret, neſcio. Jubeo pa-

parari ex recentibus globulis ſtercorariis equinis ſucco bene adhuc turgidis cum juſculo carnium juſculum bene ſaturatum beneque expreſſum. Haurit æger acriter libram unam ſemis ad libras duas, ſe lecto comittit ex præcepto bene tectus & ſudore correptus omni liberatur dolore. Poſt horam nos accedens gratias egit maximas, ſed ſtercoris equini fœtore ita halitu ſuo replet conclave, ut credidiſſes te ex ipſis equis merdantibus hunc percipere odorem: aſſeverabat interim æger ſaporis hoc decoctum non eſſe multum ingrati, & poſt aliquod tempus conteſtatus eſt, ſe non amplius excruciatum fuiſſe. Notandum autem hic, quod colica iſta contracta fuerit ex aſſumtione fructuum horræorum acetarii atque lautiori paulum acidularum hauſtu. Angli illud ſtercus ceu euporiſton uſitatiſſimum, adhibent in pleuritide, quam curat per ſudorem cito, tuto, & jucunde, ut rurſus ETTMULLERUS loquitur, ſi mox in principio ejus exhibeatur, imprimis ſi ſit ſtercus equi non caſtrati, id quod præ aliis commendatur in pleuritide. Quod autem de pleuritide dicitur, de omnibus inflammationibus partium internarum eſt intelligendum: nec vulgaris eſt uſus in angina idem ſtercus, quod imprimis convenit, ſi ſit paſtum animal avena: ab hoc ipſo enim obtinet virtutem diſcuſſivam & per ſudorem curat: in angina certe ſtercus equinum non cedit ſtercori hirundinum & canis. In peſte laudatur a DU HAMEL. In variolis uſus obtinet, ut infantibus æque ac adultis infundatur nodulus ſtercoris equini in cereviſiam vel potum ordinarium, ut eruptio variolarum promoveatur & fauces ab iis defendantur, quod alias, ſi affligantur variolis, ſolet eſſe caſus periculoſiſſimus. Bina tamen ſunt ſtercora, quæ huic in quibusdam caſibus præferuntur: in variolis nempe ſtercus ovillum,

lum, tritum cum hauſtu potus ordinarii, colatum & propinatum; in morbillis optimum eſt caprillum. Equinum interim non minus laudatur propter vim nitroſam volatilem. Hinc in ictero flavo pro correctione bilis nimia pinguedine & acuenda eadem admodum commendatur. In ſtranguria notum eſt remedium, quod ſubito etiam externe contumaciſſimam curat. Externe adhibetur eodem authore in hæmorrhagiis, ſi ex illo fiat cataplasma cum aceto, & applicetur parti, ubi effluit ſanguis: alii volunt, quod ſtercus equinum ſiccetur, ſiccatum pulveriſetur, & pulveriſatum aſpergatur ſanguini effluenti; ſic enim inſtar pulveris ſympathetici ſanguinem ſiſtere dicunt. Valde confert in diſcutienda inflammatione faucium vel oris. Hæcce ETTMULLERUS, excepta propria, quam interpolavi, obſervatione.

Videbimus jam quid ZWINGERUS MED. Dr. & PROF. BASILEENSIS SENIOR & cum eo aut potius ex eo MIEG itidem BASILEENSIS in DISSERTATIONE de PLANTIS NASTURCINIS, quam ſub prioris præſidio propugnavit, de his Hippenteris dicant: verba ita ſeſe habent. Omnium efficaciſſima deprehenditur aqua illa, quæ ex fimo caballino Naſturcinis plantis recentibus ſucculentis permixto hic Baſileæ fere primum ante viginti annos deſtillari & ab eo tempore in uſum multiplicem trahi conſuevit. Deſtillatum proinde Hippenterorum vel deſtillatum Equinum vocata, quam, ſi cum aliquibus Schweitzer-Roſſoli Germanice nuncupare velis, per authores ſupra dictos licebit. Ea autem ſequenti modo quam optime paratur.

℞. Herbar. recent. Naſturt. aquat. Cochl. Beccab. Trifol. fibrin. Cerefol. ana ℔ß. Raphani Ruſtic. Apii hortens: ana rec. ℥vj. Inciſis & contuſis affunde aquam vel vinum ad quant. ſuffic. digere per diem & noctem, dein adde bolorum fimi ca-

balli, avena probe nutriti rec. libr. iij. & ſtatim conſueto more in Mar. Baln. e cucurbita ſtannea non autem cuprea deſtilla, & aquam deſtillatam in vitris prope clauſis ad uſum aſſerva. Quæ hinc, cum diutius vires ſuas integras non conſervet, cito eſt haurienda ab illis, qui ea indigere videntur. Quod ſi una vel altera illarum plantarum non ſuppetat, reliquæ in majori doſi aſſumi poterunt, ita ut per integri propemodum anni tempus recens aqua hæc deſtillari & haberi ſoleat. Subſtituere quoque licet alias plantas antiſcorbuticas pro lubitu. Ita primo vere Chelidonium etiam minus, atque Ari folia, alio tempore etiam Chelidonium majus, Apium Macedonicum ſive paludapium hortenſe Selinum, Plantaginem aquaticam, Piperitidem, Cardaminem, Fumariam, aut alias efficaces ſucculentas herbas jungere licet. Sunt etiam, qui ad gratiam Pomum Aurantiorum recens cum cortice diſciſſum herbis deſtillandis permiſcent. Tantarum vero hæc aqua virium exiſtit, ut omnes Solares Lunaresque tincturas, Panacæas omnes, Aura quævis potabilia, ſexcenta alia Nugivendulorum Medicaſtrorum & Circumforaneorum arcana, Medicinasque univerſales ſua plurimum efficacia ſuperet, atque in difficilibus multis affectibus, morbisque diuturnis ſaluberrimum effectum præſtet. Turget autem illa ſive gaudet ſale volatili ſulphureo blando, naturæ corporis humani amiciſſimo; penetrante ſatis, viſciditatem ſanguineæ maſſæ incidente & attenuante, obſtructiones viſcerum glanduloſorum reſerante, aciditatem humorum edulcorante, acrimoniam qualemcunque demulcente, elaſticam denique ſuccorum vitalium energiam, atque tubulorum membranaceo tendinoſorum & nervoſorum contractilem vim ſive tonum reſtituente, ſtomachici liquoris debilitatam vim corroborante, denique ſcorbuticam quamvis humoralis maſſæ intemperiem corrigente. Hinc etiam in

omnivariis humani corporis ægritudinibus felici cum ſucceſſu uſurpatur, modo diligenter quis eam haurire, minimeque faſtidire, ac inſimul accuratum diætæ regimen obſervare voluerit. Doſis ejus eſt ad ℥ij. vel ℥iij. mane ac veſperi.

Ut autem ſupra dicti Baſileenſes, ſuum remedium magis confirment, varias obſervationes de ejus efficacia in ſcenam producunt. Et primo quidem prodit Medicus, qui ipſemet eſt ZWINGERUS, arthritidem vagam in ſuo proprio corpore curans cum infuſo fimi Caballini cum herbis Naſturcinis in juſculo vel aliqua aqua diaphoretica parato, atque ejus tres uncias quotidie mane ac veſperi non ſine fructu aſſumpto; continuavitque per triduum atque interea ſanguinem ſimul per venæſectionem in bracchio inſtitutam, terque octidui ſpatio repetitam ad ſex circiter uncias extraxit, albicante viſcoſa tenaci cruſta, ſicut in pleuritide obtectum. Infuſum autem mane & veſperi recenter fieri hunc in modum curavit.

℞. Bolor. fimi caballin. num. iij. Herb. rec. Naſturt. aquat. Cochlear. Apii ſelini, Chærophyll. ana p. j. Inciſis affunde Aqu. Scabios. ℥iij. ſtent in digeſtione per dimidiam horam in loco tepido poſtea exprime ſuccum & una vice aſſume, fruſtum ſacchari vel corticis Aurant: condit. aut quid aliud jucundum in ore tenendo. Cum autem infuſum iſtud Hippenterorum utcunque valde efficax & excellens, nihilominus non tam ſapore, quam odore admodum fœtente, totumque cubiculum implente faſtidioſum ægrotantibus & adſtantibus evaderet, deſtillari curavit aquam ſupra dictam Hippenterorum eamque per quindecim dies mane ac veſperi ad tres uncias bibit, interea juſcula carnea quam optima hauſit, aliaque bona alimenta, urgente poſt octi-

octidui ſpatium appetitu aſſumſit, pro potu ordinario autem decoctum rad. Caryophyll. Fragar. Filic. Chin. Liqu. Lign. Saſſafras & ſem Fœnic. bibit. Extus nonniſi lintea calentia pelleſque felinæ & leporinæ membris dolentibus applicatæ; ſudor quandoque ſpontaneus emanabat, probe dein abſterſus, ſicque æger intra viginti dierum ſpatium a febri lenta, æque ac arthritide vaga fuit liberatus, poſteaque ſanitatem perfectam una cum priſtino corporis habitu ἐυσάρκω recuperavit, & ab eo tempore diu incolumis manſit. Notandum autem ægrotantem hunc per integram hyemem febricula lenta decubuiſſe, totum pallidum manſiſſe, ſed nulla tamen interiorum viſcerum exulceratione, aut labe ſcirrhoſa, neque etiam tuſſi aut dyſpnoea laboraſſe. Eädem methodo modo dictus ZWINGERUS, pharmacopoeum valde obeſum, ſpituitoſo ſanguine repletum, eodem vagæ arthritidis morbo laborantem atque graviter admodum excruciatum, trium ſeptimanarum ſpatio integræ ſanitati reſtituit. Plures deinde eodem modo curatos fuiſſe teſtantur.

In colica paſſione, ſive flatulenta ea fuerit, ſive humoroſa perquam utilis eſt etiam aqua Hippenterorum, ſi adulto quidem tres quotidie uncias mane ac veſperi, adoleſcenti autem unam cum dimidia vel duas uncias propinaveris, addito, ſi placuerit, cochleari pleno Aquæ Pulegii vel Menthæ, vel Meliſſæ aut Matricariæ, cum tantillo ſaccharo, vel Elæoſaccharo Aurantiorum, Aniſi, Fœniculi aut Carvi, vel additis interdum ſimul, non qualibet vice granis aliquot Theriacæ cœleſtis aut guttulis quibusdam Eſſentiæ Opii liquidæ.

In

In peripneumonia, pleuroperipneumonia ac Pleuritide ſive ſpuria, ſive exquiſita, infuſum quandoque ſolum Hippenterorum cum vel ſine herbis Naſturcinis in aqua fontana, aut Scabioſæ, Cardui Benedicti, vel ſimili factum, expreſſumque ad tres plus minus uncias pluries exhibitum; vel deſtillatum equinum tèr quotidie ad ℥iij. hauſtum, cum vel ſine dentis Aprini aut Mandibulæ Lucii piſcis ʒß. feliciter admodum dolorem pungitivum, viſcidam pleuræ pituitam incidendo ac reſolvendo, prompte mitigat, atque inflammationem diſcutit.

In Nephritide ac dyſuria porro ad mucum ſabulumque renum blande incidendum atque detergendum, ſicque diureſin promovendam efficaciter idem Hippenterorum deſtillatum operatur, diligenter per aliquot hebdomadas quotidie doſi ſupra dicta hauſtum.

Fœmina paſſione Hyſterica multoties afflicta per menſis unius ſpatium aquam Hippenterorum cum plantis naſturcinis atque Pulegio & Meliſſa deſtillatis ſemel quotidie ad ℥ij. circiter, additis aliquot Eſſentiæ Caſtorei guttulis, verno tempore ſumſit, atque ſubſequente æſtate balneo minerali per tres hebdomadas uſa fuit, tanta cum euphoria, ut poſtea eam paſſionem rariſſime & ſine ulla vehementia experiretur amplius.

Matrona honeſta annum ætatis 79. jam ingreſſa, macilenta, propter varias, quibus affligebatur calamitates domeſticas, frequenteſque animi commotiones vehementiores, in febrim incidit continuam cum oris amarore, ſiti, anorexia, pulſu celeri, frequenti, pectoris anxietate, laſſi-

tudine, agrypnia, urina pauca lixivioſa, atque tanta reſpirandi difficultate, ut in lecto accumbere neſciret ſine metu ſuffocationis, unde poſt paucorum dierum intervallum pedes ſimul intumeſcere incipiebant, ſignaque varia inſtantis hydropis pectoris & aſcites ſeſe manifeſtabant. In hoc itaque caſu cum vomitorium exhibitum levamen nullum ſymptomatum procuraret, deſtillatum Hippenterorum quotidie mane ac veſperi ad duas cum dimidia uncias, addita ℥ß. ſyrup. de 5. radic. & injectis ſimul decem guttulis Spirit. Sal Armon. anis: fuit propinatum, cujus uſu per triduum continuando, jam manifeſte ſymptomata mitigari cœperunt, ita ut in lecto deinceps permanere potuerit: ulterius vero usque ad duodecimum diem aſſumptum idem remedium omnia ſymptomata profligavit, ita ut poſtea, cum appetitus rediiſſet, ſolo tragematis ſtomachalis & infuſi fol: Sennæ laxantis uſu perfectam recuperaverit ſanitatem.

In Ictero, Chloroſi, Cachexia, Leucophlegmatia & Anaſarca, poſt corpus per inferiora aliquoties purgatum apud multos idem deſtillatum multum profuit, per aliquot ſeptimanas quotidie bis aſſumptum ſequenti modo.

℞. Deſtillati Equin. cum vino parati ℔ij. Aqu. fumar. Meliſſ. Puleg. ana ℥j. Spirit. Cochlear. Tinct. Antim. ana ʒj. Sacch. penid. ℥ij. Mſc. deſtill. ad vitr. Doſis unciæ duæ. Vidimus inquit ZWINGERUS hac methodo curatos, quibus multa alia remedia ſine ſucceſſu exhibita fuerunt.

In febri lenta atque Hectica imò & in illa corporis diſpoſitione, quæ ad frequentes inclinat febres ephemeras & ex-

exanthematicas remedium optimum deprehenſum eſt, Aqua Hippenterorum compoſita, aliquandiu uſurpata, utpote cujus efficacia ſemper fuit magna in depuranda tota maſſa humorali, expediendis ſecretionibus Meſenterii, Pancreatis, Hepatis, Renum, Uteri, quamobrem in ſcirrho talium viſcerum incipiente, indeque dependente atrophia, non ſecus atque in omni Lymphæ viſciditate felicem perpetim operationem præſtitit: dummodo morbi non fuerint inveterati, profundiusque radicati.

Scorbuticam præprimis intemperiem in quamplurimis diuturno iſtius aquæ uſu, intermixtis tamen etiam pulveribus diaphoreticis, edulcorantibus, martialibus, jovialibus ac ſimilibus valde correctam fuiſſe, talemque poſtea obſervatis exacte regulis diæteticis manſiſſe, probe obſervatum fuit, unde in ſymptomatibus omnibus a ſcorbuto dependentibus egregium quoque levamen affert; quemadmodum ſunt dolores rheumatici variarum partium, Hemicrania, maculæ & puſtulæ cutaneæ diverſicolores, Ephelides, contracturæ aliaque.

Qui de anorexia, dyſorexia, apepſia, dyſpepſia vel Bradypepſia conqueruntur interdum ægri, non ſecus atque de cardialgia, ſtomachi gravante dolore, illi utplurimum ope hujus deſtillati ſanitatem priſtinam recuperarunt, modo per aliquam dierum ſeriem haurire voluerint.

In epilepſia atque convulſionibus puerorum & adultorum, tam in paroxyſmo, quam extra paroxyſmum propinata hæc aqua fermentum ſpasmodicum ſæpius deſtruxit, irritatumque genus nervoſum ſopire conſuevit. In paroxyſmo, v gr.

℞. Aq.

℞. Aqu. Hippenter. ℥iij. Semperv. maj. ʒvj. Syrup. de Pœon. ʒj. Ung. Alc. pp. Diaphor. Jovial. ana ℈j. Cinnab. Antim. rectif. gr. xv. Mſc. deſtill. ad vitr. exhibeatur ſæpius cochleatim. Si ſpasmi fuerint vehementes admodum ac diuturni, tum anodynum quoddam addes v. gr.

℞. Aqu. Hippenter. ℥iij. Aqu. poeon. Lavend. Scab. Syrup. de Beton. ana ʒvj. Liquor. C. C. ſuccin Eſſent. Succ. ana ʒj. Specif. cephal. Mich. ʒß. Theriac. cœleſt. gr. v. Mſc. deſtill. ad vitr. ſingulis trihoriis unum vel alterum cochleare plenum exhibeatur. vel

℞. Deſtill. Equin. ℥jv. Aqu. meliſſ. ʒvj. Sacch. Cand. alb. ℥j. Eſſent. Caſtor. ℈j. Tinct. Croci ℈ß. Cinn. antim. rectif. Cran. human. pp. ana ℈j. Theriac. cœleſt. gr. jv. Mſc. deſtill. ad vitr. exhibeatur cochleatim.

Extra paroxyſmum Aqua Hippenterorum mane & veſperi per longum tempus ad uncias duas cum tantillo ſacch. Cand. rubr. granis iij. Sal. volat. C. C. aut Viper. atque Eboris pp. ʒß. concedi poteſt.

In tuſſi tandem, raucedine, catarrhisque pectoralibus, lymphæ naturalem conſiſtentiam, craſin dulcedinem atque motum reſtituit Aqua Hippenterorum ad ℥j. ſingulis fere trihoriis cum Diacodio Montani, vel ſyrupo de Jujubis, Lichene petræo aliove pectorali hauſta.

Lubuit hæc in gratiam curioſorum non ſolum ſed & ægrotorum paulo prolixius hic ex ZWINGERO allegare.

PARUS

PARUS.

Eſt avicula ſatis cognita toto anno quidem reperiunda, ſed imprimis ſub finem æſtatis & autumno frequentiſſima occurrens, aſpectus non injucundi.

Ca-

Αἰγιθαλὸς, Ægithalus, ab impetu quo volando utitur, PARUS PARIX, PARULA, FRINGILLAGO, eine Meiß/ Meyß/ Meiße/ MESANGE.

ARISTOTELES tres tantummodo Parorum ſpecies habet, ſed plures utique occurrunt.

PARUS MAJOR, Αἰγίθαλος σπιζίας, καὶ σπιζίτης, qui, quod Fringillam magnitudine æquet, FRINGILLAGO dicitur. Kohl-oder Brand-Meyß a vertice capitis nigro, ein Spiegel-Meiß/ ein groſſe Meyß/ CHARBONNIERS. Maximus eſt omnium & coloribus elegantiſſime variat. Roſtrum ei rectum rotundum, acutum. Pedes fuſci. Caput corvino nigrore ſplendet, qui per latera colli deſcendens protenditur. Tempora & oculorum ambitus albent. Dorſum ſubviridis eſt coloris. Pectus & venter flavi, quem tamen medium linea nigra in longum ducta ſecat. Alæ partim ſunt cyanei coloris, partim ſubnigræ, partim albidæ. Cauda bifida, partim cinerea, partim nigra, cujus extremæ utrinque pennæ duæ exteriori parte candicant. Lingua fiſſa eſt.

Delectatur ſemine Cannabis, Papavere, nucibus juglandibus & ſevo. In hypocauſtis alitur, in quibus aliquando ova parit. Manſueſcit, ut etiam ſponte nuce porrecta advolet.

PARUS CAUDATUS, Αἰγιθαλὸς ὀρεινὸς, ἢ ἀνόνυμος, PARUS MONTICOLA, Berg-Meyß/ Swantz-Meiß. Minor eſt antecedenti at non omnium reliquorum minimus. Roſtellum fuſcum, craſſiuſculum, brevius; acutum tamen & rotundum. Pedunculi nigri. Collum ſupinum ad dorſum atrum eſt, prone a roſtro ad ventrem usque candicat, intercurrentibus lineolis exiguis, deorſum deſcendentibus, nigricantibus. Vertex & genæ nivei coloris. Venter ad Ca-

ſtaneum vergit. Circa uropygium albet. Dorſum purpuraſcit, remigibus nigris in extremitate albicantibus. Cauda longiſſima nigra, utrinque extremis pennis media parte candidis. Montana loca frequentat, vermibus, araneis aliisque animalculis in cibo fruitur; raro ad plana deſcendit. Inquieta eſt & certo loco reſidere neſcit, modo hanc modo illam arborem petens. Vox ejus Guikeg, Guikeg, Guikeg, uti SCHWENCKFELDT exprimit.

PARUS COERULEUS, PARULUS COERULEUS, cui vertex capitis cœruleus, ein Blaumeiß/ Blaumeißlin/ Meelmeiß/ Bimpelmeiß. Exiguus eſt admodum, paulo major Regulo, vertice & cauda cæruleis ſeu azureis decoris. Roſtellum breve, craſſiuſculum, fuſcum. Pedunculi glauci ſeu ſubcœrulei. Dorſum totum cinereo advireſcente ornatum colore. Pectus ſupremum flaveſcit, venter infimus albicat, radicibus plumularum nigris, alæ dilutæ cæruleæ, in medio lineam candidam transverſim ductam obtinent. Cœruleus capitis verticem alba linea totum caput cingens claudit, ad oculorum Canthum minorem ubique protenſa. Collum medium alba nota maiuſcula tingitur. Hæc avicula præſertim in montanis, quovis anni tempore, licet autumno copioſior, apparet.

PARUS PALUSTRIS, PARUS FUSCUS, PARUS CINEREUS, ein Kotmeiß/ ein Muhr und Riethmeiß/ ein Graumeiß/ ein Aſchmeiß. Ein Muhr und Kothmeiß appellatur quia circa coenum & paludes utplurimum circa Saliceta habitat. Paulo minor eſt cœruleo; corpore fuſco ad cinereum vergente. Caput prorſus nigrum utrinque candicans. Pectus & venter albicant. Nigra ſunt cauda & dorſum, cui nonnihil rufi admixtum. Cruſcula fuſca ſubrubentia.

PARUS ATER, PARUS CARBONARIUS MINOR, PARUS CANINUS, eine Hundsmeiße/ kleine Kohlmeyß. Subflavens macula ei infra oculos & alia in Occipitio, reliquum caput atrum. Venter pallide flaveſcit. Dorſum fuſcum ut & alæ, at maculis candicantibus reſperſæ. Roſtellum paulo longius, quam cœrulei ex nigro ſplendet. Cruſcula glauci coloris. Paſſim occurrit in ſylvis & hortis.

PARUS CRISTATUS, ein Kobelmeiß/ ein Straußmeiß ein Haubelmeiß/ ein Heidenmeiß. Paulo major eſt atro. Vertex ei niger, punctis albis adornatus, criſta retro extenſa. Dorſum cum cauda fuſcum,

pe-

pectore albo, cruſculis cinereis. Gregatim volat & autumno in montibus frequenter capitur.

Apud nos, inquit SEBIZIUS, ſub initium Octobris frequentiſſimi ſunt Pari majores, quos Brandmeiſſen appellitant, & minores qui cœrulei Blaumeiſſen dicti, ut & Pari paluſtres, die Kothmeiſſen.

Parus ova parit plurima. Injuriam apibus infert. Avis eſt animoſa, præſertim major illa, quæ Brandmeiß appellatur; cui non cedit animoſitate, die Blaumeiß/ quæ quandoque animoſior exiſtit. Strenue ſe defendit pro ratione corporis ſui. Volat gregatim & impetuoſe. Degit plerumque in arboribus easque ſæpe mutat. Aliquando humidioribus inſidet ſtirpibus. Quandoque terram petit, granorũ cannabis gratia, ſed ſtatim rurſus evolat. Nidificat vel in cavis arborum vel nidos parat pendulos in arboribus. Veſcitur vermiculis, apibus, ſemine cannabino, nucibus juglandibus, quas acumine & duritie roſtri perforat. Veſcitur & muſcis quarum cauſa a quibusdam hyberno tempore alitur in conclavibus. Turmatim advolant pari ſub initium Autumni & toto Autumno. Stulta eſt avis, ut Luſcinia, facileque capitur. Curioſa enim exiſtit, & mox ad illum locum redit, a quo auceps abiit. Decipulis variis, & imprimis cum Noctua capitur. Unguibus facile, ubi volant, adhærere poſſunt, ita ut nucem e filo illis ſuſpenſam adhæreſcentes comedant. Tinnire per noctem AUCTOR PHILOMELÆ ſcribit.

ALAUDA,

Capiuntur PARI a pueris magna in copia voluptatis non utilitatis gratia. Veniunt quidem, ſed raro in uſum cibarium, & cum aviculis aliis in culinis præparantur ad eſcam, non lautioris fortunæ hominum, ſed plerumque tenuioris. Adverſus renum calculos, & colicos cruciatus efficax a nonnullis deprædicatur, ſive in cibo ſive in cinere exhibitus. Aſpectus icterum curare fertur. Fides ſit penes Authorem.

SANGUIS ALAUDÆ.

Eſt Alaudæ tam campeſtris quam ſylveſtris ſanguis.

CARNEM

ALAUDA, κόρυς, κόρυδος, κορυδαλὶς ἀπὸ τῆς κόρυθος a galea ſive galea ſive Caſſide denominatur. Eſt enim alauda juxta ARISTOTELEM duplex, una criſtata PLINIO GALERITA, quod apicem criſtatum, qui galeam ſive caſſidem refert, in capite habeat, a qua etiam CASSITA, GALERITA & CORYDALUS nuncupatur. Juxta alios ALAUDA dicitur a laude, quod nimirum Deum laudare videatur cantu ſuo. Hanc enim ſepties quotidie in altum evolare, ſuoque Creatori hymnum canere veteres finxerunt; vel quod ipſa digna ſit laude, mira alacritate pennis in aërem exertis, muſicam & canoram ſe declarans. Germanis ein Lerch/ Gallis ALOUETTE audit.

Avis eſt puſilla, cinerea, canora, nulli non cognita, cujus aliquot obſervantur differentiæ.

ALAUDA VERTICE PLANO, κορυδαλὸς ᾠδικὸς, κορύδαλος ἀγελαῖος κορύδαλος ἔυπτερος, ALAUDA SINE CRISTA, ALAUDA NON CRISTATA, ALAUDA COELIPETA, ALAUDA TERRENA, ein Sang-Lerch quod cantu criſtatæ præferatur, Feld-Lerch/ groſſe Lerch/ Himmel-Lerch/ quod in ſublime extra oculi captum ſeſe abdat, longioremque moram in eo trahendo cantillet. Avis paſſere major, palmos ij. s. longa, cinerea, maculis fuſcis undique reſperſa, præter ventrem, qui albidus eſt, ad flavedinem tantillum inclinans. Roſtrum gracile rectum; pedes obſcure flavent unguiculis cornei coloris, quorum poſterior longiſſimus exiſtit; Cauda fuſca ex pennis duodecim condita, quarum binæ exteriores mediotenus candidæ ſunt. In campis & agris degit, ſeminibus cerealibus, & vermiculis veſcitur, nunquam in arboribus conſiſtit. Nidificat in terra inter ſegetes, ubi artificio magno ex radiculis herbarum aridis ſtipulisque nidum conſtruit.

Occu-

Occulit inflexo nidum ſibi gramine Alauda
Vulgo ajunt, pullos ſic fovet illa ſuos.

Parit ſemel in anno juxta SCHWENCKFELDT, quamvis alii ter parere aſſerant, id quod forſan in regionibus calidioribus contingit. Ova utplurimum quinque excludit; pullos fere implumes adhuc in agros ad paſtum educit. Mas ſuaviter cantillat, primaque avis, quæ cantu vernum tempus prænunciet. Mira alacritate pennis exertis in aëre vocis modulatione lætæ ſeneritati temporis quaſi applaudit. Nam nubilo pluviove cœlo vix aut nunquam canit, ut neque humi, ſed inter aſcendendum. Aſcendit autem paulatim, ſubito vero & inſtar lapidis deſcendens cantillat. Matutino vero potiſſimum tempore audiuntur, meridiano ſilent. TAUBMANNUS ita de cantu Alaudæ canit

Ecce ſuum tireli, tireli, tiretirlire tractim
Candida per vernum ludit alauda polum.

Hieme a nobis ad loca tepidiora recedit aliquandiu. Caveis incluſa nutritur milio & papaveris ſemine. Valde Muſica eſt & cantu ſuo antelucano diem annunciat: Gregalis eſt autumno maxime, ubi admodum pingueſcit & demeſſa ſegete tum diurnis tum nocturnis, capitur retibus.

ALAUDA CRISTATA, κορύδαλος ἐπίγειον ἢ λόφον ἔχων, ALAUDA CAPELLATA, CASSIDA, ALAUDA CRISTATA MAJOR, ALAUDA VIARUM, Häubel-Lerch/ Kobel-Lerch/ Weg-Lerch/ Kott-Lerch. Magnitudine & colore canoræ fere ſimilis. Dorſum cinereum albo maculatur, venter & pars alarum interior albicant. Cauda nigricat, exceptis geminis utrinque pennis quæ alarum colori reſpondent. Roſtrum ei longiuſculum acutum aliquantulum cavum & recurvũ, lingua exigua fere furcata. Ungues longiuſculi, æqualis magnitudinis. Verticem capitis exornat criſta, qua a canora diſtinguitur. Et hæc muſica eſt, ſed prior præfertur. In terra non in arboribus diverſatur nidificatque. Raro evolat & evecta altis ſtatim procumbit, neque

 altis

altis nec longis ſpatiis confectis. In viis ſæpe obvia, hyemis præſertim tempore, nec gregatim volat. MANTVANUS ita canit

Prole nova exultans galeaque inſignis alauda
Cantat & aſcendit, ductoque in aëra gyro,
Se levat in nubes, & carmine ſydera mulcet.

Alauda Arborea, κορυδὼν ἀγέλατος, ἀνώνυμος, Alauda Fera: Alauda Sylvatica, Alauda Cristata Minor, ein Heide-Lerch / Mittel-Lerch / Wald-Lerch / Stein-Lerch/ Minor eſt reliquis, colore totius corporis ſubfuſco. Criſtam habet, at cantiunculam nullam peculiarem edit, parte prona albicat & pedes ſubrubent. In ſylvoſis degit planis & eruca conſitis, ubi & nidificat. Hyeme aliquando ſecus itinera conſpicitur.

Et hæ ſunt frequentiores Alaudarum ſpecies, datur namque etiam Alauda maxima, quæ Calandra dicitur, item Alauda alba &c. Cæterum ARISTOTELES dicit avem quoque eſſe pulveratricem. Hyeme latent. Junconi eſſe amicam, inimicam iis avibus, quæ vocantur ποικιλίδες, perhibent. Averſari quoque dicuntur pellam ex ardearum genere, ejusque ova diripere. ALBERTUS M. & MATTHIOLUS referunt, accipitres alaudarios appellatos terrori eſſe alaudis: Has enim eos adeo expaveſcere, ut quo tutæ ſint ab illorum rapacitate, vel in hominum ſinus confugiant, vel locis ſuis maneant, vel in terra immotæ perſiſtant, & capi ſe ab aucupibus patiantur. Affici dicuntur epilepſia, & diutius in caveis detentas altero privari oculo perhibent.

Nobis in Alſatia, inquit SEBIZIUS, campeſtres & ſylvaticæ ſunt numeroſæ: præſertim tempore autumnali, quo pinguiores eſſe ſolent & circa Bacchanalia.

Cum ſuavitate & jucunditate cantus homines delectent, eo nomine captæ caveis includuntur, ſed neceſſum eſt ut ceſpiti inſiſtant. Non tamen omni tempore cantilenas ſuas exercent.

Flante auſtro marceſcunt, ſpirante aquilone pinguiores exiſtunt.

CARNEM habent ſapidiſſimam, delicatiſſimam & ob id omnium menſis expetitam. Facile digeritur, bonum gignit ſanguinem, probeque nutrit. Aſſantur in copia, elixantur quoque & non raro panificiis incruſtantur. Eliguntur autem præſertim juniores & pinguiores.

SAMONICUS inſinuat Galeritæ vires his verſibus:

Cum colon inviſum morbi genus intima carpit,
Mande Galeritam volucrem, quam nomine dicunt.

In eo quidem conſentiunt Medici, quod galerita comeſta proſit colicis, ſed in exhibendi modo diſſentiunt. GALENUS elixas cum jure aliquando aſſatas exhiberi jubet, inquiens: Galerita avis puſilla in jure ſimplici elixa colicos adjuvat, verum aſſidue eam comedere cum jure eſt neceſſe.

PLINIUS ait: quidam alaudas in vaſe cum plumis exuri jubent, conterique in cinerem, bibique ex aqua, cochlearibus ternis per quatriduum; ſic Colo & omnibus inteſtinorum doloribus incredibile exiſtere putant remedium. Inſuper alaudarum eſu hydropicos ſanari & curari nonnulli teſtantur. Alaudarum quoque jus aſſumptum ventriculo eſſe peculiare, urinamque ciere dicitur. Denique idem jus ventrem fluere facit.

COR Alaudæ præſertim criſtatæ femori alligatum arcere colicum dolorem ajunt; idem quoque de corde recenti devorato perhibent.

SANGUIS recens ex aceto acerrimo aut vino generoſo calido hauſtus calculoſis efficaciſſime ſubvenire fertur.

HOE-

HOEFERUS dicit quod carne alaudarum nephritidem evitaverit, unde ad calculum diſpoſitis poterit commendari.

SANGUIS ASINI.

Eſt ſanguis Aſini vel Aſinæ imprimis poſt aures Vere exceptus craſſus & niger.

Quod

ASINI vocem ISIDORUS derivat a ſedendo, quaſi aſſedum, animal quippe tardum eſt, & nulla ratione renitens, ſtatim ut vult homo, id ſibi ſubſternit. Alii abs Hebræa voce ASON, quæ ipſum ſignificat ASINUM deducunt, alii a Græco ἀσινὴς cum innocuum animal ſit; οἱ ὄνοι ἄγριοι ἀσινεῖς εἰσὶν agreſtes innocui ſunt, quanto magis domeſtici noſtri hujus indolis erunt? alii ab ἀσάινειν i. e. λυπεῖσθαι detorquent, cum ſit triſte brutum. Quidam ab α & σίνος, deſcendere faciunt, quod animal ſine ſenſu ſit. CHAMOR quoque dicitur a ruffo colore quia in Oriente aſini plerique rubent. Græci vocant ὄνον ab ὄνημι juvo. Eſt enim jumentum ſeu magnum adjutorium noſtrum. Cyrenenſes dixere βρικὸν ab iniquitate forſan; βρικοὶ enim ſunt πονηροὶ mali. Germanis dicitur ein Eſel / Gallis un ASNE.

Eſt autem, definiente PAULINI, (qui PECULIAREM DE ASINO TRACTATUM, ex quo potiſſimum hæc breviter excerpta ſunt, edidit) Aſinus brutum quadrupes idque rudens, laborioſum, ſed tardum, pigrum & ſtupidum, valde tamen utile.

Animal eſt rudens quod proprium aſini eſt, Gygacken. Ὀγκᾶται μόνος ὀκάνθων, ſolus Aſinus rudit, ideo Græce μεγαλομυκήτης dicitur, quaſi grande rudens. Oncat tamen potius quam rudit. Hoc enim teſte JOSEPHO SCALIGERO, etiam Leonum, Suum, & aliorum animalium eſt,

Quirritat Verres, turdus rudit, oncat Aſellus.

ait

ait AUTHOR PHILOMELÆ. Oncare tamen eſt ab ὀγκᾶν & ὀγκάσθαι rudere, praire comme un aſne.

Aſinos quoque rudere dicas,
Cum vis Arcadicum fingere Marce pecus.

ut loquitur AUSONIUS. Hæc autem rudendi vox (βρῶσις) Aſinabus negata eſt. Impropriè dicitur ab OVIDIO

Ut rudit a ſcabra turpis aſella mola.

Rudit poſt laborem, cum lætatur de re bene geſta. Rudit cum fœminam cernit & voce horrida blanditur. Et rudere non deſinit, etſi auro & argento exornetur.

Ferunt non rudere aſinum, ſi lapidem caudæ habeat alligatum, ſed nugæ ſunt.

Omnibus oneribus patienter dorſum ſupponit, facilem terram aratro proſcindit, nec minima pondere vehicula trahit, molarum & conficiendi frumenta pene ſolennis apud quosdam eſt hujus pecoris labor; omne rus tam neceſſarium deſiderat aſellum, qui pleraque utenſilia & vehere in urbem & reportare collo vel dorſo commode poteſt. Robuſtum inſuper eſt, ſeu animal valens oſſibus, penuriæ, famis, plagarum laborumque tolerantiſſimum: Sed tardum & pigrum, lente gradiens OVIDIO, βραδύπους, lentipes, νωθὴς pigrum, ignavum. Stupidum eſt imo omnium ſtupidiſſimum animal.

Valde tamen utile eſt animal vivum mortuumque ad ferendum onera, ad arandum, ad equitandum ſeu vehendos eos, qui iter faciunt ad trahendum currum, ad agitandam molam in piſtrino, quæ aſinaria dicitur &c.

Aſini dantur minores equo, dantur etiam æquales. Aſpectu Aſinus turpis eſt. Caput ejus grande eſt. Aures habet longas latasque, ob auditum acerrimum. Sic enim ſonum a longo etiam editum facile percipit; Sonos tamen non diſcernit, unde non tam ad voluptatem, quam ad neceſſitatem ſenſu hoc excellit. Naturale autem

aſino eſt auriculas ſubinde movere. Hinc cum refertur aliquid aſino adſtante, annuere videtur ob motum auricularum. Proverbium datur, ut inquit SPERLINGIUS in ZOOLOGIA, Aſinus Auriculam movens, de eo, qui, cum nihil intelligat, nutibus ita alludit, arridetque ac ſi probe teneret omnia. Aſinus habitat in auribus, man kennt den Eſel an den Ohren. Quas ſi demittat Aſinus, oſtendit, ſe ponderi haud eſſe parem. Si diu multumque eas motitet, pluviam præſagit, ut Aſtrologiam in auribus habere credas. Rationem hanc reddit PAULINI. Auſtri auditum hebetant, dicente COO, caputque gravant. Jam vero multa pituita in aſini capite, quæ, quia, componente ſe in pluvias aëre, hujusmodi animalia exagitare ſolet, idcirco calore absque motu conciliato, quicquid id eſt, attenuare & diſſipare, imo vero in ambientem aërem deponere imprimis nituntur. Dicunt quidam aſinum maſculum auribus abſciſſis ad Venerem poſtea tardiorem & tantum non impotentem fieri. Os ut venter caneſcit. Labia craſſa ſunt. Trigeſimo menſe priores dentes amittit, ſecundos autem ſexto. Et niſi a prima dentium mutatione generare incipiant, nunquam poſt generant, ſed ſteriles omnino perdurant. In collo & pedibus nigras quasdam lineas habet. Cutis dura, denſa ac ſolida, ut fuſtim vix ſentiat. Duri etiam in cute ſunt pili & lanificio inepti; hinc adagia: AB ASINO LANAM; AB ASINO LANAM QUÆRIS; & ASINUM TONDES. In tergo verſus caudam crucem portat nigram. In hoc difficilius onera ſuſtinet, quam juxta renes, quod illic oſſa minus robuſta habeat. Color Aſino gryſeus vel murinus noſtratibus præſertim eſt. Cauda eandem pene longitudinem habet, quam corpus. Cor habet magnum quod omnibus meticuloſis vulgo affingunt. Unum tantummodo Ventriculum poſſidet, ut Equus.

Boni Aſini notæ ſunt, ut ſit ampliſſimi corporis, cervice valida, robuſtis latisque coſtis, pectore muſculoſo & vaſto, feminibus lacertoſis, cruribus compactis & coloris ſplendide nigri, qui non incanum ventrem habet, ſed concolorem, cui pulla in ore macula & lingua nigricans.

Contentus eſt exiguo & qualicunque pabulo, herba, cum primis aſplenio, foliis, ſpinis, ſtramine, faſce ſarmentorum, furfuribus, paleis. Inde proverbium; ASINUS IN PALEAS, ſcilicet incidit, ubi

cuipiam

cuipiam lautior fortuna præter ſpem obtigerit. Carduis quoque veſcitur: Unde Carduos acetarii loco aſino eſſe dicimus. Diſtlen ſeyn dē deß Eſels Salat. Lautiſſime eos alituri, furfures hordeaceos aut triticeos exhibent. Si bibentem conſideres aſinum, nullam dices virgineam, quamvis elegantem, poſſe modeſtius bibere. Neque linguam exerit ut canis, neque caput fere totum immergit, ut equi optimi faciunt; neque collum in altum rejicit, ut aves, ſed ſummis tantum labris bibit, ac ſi nimis pura ſit aqua reſpuit. Verum non ſemper parce bibit ob aurium umbram in aqua viſam, ſed audacter áliquando. Proſtant exempla etiam aſinorum ſe inebriantium. De Aſino ex muſto ebrio, vide nos, inquit PAULINI.

In calidis regionibus Aſini frequentiores ſunt quam in frigidis. Arcadici olim habebantur optimi, unde Arcadicum pecus. Vita aſinorum ad trigiuta & ultra annos extenditur, ſunt qui, neſcio quantam longævitatem, ipſis tribuunt. Fœmina mare vivacior eſſe perhibetur. Gaudet Aſinus ſi ſe volutare poſſit in pulverulento campo, Sarcinas excutit, & præ volutationis, qua maxime delectatur, laſcivia, omnia confundit. Impudens inſuper eſt animal. Non enim obvio homini cedit; nec ſe onuſtum perſpicit. Quando Aſini acrius colludunt ſerenitatem præſagit.

Diſcrepant Aſini imprimis etiam ſexu. Eſt enim mas & fœmina, ASINUS MAS, ein Eſel / UN ASNE, eſt vel ASINUS MINOR, ASELLUS quibusdam DEGENER & VULGARIS, ASELLUS DOSSUARIUS, ein Mühl-Eſel/ein Sack-Eſel/ quamvis & eidem ſcopo inſerviat ASINUS ADMISSARIUS, qui procreandis pullis inſervire debet. Fœmina appellatur Aſina ἡ ὄνος. Ein Eſelin. Aneſſe. Junior aſinus appellatur ein Eſels-Füllen / un ASNON. Salaciſſimus eſt aſinus, membrumque genitale enorme habet. Coiturus horrido clamore fœminam advocat. Rudere enim Aſinorum vox eſt, etiam cum blandiuntur. Aſinæ prægnantes continuo lacteſcunt. Pullis earum, ubi pingue pabulum, biduo a partu maternum lac guſtaſſe lethale dicitur. Genus mali vocatur coloſtratio. Tempus geſtandi fœtum idem ac equabus eſt, nimirum anni ſpatium. Raro gemellos edunt. Parituræ tenebras petunt, ne ab homine conſpiciantur. Fœcundus admodum eſt Aſinus & Aſina, quia mature incipiunt coire, & coëunt tota vita, usque ad

annum triceſimum. Septimo a partu die Aſinæ marem rurſus admittunt. Foetus ſuos tenerrime amant, ut etiam per ignem ad eos properent, & ſi mori videant, omnino deficiant. Sexto menſe arcent eos. A coitu ſemen Aſinæ dicuntur rejicere, ideo verberibus ad curſum irritantur.

Aſinis poſt mortem pellis detrahitur unde proverbium, man begrabt dich mit der Hauth/ man thut es keinem Eſel.

MERGUS

Quod uſum Aſini attinet, illum PAULINI diſtinguit in alimentarem, domeſticum, mechanicum, ſuperſtitioſum, atque Medicum.

GALENUS ſcribit CARNEM ASININAM proxime accedere ad Cervinam, alio tamen in loco eam damnat ut peſſimam: dicens homines ὀνώδεις τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα, animo & corpore aſininos carnes Aſinorum manducare.

PLINIUS carnem aſini commendat ex jure ſumptam. Ælianus narrat Bathylin quemdam eſu hujus carnis a rabie reſtitutum eſſe & refert ALEXANDRIÆ incolas ea veſci, & propterea plurimos ibi eſſe elephantiacos. Difficilioris eſt concoctionis nec adeo boni ſucci. ARISTOPHANES tamen dicit Athenienſibus quoque fuiſſe in uſu. ÆTHENÆUS, agens de Epulis Perſarum, commemorat, eos die natali plura convivia paraſſe, inque iis ditiores, aſinum bovem, equam & camelum, totos in fornace aſſatos appoſuiſſe. Addit idem Aſinos Regi mactari ſolitos. Mæcenas, referente PLINIO, inſtituit pullis aſinorum epulari, qui multum eo tempore prælati ſunt Onagris. Sed poſt eum interiit authoritas ſaporis. Aſt licet, ut bene SEBIZIUS de alimentis dicit, tantæ ſit gulæ curioſitas, imo tanta veſania, ut etiam ea animalia in cibarium mactentur uſum, a quibus plerique abſtinere ſolent, melius tamen eſt carne aſinina

ca-

carere, cum ſit dura, craſſa, lenta, melancholica, concoctu, difficilis, pravi ſucci. Sunt tamen, qui carnem pullorum aſininorum laudant in elephantiaſi, dum ob mollitiem vel cauſam expurgat, vel tenaci alimento labem contractam emendat, ut docet BARTHOLINUS. In annonæ caritate & fame urgente illam comeſtam fuiſſe mirum non eſt.

STERCUS ASINI agris aptiſſimum. Urina ſtercori admixta vermes dicitur abigere punicorum malorum. Ad fertilitatem hortorum caput uſurpant coloni & de arboribus marceſcentibus ſuſpendunt. Ungulis quidam utuntur pro eſca ad capiendos piſces. Perhibent oves, ſi in eodem cum aſinis, equis, mulabus morentur ſtabulo, facile fieri ſcabioſas, ſed hoc experientiæ reclamat. Curioſum eſt, ſi verum, quod MIZALDUS habet; ſi imirum in utramque aurim ſilices rotundi intrudantur, manibusque apprehendantur etiam ferociores aſinos manſueſcere ſoleasque ferreas ſibi affigi permittere. Fumum ſtercoris aſinini mures abigere perhibetur.

PELLIS inſervit ad membranas pergamenas, quibus literæ inſcribi ſed facile rurſus deleri poſſunt, præparandas. Quidam tympana his obducunt. Corium porro hoc utile eſt ad ſoleas & calceos, quos incorruptibiles pene dicit MIZALDUS, e corio tergi, qua parte onera bajulare ſolet aſinus, formatos, nam nullo temporis tractu atteruntur, neque ſi per lapides quis perpetuo ambulet, aut per ſpinas: nimia tamen vetuſtate adeo dureſcunt, ut ferri non poſſint.

Ex OSSIBUS, demta medulla, omnium optimæ fiunt tibiæ, quæ ſpiritu inflatæ cujusque lyræ aut cytharæ ele-

elegantiſſimos ſonos ſuperare dicuntur. Ex DENTIBUS pulcherrimæ efformantur teſſeræ.

Superſtitioſi CAPUT ASINI præſepibus affigere ſolent ad arcenda incommoda. Veteres etiam caput floribus hortorum præfigebant contra faſcina. COLUMELLA adverſus tempeſtates id commendat: ſunt, qui ruditu aſinino rupta ova (ſi aviculæ incubent) credant, ſed falſum.

Medicum quod concernit uſum, ſanguis aſini multum celebratur in delirio, in melancholia, in mania, in Epilepſia, Apoplexia, in defectu loquelæ, in impotentia, in febre quotidiana, venenis aſſumptis, morbis a faſcino &c. Juxta autem manuductionem HARTMANNIANAM ita colligitur. Dum ſanguinis Aſini vel Aſinæ menſe Martio ſeu Aprili Luna decreſcente circa aures (quidam ſiniſtram præſertim aurim ſeligunt) evacuatur, linteolis mundis excipitur, & ita ſiccus uſui ſervatur. De hoc linteo capitur fruſtulum duos pollices longum & duos vel tres digitos transverſos latum, infunditur in aqua Anagallidis, fumariæ vel ſimilis, usque ad coloris rubei extractionem. Hauſtus iſte propinatur mane tribus (aut pluribus) diebus id repetendo & expectato ſemper in lecto ſudore.

℞. Succ. herb. & flor hyper. expr. & depur. ℔ij. Succ. Anagall. cum flor. purpur. expr. & depur. ℔j. Sanguin. Aſin. ex venis poſt aures extract. ℔ß. flor. bugloſſ. roſar. rubr. anth. ana ℥vj. Confect. Alkerm. Caſſ. lign. ana ℥ß. Croci Orient. ʒj. Inf. per noct. & per M. B. deſtill. ad ſecundum cohobium.

℞. Hujus Aqu. ℔ij. eſſent. flor. hyper. cum Spir. Vini extr. ℥ß. ſtent in loco tepido per noctem, mane aliquoties filtrentur, donec tincturam rubicundiſſimam, rubini inſtar accipias, quæ Sacch. cand. alb. ſ. q. edulcoranda & ad uſum

ſer-

ſervanda. Eſt hæc decantata TINCTURA HYPERICI MYNSICHTI, quam vix non ſuper aſtra extollit. In melancholia, mania, dementia, faſcinationibus & incantationibus nec non in imminuta & abolita Phantaſia, & ratiocinatione hæc aqua valde ſecreta eſt, imbecillitatem enim hebetudinem, ſtupiditatem, torporemque mentis & tarditatem ingenii emendat, & quantum per artem licet, corrigit, & omnes imaginationum effectus tollit. Inſuper urinam cit. Menſtrua pellit. Tertianis & quartanis ſuccurrit. Morbis quoque renum & veſicæ prodeſt. Doſis a cochl. iij. ad jv. bis in die mane ſcilicet ante Solis ortum & veſperi eundo cubitum.

℞. Panni lintei ſanguine aſini e venis poſt aures juſto tempore imbuti fruſtum digitos duos latum, pollicem vero longum, infund. in ſ. q. aqu. Anagall. & flor. hyper. donec aqua tingatur. Excitat ſudorem egregie & ſumitur bis vel ter.

℞. Guttas tres ſanguinis, exhibe in decocto piſorum vel cicerum per aliquot dies vacuo ſtomacho, in aphonia.

Lac aſininum nutrit, ut ait SCHROEDERUS & abſtergit fortiter. Hinc utile in phthiſi, in morbis ventriculi, renum abſceſſu, veſicæ lithiaſi, & arthriticis doloribus: laxat nimirum alvum, abſtergit vias urinarias, ciet menſes. Datur ab ℥iv. ad ℥x. Tabidis ita exhibetur, ut vel ipſimet ſugant, vel expreſſum confeſtim ebibant, ne quid a tepore nativo remittat. Non ſemel aſinæ ad ægrotantium cubicula deductæ fuere, & ante lectum expreſſum lac epotum cum fructu. GALENUS melle mixtum juveni cuidam, qui fere contabuerat, a balneo ſtatim exhibuit. HELMONTIUS ita de lacte Aſinino diſſerit, Hoc Lac plus

re-

reficit & recreat, imo & hactenus nutrit, non quantum ſeroſius eſt: id enim eſt corticetenus judicaſſe de viribus nuclei nunquam antea viſi. Aſt Aſina, quatenus longæva lac cæteris quadrupedibus præſtantius habet. Neceſſe eſt enim quod & lac ejus Archeum longæva vita dotatum habeat. Et ob hoc ſcilicet, nonniſi longe poſt, ſuum ſeparat coloſtrum, quia tardius corruptioni auſcultat. Sequeſtratio enim iſta ad dualitatem & deſtructionem tendit. Hinc patet, quod cum in pueritia alimentum convertatur in ipſa noſtri conſtitutiva, aſininum lac pueris vitam longævam atque ſaniorem præ cibis cæteris conferat. Quapropter etiam lac muliebre, quanquam nobis ſit ſimillimum, proximum, mumiale, & nutritium, attamen cedit aſinino ob longævitatem. Sunt qui hoc lac laudant in adſtrictiore alvo. Ab aliis celebratur in abſceſſibus renum, in iſchuria & ſtranguria, item in lithiaſi. Sunt inter exempla, qui lac aſininum bibendo podagra chiragrave liberati ſunt. Compeſcit quoque dolores arthriticos cataplasmatis forma cum ſtercore aſini impoſitum. Sic quidam ex bono Henrico, caſeo vetuſto & mordicante ac lacte aſinino ſibi fecit cataplasma non ſine levamine. In ardentibus febribus hoc lacte ægros purgabant Medici vetuſtiores. HIPPOCRATES ait, ſi ad hæc non aperiatur, lacte aſinino cocto purgabis. GALENUS dicit, COUM in talibus febribus ad lac Aſinæ confugere, tanquam tutiſſimum medicamentum, cum cætera omnia purgantia acria ſint, illud vero omnis acrimoniæ expers, humiditate ſola abundare, qua ventrem ſolvit. GOCKELIUS circa uſum lactis aſinini ſequentia monet. Caveant ſibi, qui diu admodum & quidem copioſe hauriunt lac aſinæ, ne mores induant patientiſſimi animalis, uti accidit illi, qui lacte caprino nutritus,

cum

cum adoleviſſet, ſemper ſaltabat, plantasque abraſit petulantius. Pro vero ſibi narratum refert PAULINI, puerum, lepidi alias & vividi ingenii, phthiſi correptum ex conſilio Medici ultra annum fere lacte aſinino nutritum convaluiſſe quidem, ſed adeo ſtupidum factum, pigrum, ſomnolentum, adque omnia negotia ineptum, ut omnino mores & indolem aſininam induiſſe ſtupuerint univerſi. Idem accidiſſe relatum eidem fuit, nobiliſſimæ juvenculæ 14. annorum, quæ etiam aliquando pulcherrime veſtita in luto & pulvere more prorſus aſinino ſe volutavit. Lac aſininum illitum faciei gratum conciliat pallorem & maculas ejus tollit. Poppœa Domitii Neronis conjux quingentas ſecum ſemper aſinas fœtas duxit, ut ſufficiens lac haberet pro balneo. Qui mos adhuc dum in Italia apud delicatiores mulierculas vigere perhibetur. Ratione uſus interni illud notandum adhuc, quod in emendanda ſicca corporis δυσκρασία cæteris lactis generibus antecellat, quoniam tenuiſſimum, minimeque in ventre coit; cito quoque in totum corpus diſtribuitur. Oportet autem, ut lac ſit optimum dulciſſimum, candidiſſimum, conſiſtentia ſibi continuum & æquale, h. e. ſimilium partium. Tale erit, ſi aſina probe nutrita fuerit; pullus ſi quem lactaverit remotus, (ſaltem per noctem) aſina ipſa bene habita, & in florenti ætate conſtituta: mediocriter etiam ac tempeſtive exercita, quotidie fricta, abſterſa & mundificata. Pecti jubet aſinam HELMONTIUS inſtar equorum, perhibentque ex lactis guſtu dignoſci poſſe an aſina pexa fuerit iſto mane ſeu non. Lac aſinæ porro bibatur recentiſſimum & adhuc calens. Ideoque quidam præcipiunt, ut ex uberibus Aſinæ ſugatur. Quod ſi hoc facere æger gravetur, danda opera ut minimo ſaltem temporis ſpatio lac in aëre moretur. Bibitur autem

vel per ſe, vel parum mellis aut ſacchari illi admiſcetur. Lac aſininum inter dejectoria pharmaca omnium eſt mitiſſimum, reliquis etiam lactis generibus, quibus veſcimur, tenuis & ſeroſius hocque nomine ventrem magis movet.

℞. Flor. Lact. aſin. ℥iij. bulliant cum ſucco plantaginis ad debitam usque ſpiſſitudinem, quo liniatur locus facta prius vaporatione herbarum convenientium. Valet in Rhagadibus ani.

℞ Farinæ hordei q. ſ. fiat cum lacte aſinino epithema in cephalalgia.

℞. Aqu Roſar. Lact. Aſinin. flor. Chamom. ana p. æq, croci parum. Imponatur in ophthalmia ſic dicta calida cum rubore & dolore.

℞ Succ. Cyclam. ʒvj. ſterc. caprin. ʒiß. lact. aſinin. ℥ij. unam alteramve guttulam inſtilla in aurim & tenuiſſimo linteo, lacte hujusmodi tepido madefacto, aurem obtura in inflammatione aurium conducit.

℞. Lact. Aſin. fœm. Camel. ana p. æqu. Zingib. trit. & cribell. parum. Hoc ponatur ſuper lacte per diem & noctem, poſtea agitetur; quod ſupernatat, accipe, ut de eo mulier intus & extra vulvam fortiter inungat, in diebus menſtruoſis & in horis coitus & gemellos concipiet. Eſt Medicina Indorum ad gemellos.

℞. Album. ovor. No. xxjv. lactis Aſinin. ℔ij. deſtill in aquam cosmeticam.

SORDES AURIUM aſininarum temporibus illitæ ſomnum conciliare dicuntur: Commendantur etiam a quibusdam interne in cephalalgia. In fiſſuris mammillarum a nonnullis laudantur.

℞. Sev. Caprin. pingued. Lupin ana ℥ß. ſordium ex auribus aſininis ℈jv. ☍ papav. alb. ʒj. fiat linimentum, quo un-

ungantur tempora & plantæ pedum. Eſt remedium PAULINI ad ſomnum conciliandum.

JECUR ASINI tritum aridum, cum duabus partibus petroſelini, & tribus nucibus juglandibus purgatis, ac melle illitis in cibo datum, hepatico jejuno ſaluberrimum pronunciavit PLINIUS.

SPLEN ASINI ad vitia lienis curanda tam dicitur efficax, ut intra triduum utilitas ſentiatur SCHOTTO teſte, cui adſtipulatur MACASIUS.

RENES triti in vino dati commendantur in iſchuria & ſtranguria.

URINA medetur morbis renum & veſicæ, uti quidam volunt; conducit hauſta in ſtranguria. Prodeſt in paralyſi. Sunt qui commendant hoc lotium calidum in angina. GALENUS eo os collui jubet. Urina hæc cum melanthio contra omnes impetus & ſuppurationes ſeu apoſtemata a nonnullis celebratur. Perhibent, quod ſi Icterici ſtercus cum urina aſini mixtum, linteolo exceptum, veſicæque ſuillæ inditum in camino ſuſpendatur, ad exſiccationem urinæ icterus ſenſim evaneſcat. Cœnum aſini urina imbutum medetur ſcabiei. Urina hæc exedentibus & humidis ulceribus utilis, Verrucis & callis, membrorum atrophiæ & paralyſi podagricisque doloribus conducit.

STERCUS ſive FIMUS ASININUS recens cum oleo roſaceo ad gravitatem auditus tepide inſtillatur. Sunt, qui pro eodem ſcopo laudant aquam e ſtercore aſinino recenti menſe Martio collecto deſtillatam crebrius externe uſurpatam. Succus ſtercoris Aſinini in aqua plantaginis expreſſus & cum ſyrupo myrtino ebibitus omnem ſanguinis fluxum compeſcit, cujus in operando tam certa & probata eſt efficacia, ſcribente GAINERIO, & omnibus ex SCRIBONIO

NIO & GALENO atteſtantibus, ut, niſi ab ulcere dimanet, nunquam fallat, Stercus uſtum vel emplaſtri inſtar impoſitum, naribusve adhuc calidum admotum. Succus ejus cum bolo armena inditur. Stercus aſininum, ut jam dictum, omnem hæmorrhagiam ſiſtit naribus admotum, præſertim ſi cum ſucco Urticæ miſceatur. Solum ſtercus aridum naribus infrictum, vel emplaſtrum ex eo fronti impoſitum, voto etiam facit ſatis. Stercus Aſini pulli, primum a partu rejecti, in ſapa decoctum colicis datur. Idem modo dictum ſtercus in vino datum exhibetur a quibusdam in dyſenteria Pulvis ſtercoris aſinini conducit in fluxu hæmorrhoidum. Laudatur quoque in ictero ſi ſtercoris pulli aſinini primum a partu rejecti in vino detur ad magnitudinem fabæ. Deprædicatur porro in teneſmo. Suffocationem & procidentiam uteri ſtercus cum primis recens naribus admotum abigit, aut prunis crebrius injicitur & fumus excipitur. Vulvæ impoſitum ſtercus Aſininum fluxum menſium cohibet. Stercus hoc cum lacte aſinino cataplasmatis forma impoſitum compeſcit dolores arthriticos. Virtute quoque gaudet antifebrili; præſertim ante paroxyſmum in ſpiritu Vini aſſumtum. Conducit in ranula & ſtrumis. In achoribus, furfuribus & pediculis prodeſt, ſi diſſoluto ſtercore aſinino in aceto forti caput perfricetur. Quidam ſoleas e ſtercore aſinino exſiccato cum aqua hyperici miſto ſuadent ad philtra.

℞ Ferment. acerrimi ℥iij. ſtercor. aſinin. exſicc. ℥j. Sal. comm. ℥iß. Acet. flor. Sambuc. q. ſ. f. cataplasma in delirio.

℞. Bol. armen. ℥ij. Lut. aſinin. ℥j. pulv. Lavend. ʒß. Mſc. f. cum album: Ovi & Aceto Epithema in hæmorrhagia narium.

℞. Stercor.

℞. Stercor. Aſinin. Porcin. ana q. v. immiſce telas aranearum & cum urina pueri fac cataplasma, calide applicandum ventri in dyſenteria, præmiſſis tamen præmittendis.

℞ Stercor. Aſinin. Pulv. Ranar. combuſt. ana part. æqu. admiſc. tel. aranear. & f. cum ſanguine recente pullorum columbinorum cataplasma in fluxu hæmorrhoidum.

℞ Sterc. Aſinin. mell. deſpum. q. v. coq. in vino ad ſpiſſitudinem & impone ſub mento in ranula.

℞. Stercor. Aſinin. ℥vj. Muſc. Quern ℥iij Miſcent & ad Solem vel in loco quodam calido ſiccant, exindeque faciunt pulverem, qui per nares attractus ſubito illarum hæmorrhagias compeſcit: & quidem non ſolum attrahitur per nares, ſed etiam per ſuffitus ſtercoris aſinini experti in tali caſu, ut loquitur ETTMVLLERUS.

UNGVLA ASINI laudatur in Epilepſia. SCHROEDERUS combuſtam ungulam aſini Ungulæ aliis vicariam in morbo comitiali vocat. Cinis per multos dies (menſem vult PLINIUS) ad pondus trium aureorum cum dimidio potatus maxime deprædicatur. Si annulus fiat ex albis ungulis aſini, eumque induat epilepticus, immunis erit a morbo. Hac occaſione apponere liceat varia amuleta antepileptica, quæ ſequentibus verſibus ſimul jungit BALD. RONSEUS.

Hinc poterit varias Aſinus præſtare medelas;
Apponunt alii variis prophylactica membris,
Annellos ſiquidem tornant ex crure, vel ungue,
Quos geſtare jubent digitis, ſi invaſerit ante

Morbus, at obſervent, ne qua nigredine corpus
Sit tinctum: multis laudatur de cute frontis
Faſcia, conſtringunt qua nodos articulorum.
Atque alii faciunt hirto de tergore zonam.

Ungulæ porrò aſini valent ad leucomata diſutienda, ſcobe ſcilicet earum tenuiſſime cum lacte muliebri mixta & inuncta. Commendatur porro raſura ungulæ in pleuritide. Ungulæ hujus nidore Comitiales & utero ſuffocatæ excitantur. Aſinus cum animal alioquin iners ſit & ad actiones pigrum, prorſus tamen luxurioſum eſt & fere cœcum, de ſuperfluitate naturæ, quam in libidine habet, ſoleas aut ungulas profert, ex quibus ſi annulus fiat qui geſtatur, faſcinationem averruncare perhibetur, eamque non quamvis, ſed qua Viri veluti ligati inutiles ad Venerem redditi ſunt. Cinis ungulæ oleo ſubactus ſtrumas diſcutit & illitus pernionibus utilis. Ulceribus etiam commode inſpergitur. Ad fœtum mortuum eliminandum commendatur in ſuffitu.

℞. Urin pull. aſin. Ungul. aſin. in ciner. ſubige addendo Axung. aſinin. cum tantillo olei Spicæ, f. unguentum in membrorum atrophia & Paralyſi, juxta SCHROEDERUM.

℞. Cran. human. ʒj. Ungul. aſin. ciner. hirund. ana ʒß. Raſ. Ebor. ℈j. corall. rubr. ʒj. margarit. pp. ʒß. Auri limati ℈j. ſem. poeon. ʒß. Diamoſch. ℈j. Mſc. f. pulv. Antepilepticus PLATERI, cuſpidatim dandus.

℞. Raſur. Ungul. aſin. fulig. ſplendent. Camin. ana ʒß. vel ʒj. exhibe in aqua Sambuci ad pleuritidem.

AXUNGIA ASININA laudatur ad paralyſim, reddit quo-

quoque cicatrices corpori concolores. Vetus aſini pinguedo vulvæ exulcerationem ſanat.

MEDULLA CRURUM aſini laudatur quoque ad paralyſin.

PELLE Aſininâ utuntur pro tegumento capitis in Incubo. Eadem loco culcitræ impoſita infantum terrores arcere dicitur.

TESTICULI ASINI commendantur ad excitandam Venerem & arcendam faſcinationem, item ad partum & ſecundinas pellendas.

LICHEN ASININUS, qui eſt verruca dura circa genua Aſini creſcens, ſecretum habetur remedium, ut pili creſcant. Sunt, ut ETTMULLERUS refert, qui dicunt, quod tantum faciat ad pilos gignendos, ut ſint, qui dum barbam fœmellis comparare volunt, curant, ut fricentur eadem partes.

Plura qui cupit adeat ſæpius jam nominatum PAULINI in tractatu DE ASINO.

SANGUIS MERGI.

Eſt Mergi tum majoris tùm minoris ſanguis ex viva Avi extractus.

Eſus

MERGUS quoniam aquæ immergitur ἔαθια, αἴθυια, κόλυμβος, κολυμβὶ. a κολυμβᾷν qnod ſignificat natare, Teucher/Tucherlin/Duch-Entlin/ PLONGEON.

Differunt Mergi inter ſe magnitudine colore & figura roſtri: imprimis autem duæ ſequentes notantur ſpecies.

MERGUS MAJOR, COLUMBUS MAJOR CRISTATUS, URINATRIX MAJOR, ein Teucher/ ein groſſer Kobel-Teucher/ Strauß-

Strauß-Teucher / Merch. Magnitudo ei anatis fere, longitudinis cubitalis. Roſtrum obtinet ſubrubens, canaliculatum in acutum deſinens, tres digitos longum: criſtatæ plumæ circa verticem & collum ſupremum eminent, ſuperius nigræ, ad latera ruſæ, inſtar pilorum vulpis. Dorſum & alarum majores pennæ fuſcæ, minores albæ ſunt: parte prona pectoris & ventre candicat, plumis fere niveis: crura juxta alveum fere retrorſum porriguntur, glauci coloris, natationi potius quam ingreſſui apta, femoribus in ventre conditis: digiti pedum terni, lati, adhærentibus membranis, ſed aliquousque diviſi, non ut in cæteris aquaticis conjuncti, unguibus omnino latiuſculis, præſertim medio fuſcis: cauda caret. In fluminibus non admodum repidis, ſtagnis & piſcinis æſtate frequens. Alga, limo gramine victitat, maxime piſces perſequitur. Nidum arundinibus ſuſpendit.

MERGALUS, MERGUS NIGER, MERGULUS NIGER MAJOR. COLYMBUS MINOR. Ein klein ſchwartz Teucherlin/ Duch-Endlin/ multo minor eſt priore, paulo major columba. Per caput, collum, dorſum niger eſt, ventre albo: circa clunes & femora pennis quibusdam albis, aliis ruffis, ad latera etiam capitis poſt oculos utrinque ſubrufis ſeu flavis donatur. Oculi nigri, circulis croceis, ſeu cinabrii colore: genæ ejusdem coloris, quas linea rufa ambit: roſtrum acutum, nigrum: pedes diviſi, fuſci, unguibus latiuſculis. Alæ majores pennæ fuſcæ, inferiores candidæ.

Uterque Mergus cum vel inſidias ſibi ſtrui ſentit, vel cum piſces venatur, in aquas ſe demergit, ſub iis aliquandiu moratur, tandemque natando rurſus emergit.

NOCTUA

Eſus MERGORUM in Levitico prohibetur. Quocunque tempore comedantur, piſces reſipiunt, quibus quotidie veſcuntur. Pravum ſuccum hæc CARO gignere videtur.

SANGUIS MERGI amphictoton eſt, ut SCHWENCKFELDT loquitur, & venenis reſiſtit, præſertim Canis rabidi.

VEN-

VENTRICULUS in cibo ſumptus ſtomachō medetur. Antidotis etiam miſcetur.

MERGI HEPAR calculos ejicere quidam, alii vero ſecundinas tradunt.

PELLES MERGORUM præſertim majorum a pellionibus elaborantur ad ventriculum calefaciendum: concoctionem promovent non tantum calore ſuo ſed etiam proprietate.

SANGUIS NOCTUÆ.

Eſt avis nocturnæ, quæ Noctua dicitur, ſanguis.

In

NOCTUA, quia noctivaga, a nocte nomen accepit, hac enim prodit, canit & volat & eſcam quærit. Ideo OVIDIUS

Nocte volant, ſeroque trahunt a tempore nomen.

Quanquam vero multa nocturnarum avium genera ſint, hæc una tamen præ cæteris Noctuæ nomine a Latinis ſignificatur. Albertus vero omnes Aves nocturnas generali nomine Noctuas appellare videtur. Græcis γλαύξ, a glauco oculorum colore, noctu perſpicaciſſime videntium, interdiu cæcutientium. Noctua quoque ſaxatilis, Noctua ſylvarum dicitur eine Nacht-Eule/ Stein-Eule/ Mittel-Eule/ Kautz/ HIBOU OU CHAHUAN.

Avis eſt Gallinæ fere magnitudine duos dodrantes longa. Crura & digitos habet pedum hirſutos, plumis albidis. Imi ſeu interni digiti utrinque bini nudi ſunt unguibus nigris, aduncis, acutiſſimis. Color ei tota parte beticus, id eſt ex ruſo fuſcus, nigris maculis diſtinctus: Caput ad reliquam magnitudinem prægrande. Oculi magni glauci; roſtrum aduncum breviſſimum, dilute fuſcum. Inter oculos & roſtrūm pennulæ quædam rigent ceu pili aut barbulæ, in ventre plus albidi habet, quam in cæteris. Alarum majores pennæ & cauda lineis transverſim fuſcis latiuſculis figurantur.

Diverſæ hujus avis reperiuntur ſpecies, ſermo tamen magis eſt de illa, quæ hic deſcripta.

Cibus ipſi veſcæ, apes, lacertæ, mures, capit Aviculas, & nonnunquam columbas, verſatur in ſylvis, ſaxoſis & montoſis locis ut & in ædificiis, turribus & arcibus vetuſtis, ruinoſis, Venatur noctu

Lucifuga obſcuro latitat nam Noctua luctu.

Hanc Aves cæteræ petunt & circumvolitant: ipſa majore multitudine circumdata, reſupina pedibus repugnat, & in arctum collecta, roſtro & aduncis unguibus tegitur.

Olim noctuæ frequentiſſimæ erant Athenis, unde proverbium, *Noctuas Athenas*, quod dicitur de labore inutili & fruſtraneo, cum noctuas deferre Athenas ridiculum fuiſſet. In Creta naſci negat PLINIUS, illatam mori tradit, nec in Alpinis Helvetiæ regionibus inveniri ſcribit. In aliis regionibus inveniuntur. Cum incolant montana & ſaxoſa, ideo ad frigus arcendum plumas cruribus & digitis induunt.

Noctuam ſolam inter uncungues & carnivoras non cœcos parere pullos EUSTATHIUS & VARINUS falſo tradunt, nec verius cum formicas a ſuis pullis abigere cupiunt, Veſpertilionis cor in nido tanquam amuletum habere, OPPIANUS reliquit.

Nec de die omnino cæcutire verum, nec propter inſitam vim igneam tenebras penetrare ac Luna ſilente videre, quod EUSTATHIUS & VARINUS ſcribunt, ignara autem plebs credit. Die exorto quaſi ſplendore viſus ejus hebetatur, & quaſi quibusdam errat in tenebris. Noctu aëre non illuminato, objectæ colorum ſpecies non exprimuntur, ſi propius acceſſeris loco non movebitur. Moderata lux, quia Noctuæ conveniens, ideo θηρεύει ἄχρις ἑσπέρου καὶ περὶ ὄρθρον per veſperam & circa matutinum crepuſculum venatur. Cauſa hujus nocturnæ viſionis, quæ hoc parum, in Noctua, quærenda eſt, in Tunicæ Corneæ majori pelluciditate, qua de re dictum fuit ſub felium doctrina. De ejus diurna occultatione ita canitur ut dictum,

Lucifuga obſcuro latitat nam Noctua luctu.

Sonum

Sonum edit duplicem noctua, unum Tou, Tou, Tou, alterum vocant cucabare. Author PHILOMELÆ hunc in modum loquitur

Noctua lucifuga cucubàt in tenebris.

ARISTOPHANI κικαβᾶν dicitur. POLLUX eam ὕζειν ſcribit. NIGIDIUS novem habere voces prodit. APULEJUS ſerum & intortum ejus cantum vocat. Si pluvio cœlo garriat, ſerenitatem, ſi ſereno pluviam prænunciare credunt ÆLIANUS & PLINIUS. ARATUS, inter ſigna ſerenitatis, inquit, nocturna quiete canens, tempeſtatis deficientis tibi ſignum eſto. Cætera plurima auſpicia, ut cum VAN DEN BOSSCHE loquar, & præſagia boni malique deſumta a noctuis vana ſunt.

Eſt etiam Noctua ſaltatrix, præſertim manſueta reddita; & corpus & cervicem frequenter in orbem contorquendo, nunc torvo & fixo obtutu hominem aſpicit, nunc capite huc illuc acto hiſtriones & ſcurras imitatur. Cæterum volare præſertim noctu dictum, hinc lepide pronunciatur VOLASSE NOCTUAM, cum res non meritis, ſed pecuniæ interventu ſucceſſum habet: numiſmata enim Athenienſium Noctuam inſculptam habebant. Ut & illud NOCTUA LAURIOTICÆ, ænigmatice (inquit ERASMUS) vim pecuniæ ſignificabat: Laurios enim Atticæ regio eſt, ubi auri venæ plurimæ inveniri dicuntur.

TALPÆ

In lege Moſaica damnantur & immundæ reputantur aves illæ, quæ noctis & tenebrarum amicæ lucem fugiunt, ut Noctuæ, Veſpertilio &c. legimus tamen a Medicis in uſus medicos earumdem CARNES laudari & commendari. Imprimis RABBI MOYSES in aphoriſmis inquit, carnes pullorum Accipitris & Noctuæ eſſe ſaporis boni, corroborare animam, & prodeſſe melancholicis atque mente perturbatis. Noctuæ Carnes paralyticos curare PLINIUS ſcribit.

CINIS NOCTUÆ ſeu Noctua combuſta cum melle ſubacta & faucibus illita, mirabiliter apoſtema tonſillarum & anginam ſuppurantem maturat teſte HARTMANNO. Eadem Noctua combuſta faucibus per cannulam inſpirata anginam rumpere facit. Nam ſæpe fit, ut apoſtema maturum non rumpatur, ſed æger tandem ſuffocetur: in tali caſu Noctua combuſta dicto modo inflata eſt egregia. Ego, conſentiens ETTMULLERO, omnem cinerem cum melle ſubactum hoc facere credo.

CEREBRUM NOCTUÆ coctum in vino & in cibum ſumptum, capitis doloribus remedio eſſe fertur. Noctuæ maſculæ cerebrum in collyrio adhibitum, aufert, ut volunt pravitatem videndi de nocte.

NOCTUÆ JECUR diligenter ſervatum atque ex unguento Nardino trito, auriculis ſubinde infuſum, celeriter parotidum vitium omne perſanare tradit MARCELLUS.

FEL collyriis additur ad maculas oculorum, PINGUEDO autem aciem eorum acuit.

SANGUINEM NOCTUÆ orthopnoicis proficuum eſſe dicunt aliqui, quos tamen reprehendit GALENUS, inquiens: cum adverſus ſpirandi difficultatem multa habeamus, nihil ſanguine noctuæ indigebimus: cujus ſanguinem alii propinant, alii ipſam coctam edi jubent ex jure ſimplici: ſanguinem vero aliqui aquæ inſtillant, aliqui vino miſcent. Ego cum a quodam hunc ſanguinem mulieri frequenter anheloſæ commendante interrogarem, quamnam ſpirandi difficultatem hoc remedio curatam ſciret; nullam hujus difficultatis differentiam agnoſcebat, & cum eo uſa eſſet, mulier nihil profecit. AETIUS eundem ſanguinem numerat inter pſilothra, quæ palpebris poſt evulſos pilos adhibentur.

Ebrio-

Ebrioſis OVA NOCTUÆ triduo data in vino, ejus tædium adducere refert PLINIUS, & ut author eſt PHILOSTRATVS proditum eſt infantes Noctuæ ova ſi ſumpſerint, perpetuo odiſſe vinum, illudque non tantum ſed & temulentos formidare. Hinc idem PHILOSTRATVS dicit: cum quidam apud Indorum ſapientes conquereretur, filios quidem ſibi naſci, ſed quam primum vinum bibere cœpiſſent, omnes mori, reſponſum accepit: melius cum illis agi, quod moriantur, quam ſi viverent ſuperſtites: fierent enim inſani, quia ex ſemine minus calido procreati: vino igitur illis abſtinendum, ita ut ne quidem illud concupiſcant. Igitur ſi alios tibi naſci filios contingat, obſerva Noctuam & ejus nidum quære, & ejus ova molliter elixa, infanti commedenda præbe; ſi enim illa comederit, odiſſe incipiet vinum, priusquam biberit. Ridiculum videtur, quod vitellum ovi primum poſiti pilos abigat, reliquorum autem eosdem creſcere faciat.

SANGUIS TALPÆ.

Eſt Talpæ animalis muri ſimilis cruor.

Talpa

TALPÆ nomen huicanimali indidere ſeu a Græco θάπτω inhumo, quod aſſidua terræ effoſione ſe ipſam quaſi inhumare videatur, ſeu quod cœcum ſit, quod Græci τυφλὸν vocant, ſeu quod ſe perpetuo θαλπῇ id eſt, foveat ſub terra. Græcis dicitur σπάλαξ, ἀσπάλαξ, παρὰ τὸ σπᾶν, quod terram unguibus aſſiduo vellicet: NICOCLI σκάλοψ, VARINO συφνεὺς, quod terram fodiendo evacuet, audit. VOLATERRANUS & alii BLACTAM ἀπὸ τοῦ βλάπτειν id eſt a nocendo vocant, ſed perperam. Dicitur quoque MUS TERRENUS a nonnullis, vel MUS COECUS. Ein Maulwurff/ quod terram roſtro fodiat & rejiciat, Moltwurff/ Mollmaus/ Schermaus/ TAUPE.

Talpa

Talpa eſt animal parvum, corpore latiore & depreſſiore pedibus quodammodo urſinis, cruribus breviſſimis, unguibus acutis robuſtis quinque ante & poſterius. Palma anteriorum pedum lata eſt & manum refert. Collum inter crura anteriora breviſſimum & prope nullum. Caput depreſſum eſt, longiuſculum, & roſtrum habet inſtar porcelli quo terram fodit, excitans paſſim cumulos. Pili breves ſunt denſi & in nigredine ſplendentes. Dentes anteriores latiuſculos obtinet, & utrinque duos acutiſſimos ad latera prominentes.

Timidum animal eſt, fugit lucem, amat tenebras, ſemper in obſcuro degit loco, & cum egreditur, quod potiſſimum menſe Junio fit, facile capitur. In terra cum habitat, parum movetur, quieti magis quam motu indulget. Egreſſa ex antro tardior eſt, niſi ex metu fuga ſibi conſulat. Vocem edit acutam præſertim cum verberatur. Proverbium eſt Talpa loquax. Talpa veſcitur lumbricis, quos longe ſe moventes audit: pericula vero ſentientes vermiculi aſcendunt atque ad ſuperficiem terræ fugiunt. Etiam radices herbarum ac arborum devorant, damnumque incredibile hortis inferunt. Nec frumentis parcunt, ſi ad horrea pateat via. In fame veſcitur terra.

Ex terra pluviis madida & putreſcente utplurimum generari quidam ſed falſo putarunt. Animal eſt viviparum, ſexum habet & congreditur atque parit ſub terra. Sub terra ſibi domicilia parat, extra enim eam diutius non durat, niſi forte ad horam unam aut alteram. Terram roſtro ſuffodit ac ſubruit egeſtis veluti colliculis. Peſtis propterea agrorum. Terram autem ſuffodiunt, ut aëre potiantur.

CÆCIOR TALPA proverbialis eſt locutio. Sed videt Talpa licet obſcurius & magis in tenebris quam luce clara, Habet oculos ſed tectos. Cute enim detracta orbiculus quidam in loco oculorum apparet. Quem fruſtra feciſſe naturam, abſurdum eſt, ut recte pronunciat SPERLINGIUS. SEGERUS in anatomia Talpæ dicit quod oculi beneficio aliquot fibrarum membranulæ ſubjacenti firmiſſime ſint annexi & toti nigri, ſeminis pſyllii magnitudinem non excedentes, contecti cute. Auriculas externas non habet, ſed in quolibet latere foramen patet, ad meatum auditorium. Audit autem ſatis exquiſite, quæ propriora ſunt.

Talpa manibus, donec moriatur, in paroxyſmis detentus, Febrium inſultus reprimere fertur. Vulgi quoque opinio eſt, ſiquis talpam manu compreſſerit, ut moriatur, eum a febri eo ipſo anno fore ſecurum. Caro Talpæ in gangræna & ſphacelo imponitur juxta FRID. HOFFMANNUM in CLAVE ad SCHROEDERUM. Talpa cum oleo Lini cocta vaporetenus necat, unde contra hoſtium inſultus in navibus incendiariis juxta adhibetur. Vinum decoctionis Talpæ prodeſſe fertur iis, qui laborant ſcrophulis & ſtrumis.

Talpa viva combuſta in ollula ad cineres ex cereviſia ſeu vino diebus aliquot, contra Dracuntias commendatur, item adverſus arthritidem vagam. Cinis cum melle illitus, Lepram, ſtrumas & fiſtulas curat. Dicitur etiam prodeſſe in ſcorbuto, in ulceribus ſcorbuticis & cancroſis.

COR TALPÆ authore SCHROEDERO & HARTMANNO herniam ſanat, ſiccatum pulveriſatum & exhibitum per dies 3. aut 4. ſcilicet quotidie unum. MIZALDUS periclitaturus an æger moriturus ſit nec ne, chelidonium cum talpæ corde pulvino ægrotantis ſupponit; Cantaturum aut clara voce vociferaturum credit, ſi convaleſcet; fleturum, ſin minus. Fides ſit penes authorem. Præſtat menſe Majo collectum.

CAPVT TALPÆ inciſum & cum terra a talpis eruta tuſum, inque pyxide ſtannea in paſtillos digeſtum, contra omnes colli dolores a quibusdam celebratur.

DENS a viva evulſus dentium dolores ſedare creditur, qui dentes etiam in dentitione difficili infantum appenduntur; laudantur porro in gangrænoſis mammillarum affectibus.

ADEPS ad capillorum augmentum ſupprimendum conducit.

SAN-

SANGVIS TALPÆ recens illitus capitis calvitiem decorat. Præterea contra gangrænam & ſphacelum laudatur, ſi papyro illitus exſiccetur, papyrus poſtmodum ſub uſu humectetur aqua & imponatur ſic brevi poſt affectum ſiſtere dicitur.

In eryſipelate imprimis mammarum a cancro, ſive exulcerato, ſive non exulcerato manus impoſita, in qua Talpa mortua ſingulare quid conferre & ſubito ceſſare facere, quibusdam perſuaſum eſt. Ejusmodi quoque manus ad tormina equorum celebratur, ſi abdomen ea bene & multum confricetur.

SANGUIS VESPERTILIONIS.

Eſt avis nocturnæ, quam Veſpertilionem vocant, ſanguis.

A quibus-

VESPERTILIO quaſi veſpertino volans crepuſculo a veſpertino tempore nomen accepit: hoc enim prodit & volat, unde OVIDIUS

Tectaque non ſylvas celebrant, lucemque peroſæ,
Nocte volant ſeroque tenent a veſpere nomen.

Νυκτερὶς HESYCHIO & PHAVORINO φάλκη, PHYLI νυκτάλωψ, & φυλέσπερος, quod veſperi & noctu volet. VICTORINO AVIS SOREX, VALLÆ autem SEMIMUS, PLATONI in ænigmate AVIS NON AVIS dicitur, ein Fladermaus / ein Fledermaus / ein Speckmaus. Gallis dicitur CHAUVE SOURI.

Eſt animal, juxta VAN DEN BOSSCHE, mediæ cujusdam ſpeciei inter avem & murem, quare mus alatus dici poſſet; nec omni absque ratione, ſuſpenſis judiciis dubitatum fuiſſe videtur,

avis

avis an mus cenſeri debeat; ſolus enim Veſpertilio inter volucres parit fœtus ſuos, quos & lacte enutrit; nam ubera admovet prolibus & volitando ſecum illas deportat; isque ſolus volucrum dentes habet, & membrana ſeu tenſa pellicula volitat, uti aves plumis. Veſpertilio tamen breviori tractu & frequentiore alarum motitatione volitat, ideoque debilius: cauda caret, quæ forſan illi liberum álarum uſum impedíviſſet: alii tamen hic reclamant & Veſpertilionibus quoque caudam concedunt. In utraque parte mandibulæ dentes inſtar murium habent; auriculæ autem eminent. Alas, quæ pellitæ, exangues quidam dixere. Ab armis incipiunt & per latera per axillas continuo ad crura usque feruntur. Quatuor flexus, plicas ſeu articulationes habent, quibus alas inter volandum dilatant & contrahunt. Mammillæ ſoli volucrum datæ ſunt.

Veſpertiliones loca obſcura, cavernas & meatus ſubterraneos amant. In cibatu muſcæ & culices ei gratiſſimæ ſunt, quas ſub noctem circumvolitans capit. Veſcitur & libentiſſime lardo & carnibus ſuillis e trabe ſuſpenſis. Candelas & pinguia quævis inſtar Murium ambit. Invadere & nudam corporis partem dicuntur culicum more, & ſanguinem exugere.

Solus volucrum animal tantum parit, & fœtus lacte uberibus admotos nutrit. Recens nati muſculis ſunt ſimiles glabri, infantis humani inſtar, ſed omnibus partibus abſoluti, matris uberibus, cum primum enixa eſt, adeo tenaciter adhærent, ut ne a mortua quidem ſponte decidant. Nullis ſecundinis obtectos quidam putavere produci, BELLONIO hoc refutante. Fertur quoque mater recens natos devorare dum proli nuper natæ, ob teneritudinem metuens, primum vel ſecundo die ad paſtum evolare prohibetur. Cum duo tantum ei natura ubera dederit, plures geminis uno partu non edit, quia vero magna eorumdem interdum copia ingruit, quidam e putri etiam materia (ſed falſo) oriri opinati ſunt.

Volant mane & veſperi potiſſimum: fœminæ ſæpe geminos amplexæ infantes; volatu ob timorem indirecto ſeu tortuoſo atque haud longe a terra ſemper. Volitatione feſſi, hamis digitulorum, quorum in mediis alis rudimenta habent, parietibus, ſaxis, arboribus, aut cavernarum fornicibus ſeſe appendunt, & continuata ſerie

ac veluti catena quadam inter ſe cohærent. Melius de nocte vident.

Voce exili gannitum potius & latratum canum imitantur quam murium ſibilum; Latinis ſtridere Græcis τρίζειν, τετριγάσειν, τετριγέναι dicuntur

Minimam pro corpore vocem
Emittunt peraguntque levi ſtridore querelas.

Singularis Veſpertilionibus cum columbis amicitia: detinentur iſtæ, ſi caput veſpertilionis in peris ſummo Columbaris faſtigio ſuſpendatur. Inimicitias vero gerunt cum Ciconia, quia a ſolo hujus contactu ova illius ſteriléſcunt, ni platani foliis in nidum poſitis ſibi caverit, ſed ubi omnibus Ciconiis platani præſto ſunt. Cum platano, quæ præ foribus ſuſpenſa ne involent, prohibet: cum hedera cujus ſuffitu & odore perimuntur: cum formicis, ad quarum nidos ſi alas ſuſpenderis, nulla ipſarum egreditur, cum locuſtis, quæ locum, ubi veſpertilio ſuſpenſus, non transvolant.

Narrant quidam in partibus Indiæ inveniri Veſpertiliones, qui corporis quantitate nihil concedant Columbis noſtris, imo eas excedant; hi dentes dicuntur habere humanis ſimiles & morſu vehementi faciem impetere, hominique unico tractu avellere vel naſum demere: imo eo usque progrediuntur, ut aſſerant tantos reperiri Veſpertiliones ut alarum verbere homines proſternant, imo occidant.

MUSTELA,

A quibusdam populis, ut fama eſt, in cibum trahuntur, apud nos minime.

Veſpertilionis corpuſculum ablato capite exſiccatum & in pulverem contritum, (ut quibusdam placet) juvat hydropicos, ſi in vino, ſyrupo vel aqua convenienti eis exhibeatur. Hepate quoque & Liene affectis proprium remedium habetur. Pro Lienoſis commendat ARCULANUS pulverem Veſpertilionis aſſati: aliquoties autem maceratur

in

in aceto, ſiccatur in furno & pulvis datur ex cochleari cum ſuo aceto; idem ſentit AVICENNA dum agit de curatione ſcirrhi Lienis. Septem (inquit) Veſpertiliones pingues decollatos repurga & in vaſe vitreato acetum forte eis ſuperfunde, vasque luto obſtructum in furnum impone, ut decoquantur, tum vaſe extracto & refrigerato, Veſpertiliones in aceto digitis diſſolve, inde propinabis quotidie drachmas duas; remedium eſt experimento probatum.

PLINIUS, MARCELLUS, JOEL, FORESTUS docent paſſioni Iliacæ reſiſti SANGUINE DISCERPTI VESPERTILIONIS, eoque illito ventre ſubveniri. Idem ſanguis cum carduo contra ſerpentum ictus inter præcipua remedia dilaudatur. Cæterum ſanguis Veſpertilionis pſilotrum medicamentum eſt, id eſt depilatorium: ſi igitur oculi infeſtentur pilis palpebrarum (inquit inter alios SERENUS)

Ergo locum crinis vulſi continge cruore
Quem dat avis, tremulis ſimulat quæ pellibus alas.

URINA dicitur abſtergere & valde calefacere, ungulam & albuginem curare.

COR & LINGUA hydrophobiam inducere fertur. CAPUT autem dextro alligatum bracchio vigilantis ſomnum impedire dicitur. Magicæ revera vanitatis eſt, juxta JONSTONUM, quod tradunt, ſi ter circumlatus domui Veſpertilio vivus per feneſtram inverſo capite infigatur amuletum eſſe, præſertim ovilibus circumlatus toties & pedibus ſuſpenſus in ſuperliminari.

SPINÆ MUSTELÆ PISCIS.

Sunt oſſicula acuta & ſpinoſa, ſecundum longitudinem piſcis Muſtelæ extenſa, coloris albicantis, ſapore & odore carentia.

CARNEM

MUSTELA, Græce dicitur γαῦρος, GOBIUS FLUVIATILIS, LOTTA GALLICA, ein Ruffolck/ Aalrup/ Aalraup/ Ohlrup/ Quappen/ LOTTE.

Piſcis eſt, ut SCHWENCKFELDT deſcribit, ex Anguillarum genere, longiuſculus, craſſus, capitoſus, pelle obſcura aliquando ſubflavente, maculis & punctulis innumeris ceu aſteriſcis nigris & luteſcentibus reſperſa adde cum SEBIZIO, viſcoſa & lubrica. Venter albus eſt. Pinnis donatur ſenis lividis maculoſis, quatuor ad branchias ſitæ ſunt, & quidem majores duæ ad latera, reliquæ minores in imo ventre. Duæ tandem ſolitariæ, una dorſi, altera ventris: utrasque a media fere piſcis parte ad caudam perpetue excurrentes, cauda excipit latiuſcula, maculis obſcure coeruleis plena. Podex in medio ventre apparet. A mento apophyſes dependunt longiuſculæ ternæ, binæ aliæ minutiſſimæ ad latus utrumque mandibulæ ſuperioris, ceu vermiculi quidem viſuntur. Oculi cærulei iride emicante aurei coloris. Oris rictum ampliſſimum Ranæ inſtar conſtituunt aſperiuſculæ. Lingua albet lata. Faucibus apponitur gula ampla, quæ recipit ventriculum craſſum, intus rugoſum, plicis acetabulisque refertum, forinſecus ad inteſtini exortum appendiculæ plurimæ Lumbricorum inſtar hærent, eum nonnihil amplexantes. Inteſtinum ſenſim graciſeſcens ad podicem fere avellanæ minoris magnitudine protuberat, excrementa collecta per podicem rejiciens. Hepar pallet maximum, cui jungitur fel longiuſculum transparens & inſtar Smaragdi virens. Lien obſcure rubet, triquetræ fere figuræ, longiuſculus. In capite gerit oſſiculum ſeu lapillum duplicem, Percarum fere, candidum, triplo majorem; differt magnitudine & colore.

Fluviatilis eſt piſcis & in fluviis hyeme & æſtate capitur Nutritur

limo,

limo, muco, ligno putrido, nec piſciculis parcit. Ter in anno partum edere ſunt qui dicunt, circa ſolſtitium hybernum nimirum, Decembri, Aprili, & Autumno.

Muſtelam fluviatilem cum ranis aquaticis coire quidam crediderunt, ſed contrarium experientia evincit, uti diſſerit ſupra citatus SCHWENCLFELDT. Piſcis hic voraciſſimus & inſidioſus hamis & retibus capitur.

IN

CARNEM Muſtela ſive Lotta habet albam, mollem, dulcem, glutinoſam, palato non ingratam, minus lentoris obtinet quam anguillarum. Tota Muſtela cocta & comeſta adhiberi ſolet contra caducum ſeu epilepſiam puerorum. Salubrior molliorque eſt Muſtela fluviatilis, præſertim quæ in puris rapidisque fluminibus degit: deterior quæ vel ſtagna & paludes incolit, vel fluvios turbidos tardeque currentes ſectatur, admodum enim viſcoſa eſt: ori ingrata: facile in ventriculo corruptibilis. Febribus gignendis opportuna. Laudantur quam maxime menſe Decrembri.

HEPAR pro ſummis habetur delitiis, ſuaviſſimi enim eſt ſaporis: celèbratur potiſſimum ante Natalem Dominicum: circa partum improbatur. Hepar hoc liqueſcit in liquorem oleaginoſum pro uſu ophthalmico; quando ſcilicet in vitro claudendo ſuſpenditur & exponitur leni Solis calori. Unde æſtivo magis quam hyberno tempore, parari debet, hyemali enim tempore, dum Muſtelæ ova generant & fœcundantur hepar non liqueſcit ſed fruſtra tentatur proceſſu, juxta ETTMULLERUM. Liquor eſt oleoſus & clarus obſcure flaveſcens, in quem totum hepar reſolvitur, exceptis quibusdam membranulis & cuticula. Liquor hic igneæ & penetrantiſſimæ eſt naturæ & ſingulare ſpecificum in deficiente viſu, vel in debilitate viſus, nubeculis, albugine panno, ſuffuſionibus, omnibusque oculorum affectibus, quæ

 hebe-

hebetudinem viſus inferunt & deterſione atque mundificatione opus habent, adeo ut difficulter reperiatur remedium, quod huic liquori ex Epate Muſtelæ piſcis ſit par. Duplici autem modo adhibetur: vel primo ſaltem illinitur palpebris cavendo, ne in oculum penetret hujus ignea vis: ſecundo ſi ipſi oculo tantillum illinitur, ubi fortius agendum. Singulariſſimum & expertum ejus uſum primus celebrem reddidit FORESTVS, qui refert viſum, qui fuit omnino depravatus propter acres humores; oculorum nervos occupantes, fuiſſe reſtitutum ex liquore hoc illito palpebris oculorum. Multum etiam commendatur ab HARTMANNO quem ſecutus eſt LINDANUS. Nam in frequenti & felici uſu eſt apud Belgas, in ſpecie in defectu viſus & lucis oculorum. Loco hujus jecoris muſtelæ piſcis poſſunt ſubſtitui ejusdem inteſtina, ſi eodem modo per inſolationem in calore ſolis convertuntur in liquorem.

VENTRICVLVS cum ſuis appendicibus exſiccatur, in pulverem redactus & cum vino exhibitus mirifice extrahere dicitur ſecundinam poſt partum relictam teſte ENCELIO. Dicitur etiam colicos ſedare dolores.

SPINA Muſtelæ piſcis pulveriſata, vel alio modo præparata, uſurpari ſolet contra epilepſiam affectusque convulſivos: præprimis ſi ex vivente extrahatur: ſpecifica quoque eſt contra pleuritidem, & ſolet miſceri cum pulveribus pleuriticis.

IN OFFICINIS PROSTAT.

Pulvis epilepticus niger Küfferi, Dr. Küffers ſchwartz Gichtpulver. *Poudre contre l'epilepſie noire de Küffer.* Agnoſcit pro ingrediente ſpinas Muſtelarum, de quo pulvere jam ſub Hirundinibus dictum.

SYLLABUS

SYLLABUS REMEDIORUM, JUXTA PARTES CONSTITUTIVAS.

EX REGNO VEGETABILI.

SALE VOLATILI OLEOSO CONSTANT. Radix Aſari Canadenſis: pag. 1. ad 2. Cortex Anagyridis fœtidæ: p. 91.

SALE VOLATILI DULCEDINE JUNCTA CONSTANT. Radices Angelicæ lucidæ Canadenſis: Geranii triſtis; Mutellinæ, Liguſtici quorumdam foliis Aquilegiæ: Paſtinacæ Echinophoræ Apulæ: Paſtinacæ marinæ: p. 2. ad 6.

SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO MIXTIS PARTICULIS TERREIS ET SALINIS FIXIS CONSTANT. Radices Bubonii lutei; Cyperoidis: Ephemeri Matthioli: Gladioli: Ononidis luteæ non ſpinoſæ: Petaſitis albi: Spatulæ fœtidae: p. 6. ad 11.

SALE AROMATICO BLANDO SEU MITIORI. CUM VIRTUTE DIURETICA APERIENTE ET BLANDE SUDORIFERA CONSTANT. Radices Acarnæ: Polygoni cocciferi Polonici: Tordylii: Thyſſelini: p. 11. ad 16.

SALE VOLATILI AROMATICO SPIRITUOSO ET PENETRANTE ET PAUCO ACIDO VOLATILI CONSTANT. Radices Allii ſphærocephali: Moly anguſtifolii: Moly latifolii: Moly lutei: Scorodpraſi.: p. 7. ad 19.

SALE VOLATILI ACERRIMO ABSQUE OLEO GAUDENT Radices Ariſari: Ari Æthiopici: Dracunculi aquatici: Pancratii Monſpeſſulani: p. 20. ad 23 Fungi piperini. p. 105. ad 106.

SALE ACRI FIXO ABSQUE OLEO POLLENT. Radices Apii riſus: Chamælæontis nigri: Pimpinellæ ſaxifragæ minoris: Ranunculi flammei majoris: Raphani aquaticj: p. 23. ad 27.

SALE ACRI ABSQUE OLEO TAM FIXO QUAM VOLATILI. Radix Spinæ Solſtitialis: p. 28.

SALE

SALE BLANDO BALSAMICO CONSTANS. Radix Carlinæ gummiferæ: p. 28. ad 29.

SALE VOLATILI BLANDO CUM TEMPERATA TENUI VISCOSITATE POLLENT. Radices Archangelicæ: Cachrys: Cicutariæ odoratæ bulboſæ: Serratulæ: p. 29. ad 32. Fungi Divi Georgii: p. 104. ad 105.

SALE BLANDO FIXO TENUI VISCOSITATI INCLUSO CONSTANT. Radices Cichorii bulboſi: Eryngii marini: Eryngii nothi: Moſchatellinæ: Spinæ luteæ: p. 32. ad 36.

SALE BLANDO DIURETICO GAUDENT. Radices Corrudæ: Graminis nodoſi: Oenanthes apii folio: Oxalidis maximæ: Rapi Geniſtæ: Rubiæ arboreſcentis; Saxifragæ Matthioli; Tripolii: pag. 36. ad 42.

SALE AMARO FIXO POLLENT. Radices Apii montani: Cicutariæ rubræ Gentianellæ Alpinæ magno flore: Gentianæ majoris purpureæ & albæ: Gentianæ punctato flore: Gentianæ purpureæ: Lilionarciſſi: Ornithogali vulgaris majoris & minoris: Panacis Coſtini: Pneumonanthes: Stœchadis Neapolitanæ: p. 42. ad 50.

SALE FIXO CUM PAUCO VOLATILI INCLUSO RESINÆ CONSTANT. Radices Ariſtolochiæ Maurorum: Filicis ramoſæ minoris: Oenanthes ſucco viroſo Cicutæ facie: p. 50. ad 52.

RADICES PURGANTES SALE FIXO RESINÆ INCLUSO CONSTANTES. Radices Convolvuli maritimi zeylanici: Muſcari: Scammoneæ Creticæ: Solani ſpinoſi arboreſcentis promontorii bonæ ſpei: p. 52. ad 55.

RADICES SALE EIXO ACRI CONSTANTES ET VEHEMENTISSIME PURGANTES. Radices Apios: Bryoniæ Zeylanicæ: Cneori: Ranunculi tuberoſi: Tithymali Characias: Tithymali maritimi purpuraſcentibus floribus: Tithymali non acris: Thapſiæ Salmanticenſis. Thymelææ Monſpeliacæ: p. 55. ad 62.

RADICES SALE PURGANTE BLANDO CONSTANTES ET VULGO LAXANTES. Radices Lapathi acuti criſpi: Splith: p. 62. ad 64.

PARTICULIS DULCIBUS SEU BLANDE VISCOSIS CUM DULCEDINE CONSTANT. Radices Aſtragali Monſpeſſulani: Campanulæ Alpinæ Tragopogi folio: Campanulæ ſylveſtris: Chryſanthemi

themi Canadenſis ſtrumoſi: Graminis Crucis: Hyacinthi Orientalis: Hyacinthi tuberoſa radice: Lilio Hyacinthi: Orchidis odoratæ: Siſyrinchij: Teſticuli Hircini: Xiphionis: p. 64. ad 72.

AQUOSIS CRASSIS SEU MUCILAGINOSIS GAUDENT. Radices Acarnæ Theophraſti: Althææ Ricini folio Virginianæ: Anacampſerotis minoris: Bugloſſi foliis Borraginis Hiſpanici: Poterij: Symphyti tuberoſi: Tatariæ Hungaricæ: p. 73. ad 77.

MUCAGINE TENUIORE PAUCIS FIXIS SALINIS CONSTANT. Radices Cardui Eryngoidis: Junci floridi: Liliaſtri: Lyſimachiæ Chamænerij: Ornithogali ſpicati: p. 77. ad 80.

PARTICULIS TERREIS CONSTANT: Radices Biſtortæ Alpinæ maximæ: Caryophyllatæ nutante flore: Erinaceæ: Gallij montani Cretici: Geranij ſanguinei: Guayavæ: Halimi: Nigellaſtri: Paliuri: Quinquefolij albi: Quinquefolij fragiferi: Scirpi: Sparganij: Tormentillæ Alpinæ: Uvæ Quercinæ: p. 81. ad 90. Cortex Simarouba. p. 95. ad 99. Lignum Cedri: Lignum Oſtryæ: p. 102. ad 104. Fungi albi venenati viſcidi: Fungus fatuus: Fungus fimetarius: Fungus luteus Jaſeran: Fungi Muſcarij: p. 106. ad 114.

SALE FIXO AMARISSIMO POLLENT. Cortices Eſulæ majoris: Platani: Sambuci aquaticæ: p. 91. ad 94. Lignum Corni fœminæ p. 102.

SALE EIXO DIURETICO GAUDET. Cortex Azedarach: p. 94. ad 95.

SALE OLEOSO AROMATICO CONSTANT, Lignum Citri: Lignum St Luciæ, Lignum Oxicedri. p. 99. ad 101.

SALE VOLATILI OLEOSO AROMATICO GAUDENT. Semina fœniculi dulcis: Fœniculi petræi: Liguſtici aquilegiæ folio: Liguſtici quorumdam foliis Angelicæ: Quamoclit: p. 114. ad 117.

SALE VOLATILI AROMATICO CUM BLANDA VISCOSITATE CONSTANT. Semina Cedri: Seſeli Æthiopici: Siſonis ſive Amomi officinarum: Smyrnii Cretici: Tordylij: p. 117. ad 120.

SALE AROMATICO BLANDO CONFORTANTE POLLENT. Limones: Semen Nigellæ arvenſis: Orleana: Poma Adami: p. 120. ad 132.

SALIBUS ACRIBUS FIXIS CONSTANT. Semina Heſperidis: Melampyri lutei: Myagri dicti Camelinæ: Napi ſylveſtris: Rapiſtri:

Rapiſtri albi: Scorpioidis: Thlaspios Cretici: Thlaspios latioris: Violæ Lunariæ: p. 132. ad 139.

SALE VOLATILI ACRI CUM OLEO CRASSO POLLENT Semina Bupleuri: Cichorii verrucarii: p. 139. ad 140.

SALE FIXO AMARO GAUDENT. Semina Azedarach: Corni fœminæ: Galegæ nemorenſis vernæ: Geniſtæ tinctoriæ: Lycij: Lycij Cretici Alpini: Nigellaſtri: Nigellæ Creticæ odoratæ: Ocimaſtri: Pelecini: Phillyreæ anguſtifoliæ: Phillyreæ latifoliæ: Sapindi: Stoebes Salmanticæ: p. 140. ad 150.

SALE BLANDO DIURETICO CONSTANT. Semina Ciſti folio Salicis: Coridis: Corrudæ: Ericæ bacciferæ: Ericæ bacciferæ Luſitanicæ: Graminis Crucis: Graminis pratenſis ſpica arundinacea: Lithoſpermi nigri: Ornithopodii: Spinachiæ fragiferæ: Tribuli terreſtris: p. 150 ad 157.

SALE PURGANTE ACERRIMO POLLENT. Semina Ahouai: Chameleæ tricoccæ: Lauri Tini: Peponis ſylveſtris: Sanamundæ glabræ: Thymelææ Monſpeliacæ: p. 157. ad 164.

SALE ACRI PURGANTE TAM FIXO QUAM VOLATILI GAUDENT. Semina Anagarydis fœtidæ: Been albi officinarum: Colocynthidis turbinatæ: Crotolariæ: Pepli: Spartii: Spergulæ: p. 164. ad 169.

SALE PURGANTE TAM FIXO QUAM VOLATILI OLEO CRASSO INCLUSO CONSTANT. Semina Geniſtæ Hiſpanicæ: Nil Arabum: Sambuci Aquaticæ: p. 169. ad 171,

BLANDA VISCOSITATE GAUDENT. Semina Graminis Mannæ: Hyacynthi Orientalis: Phalangij: p. 171. ad 173.

SUBDULCIBUS PARTICULIS ET OLEOSIS TEMPERATIS POLLENT. Fructus Acajou: Guajavæ: Oleaſtri: PandiBavel: Pyri Cervinæ Dioſpyri: Vitis Idææ magnæ: p. 173. ad 179.

PARTICULIS DULCIBUS VISCOSIS CONSTANT. Ficus Hottentotorum: Fructus floris Paſſionis: Opuntiæ: Oxycocci: Paliuri: p. 179. ad 186.

PARTICULIS AQUOSIS ET CRASSIS CUM OLEO PAUCO CONSTANT. Fructus Cucumeris Ægyptiis Chate: Cucurbitæ clypeiformis: Cucurbitæ lagenariæ: Cucurbitæ pyriformis: Semina Lactucæ ſylveſtris: Lactucæ ſylveſtris odore viroſo; Mala Æthiopica; Semina

Me-

Melochiæ: Fructus Papayæ: Baccæ Sambuci racemoſæ rubræ: p. 186. ad 193.

PARTICULIS CRASSIS AQUOSIS ABSQUE OLEO SE TAM SUBITO MANIFESTANTE POLLENT. Semina Bamiæ: Grana Bromi: Semina Craccæ majoris: Craccæ minoris: Fabæ ſylveſtres: Semina Lablab: Lini arvenſis: Grana Lolij: Fructus Luffæ Arabum: Semina Lupini lutei: Phalaridis: Phaſeoli Italici humilis ſeu minoris albi; Piſi cordati: p. 193. ad 203.

MUCAGINE VOLATILI GAUDENT. Clavi ſiliginis: Semina Hypecoi: Meliloti cujusdam Creticæ: Papaveris ſpinoſi: Baccæ Solani ſpinoſi arboreſcentis promontorij bonæ ſpei: Semina trifolij bituminoſi: p. 203. ad 211.

PARTICULIS TERREIS CONSTANT. Semina Aphacæ: Aſtragali Monſpeſſulani: Fructus Ceraſiæ racemos: Cotoneaſtri: Semina Graminis generis dens caninus dicti: Junci: Junci floridi: Limonij: Meliloti Ægyptiacæ Alchimelech: Fructus Meſpili Aroniæ: Pilulæ foliorum Quercus: Platani: Semina Quinquefolij fragiferi: Sophia Chirurgorum: Fructus Sorbi Alpinæ: Baccæ vitis Ideææ fructu rubro: Fructus Uvæ marinæ: Baccæ Uvæ Urſi. p. 211. ad 224.

PLANTÆ SALE VOLATILI OLEOSO SEU AROMATICO CONSTANTES. Camphorata: Camphoratæ congener: Calamintha arvenſis: Clinopodium Origani facie: Geranium Africanum Ibiſci folio rotundo Carlinæ odore: Geranium Malvæ folio odorato: Lavandula multifida: Maru Creticum: Marum Cortuſi: Satureja montana: Tragoriganum Creticum. p. 225. ad 232.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI CUM QUIBUSDAM FIXIS CONSTANTES, Buphthalmum: Calamintha incana: Calamintha montana præſtantior: Calamintha pulegij odore: Conyza cærulea acris: Hyſſopus Græcorum: Lotus odorata: Matricaria flore pleno: Matricaria odorata: Mentha odore Ocymi: Mentha ſpicata folio longiore nigriori: Mentha ſpicata variegata: Pulegium Cervinum: Roſmarinus ſylveſtris: Roſmarinus ſylveſtris minor. p. 232. ad 245.

PLANTÆ SALE AROMATICO VOLATILI OLEOSO CUM MULTO FIXO POLLENTES. Abſinthium inſipidum: Abſinthium maritimum: Abſinthium montanum: Cannabina: Hypericum fœtidum: Lamium ſylvaticum fœtidum: Marrubium Creticum: Meliſſa Tragi:

Pſeudodictamnus : Ruta ſylveſtris major : Ruta ſylveſtris minor : Scandix Italica : Tanacetum criſpum : Thyſſelinum. p. 246. ad 256.

PLANTÆ SALE AROMATICO CUM PAUCA RESINA GAUDENTES Heliochryſos Tragi : Linaria trifolia : Nerium Alpinum glabrum : Nerium Alpinum hirſutum : Roſmarinus Stœchadis facie: Saxifraga Anglorum : Thalictrum Canadenſe. p. 256. ad 261.

PLANTÆ SALE BLANDO CUM PAUCO VOLATILI CONSTANTES. Botrys Chamædryoides : Chamædrys ſpuria fœmina : Chamædrys ſpuria mas : Galega montana : Iva moſchata. p. 261. ad 264.

PLANTÆ SALE BLANDO FIXO CUM QUIBUSDAM TERREIS CONSTANTES. Alga Vitriariorum : Anagallis lutea : Anthyllis leguminoſa : Bellis ramoſa umbellifera : Capnoides : Cervicaria minor : Cichorium ſpinoſum : Elatine : Eryngium Americanum fœtidum : Hedyſarum clypeatum: Hypericum Androsæmum: Hypericum Aſcyrum: Laburnum : Lychnis incana repens : Oxalis montana : Oxalis ovina : Rubia Cynanchica : Saxifraga Matthioli : Valeriana Græca : Verbeſina : Veronica fœmina : Veronica Saxatilis. p. 265. ad 281.

PLANTÆ SALE AROMATICO OLEOSO PENETRANTISSIMO CUM ACIDO VOLATILI CONSTANTES. Ariſarum: Auricula muris Camerarij : Cakile : Eruca ſylveſtris : Salvia ſylveſtris : Scordotis : Scorodopraſum. p. 281. ad 286.

PLANTA SALE VOLATILI ACRI CONSTANTES ABSQUE OLEO VOLATILI Apium riſus : Draba : Erucago : Gingidium : Heliotropium ſupinum : Helleborine : Herba alba : Heſperis : Lunaria biſcutata : Naſturtium verrucoſum : Pimpinella ſaxifraga minor: Platanus : Rapiſtrum monoſpermon : Split : p. 286 ad 297.

PLANTÆ SALIBUS FIXIS SEU AMARIS CONSTANTES CUM PAUCO VOLATILI SALE Æthiopis : Bupleurum : Cannabis ſylveſtris : Caſſida : Centaurium luteum : Conyza cœrulea : Cotyledon aquatica : Cyanus arboreſcens : Elichryſum foliis abrotani : Euphraſia rubra : Fabago : Gentianella Hippion : Holoſtium Caryophyllæum : Hyoſeris : Hyppochoeris : Jacobæa marina ſive Cineraria : Kali : Linaria Bellidis folio : Linaria Belvidere : Pandi Bavel : Panax Coſtinum : Salicornia : Samolus : Scorpioides ; Stœbe Salmantica, p. 297. ad 316.

PLANTÆ

PLANTÆ PURGANTES. Alhagi Maurorum: Anagyris fœtida: Apocinum: Atriplex maritima: Atriplex pes anſerinus: Azedarach: Beidelzar: Chamelæa Tricoccos: Chamælyce: Cneorum: Cicutaria apii folio: Cicutaria aquatica: Flammula Ranunculus: Fritillaria craſſa: Oenanthe ſuccoviroſo: Cicutæ facie: Periploca: Ranunculus Æthiopicus: Ranunculus flammeus major: Ranunculus fluviatilis hederaceus: Sanamunda Kali foliis: Seſamoides parvum Dalechampii: Tartonaire Maſſilienſium: Thora major: Tithymalus Characias: Tithymalus ſoliſequus: Trollius flos: Thymelæa Monſpeliaca. p. 317. ad 337.

PLANTÆ CONSTANTES SALE NITROSO LAXANTE. Acetabulum: Alſine ſerrato folio glabro: Alſine ſerrato folio hirſutiori: Androſace: Aſarina: Attractylis lutea: Auricula Urſi Myconi: Balſamina lutea: Been album officinarum: Caryophyllus ſylveſtris vulgatiſſimus: Cepæa: Cineraria: Convolvulus niger: Cynocrambe: Dorycnium: Emerus: Gramen nodoſum: Gramen Triglochin: Hedyſarum triphyllum Canadenſe: Hieracium: Echioides capitulis Cardui Benedicti: Leontopodium Candiæ: Medica ſylveſtris: Muſcipula: Nigellaſtrum: Ornithopodium: Onobrychis: Phyllon Arrhegonon & Thelygonon: Quadrifolium: Quamoclit: Tragum. p. 339. ad 362.

PLANTÆ CONSTANTES PARTICULIS AQUOSIS CRASSIS. Abutilon: Aloë: Americana: Aloë paluſtris: Alſine triphyllos cærulea: Amaranthus globoſus: Anacampſeros minor: Aralia: Aſperugo: Balſamina fœmina: Borrago ſylveſtris: Braſſica campeſtris: Braſſica maritima: Bugloſſum folio Borraginis Hiſpanicum: Campanula Perſicifolia: Carduus pratenſis: Cauda murina: Chondrilla: Cichorium verrucarium: Damaſonium: Echinopus: Ephemerum Matthioli: Epimedium: Geranium triſte: Glaux: Gramen floridum: Lactuca marina: Lactuca ſylveſtris: Lactuca ſylveſtris odore viroſo: Lapathum acutum criſpum: Lentibularia: Linum ſylveſtre: Lychnis coronaria: Lyſimachia Chamœnereon: Malva criſpa: Medica: Melochia: Millefolium aquaticum pennatum: Morſus Ranæ: Opuntia: Papaver ſpinoſum: Papyrus: Pinguicula: Potamogeton: Rapiſtrum: Sabdariffa: Sedum Africanum foliis orbiculatis: Sedum minus: Sedum minus teres: Sedum ſerratum: Sedum tridactylites tectorum: Solanum verticillatum: Vermicularis: Viola aquatica. p. 362. ad 420.

PLANTÆ TERREIS CONSTANTES: Adrachne: Amaranthus Tricolor: Bangue: Bugula Luſitanica: Carlina ſylveſtris quibusdam Atractylis: Carpinus: Chamædrys Alpina: Cotonaſter: Criſta Galli: Equiſetum majus Aquaticum: Ferrum Equinum: Geranium Columbinum: Geranium ſanguineum: Guayava. Hedera poëtica: Hieracium macrorhizon: Hieracium ſtellatum: Hordeum murinum: Labruſca: Lytophyton: Madrepora: Marrubium aquaticum: Mollugo: Muſcus terreſtris & hortenſis: Onagra: Odontitis lutea: Oleaſter: Ornithopodium tuberoſum: Oxycoccus: Paliurus: Paronychia: Pedicularis flore rubro & albo: Pentaphyllum flore: Phalangium: Phlomis; Polygonum Knauel: Polygonum tenuifolium: Quinquefolium fragiferum: Sagitta: Scabioſa minor: Serratula: Sophia Chirurgorum: Spiræa: Spongia: Statice: Thymus inodorus: Tribulus terreſtris: Trifolium bituminoſum: Tuberaria: Tubularia: Verbaſculum Salvifolium: Verbena ſupina: Vitis Idæa fructu rubro: Vitis Idæa magna: Xeranthemum ſive Ptarmica. p. 420 ad 465.

PLANTÆ PARTICULIS TERREIS TEMPERATIS ET BLANDIS VOLATILIBUS CONSTANTES. Anthyllis Cretica montana: Been album officinarum: Coronopus ſerpentina: Cynogloſſum minus: Filix ſaxatilis: Gramen oſſifragum: Halimus: Lichen ſive Hepatica fontana: Linagroſtis: Lonchitis minor: Phillyrea: Phillyrea anguſtifolia: Scabioſa arboreſcens: Terracrepola: Trifolium corniculatum. p. 465. ad 476.

FLORES SALIBUS VOLATILIBUS OLEOSIS SEU AROMATICIS CONSTANTES. Flores Coluteæ Scorpioidis: Cardui capite tomentoſo: Gingidii: Hyacynthi tuberoſa radice: Jasmini: Loti odoratæ: Sambuci aquaticæ: Stœchadis Neapolitanæ. p. 476. ad 482.

FLORES MUCAGINE TENUI POLLENTES. Flores Coronillæ: Lamii lutei: Verbaſci ſalvifolii. p. 482. ad 483.

FLORES SALE FIXO CUM PAUCIS VOLATILIBUS CONSTANTES. Flores Ariſari: Bellidis luteæ: Buphthalmi: Calthæ minimæ: Cyani arboreſcentis: Adonidis: Geniſtellæ: Geniſtæ Hiſpanicæ: Geniſtæ tinctoriæ: Heliochryſi Tragi: Heſperidis: Pneumonanthes: Scabioſæ arboreſcentis: Spartii: Spinæ ſolſtitialis. p. 484. ad 491.

FLORES AQUEIS CONSTANTES. Flores Cinaræ ſylveſtris: Cynani majoris: Lilio aſphodeli: Lilio narciſſi, Pſeudo aſphodeli. pag. 491. ad 495.

FLORES MUCAGINE CRASSA CONSTANTES. Chryſanthemum: Liliaſtrum. p. 495. ad 496.

FLORES TERREIS CONSTANTES. Flores Auriculæ muris pulchro flore albo: Azedarach: Phalangii: Millefoli nobilis Tragi: Stœchadis folio ſerrato. p. 496. ad 499.

RESINA SPISSIOR ET SOLIDIOR, ARIDIOR, SALE OLEOSO CONSTANS. Cedria. p. 499. ad 500.

SUCCI PURGANTES FORTIORES ScammoneumMonſpeliacum: Tithymali arboreæ ſuccus. p 500. ad 501.

SUCCI TERREIS CONSTANTES. Indicus color: Torna Solis. p. 501. ad 506.

EX REGNO ANIMALI.

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI OLEOSO CUM MULTIS TERREIS CONSTANTES. Ægagropila: Cholelithus: Cornua ſcarabæi cornuti: Fel Caprei: Fel Milvi: Fimus Columbinus: Hippomanes: Hippolithus: Lapis Chelidonius: Muſcerda: Nidus Hirundinum: Oſſa Pici: Operculum Cochleæ: Lapis porcinus vulgo Pedra del Porco: Pennæ Perdicum: Pennæ Attagenis: Scarabæus ſtercorum: Stercus Ciconiæ: Stercus Cornicis: Stercus Cuculi: Stercus Falconis Stercus Gliris: Stercus Luteolæ: Stercus Merulæ: Stercus Pavonis: Stercus Sturni: Stercus Turdi: Stercus Anſeris feri: Ungues accipitris: Ungues Lyncis: Ungula Muli. pag. 507. ad 671.

PARS ANIMALIS SALE VOLATILI OLEOSO CUM ODORE FRAGRANTISSIMO CONSTANS. Fimus Martis p. 670 ad 674.

PARTES ANIMALES SALE VOLATILI CUM MULTA PINGUEDINE CONSTANTES. Adeps Angillæ: Adeps Phaſiani: Adeps Turturis: Axungia anatis: Axungia anſeris: Axungia ardeæ: Axungia Cati ſylveſtris: Axungia Coturnicis: Axungia Cuniculi; Adeps Cygni;

gni: Axungia Lutræ: Axungia muris montani: Axungia Taxi: Axungia Thymalli: Axungia Urſi: Hippoſorchides. p. 675. ad 772.

ANIMALIA ET PARTES ANIMALIUM SALE VOLATILI BLANDO CONSTANTES. Capita Muſcarum: Caput Felinum: Caro Aureolæ: Caro Carduelis: Caro Coccothrauſtæ: Caro Curviroſtræ: Caro Erinacei: Caro Fringillæ: Caro Galli Indici: Caro Luſciniæ: Caro Motacillæ: Caro Muſtelæ: Caro Porcelli frumentarii: Caro Sciuri: Cerebrum Paſſeris: Cerebrum Picæ: Cor Corvorum: Cor Fulicæ: Corona Serpentum: Exuviæ Serpentum: Hippentera: Parus: Sanguis Alaudæ: Sanguis Aſini: Sanguis Mergi: Sanguis Noctuæ: Sanguis Talpæ: Sanguis Veſpertilionis: Spinæ Muſtelæ piſcis. p. 772. ad 894.

INDEX

MATERIÆ MEDICÆ.

A.

ABſynthium inſipidum 246
Abſinthium maritimum 247
Abſinthium montanum 248
Abutilon 263
Acajou fructus 173
Acarnæ radix 11
Acarnæ Theophraſti radix 73
Accipitris ungues 658
Acetabulum 841
Adonis flos 486
Adrachne 422
Ægagropila 508
Æthiopis 298
Ahouai ſemen 158
Alaudæ ſanguis 860
Alga vitriariorum 266
Alhagi Maurorum 318
Alii Sphærocephali radix 17
Aloë Americana 364
Paluſtris 381

Alſine

Alſine ſerrato folio glabro 342
hirſutiori 342
triphyllos cœrulea 382
Althææ Ricini folio
Virginianæ radix 73
Amaranthus globoſus 382
Tricolor 422
Anacampſeros minor 383
radix 74
Anagallis Lutea 267
Anagyris fœtida 319
Semen 165
Cortex 91
Anatis axungia 691
Androſace 343
Angelicæ Lucidæ Canadenſis radix 2
Anguillæ adeps 675
Anſeris axungia 695
feri ſtercus 657
Anthyllis Cretica maritima 466
Leguminoſa 267
Aphacæ ſemen 212
Apios radix 55
Apium montanum radix 43
riſus herba 287
radix 23
Apocynum 319
Aralia 384
Archangelicæ radix 30
Ardeæ axungia 704
Ariſarum herba 281
flores 484
radix 20
Ariſtolochiæ Maurorum radix 50
Ari Æthiopici radix 20
Aſarina 344
Aſari Canadenſis radix 1
Aſini ſanguis 864
Aſperugo 384
Aſtragali Monſpeſſulani radix 65
ſemen 213
Atriplex maritima 320
pes anſerinus 321
Attagenis pennæ 604
Attractylis Lutea 345
Aureolæ caro 788
Auricula muris Camerarii 282
pulchro flore albo 496
Urſi Myconi 345
Azedarach herba 321
Cortex 94
Semen 141
Flores 497

B.

Balſamina fœmina 385
lutea 346
Bamiæ ſemen 193
Bangue 423
Been album officinarum 347. & 466
Semen 165
Beidelzar 322
Bellidis Luteæ flores 485
Bellis ramoſa umbellifera 268
Biſtortæ Alpinæ maximæ radix 81
Borrago ſylveſtris 386
Botrys Chamædryoides 261
Braſſica Campeſtris 386
maritima 387
Bromi ſemen 195
Bryoniæ Zeylanicæ radix 56

Bubonii Lutei radix 6
Bugloſſum folio Boraginis Hiſpanicum: herba 388
radix 74
Bugula Luſitanica 424
Buphthalmi herba 233
flores 485
Bupleuri herba 299
ſemen 139

C.

Cachrys radix 30
Cakile 283
Calamintha arvenſis 227
incana 234
Montana præſtantior 234
Pulegii odore 235
Calthæ minimæ flores 485
Campanulæ Alpinæ Tragopogi folio radix 65
Perſicifolia 388
repentis radix 66
Camphorata 225
Camphoratæ congener 226
Cannabina 248
Cannabis ſylveſtris 300
Capnoides 269
Caprei fel 522
Carduelis caro 789
Cardui capite tomentoſo flores 477
Eryngoidis radix 77
Carduus pratenſis 389
Cartinæ Gummiferæ radix 28
Carlinæ ſylveſtris quibusdam Attractilis 425
Carpinus 426
Caryophyllatæ nutante flore radix 82
Caryophyllus ſylveſtris vulgatiſſimus 348
Caſſida 300
Cati ſylveſtris axungia 709
Cauda murina 389
Cedria ſuccus 499
Cedri Lignum 102
Semen 117
Centaurium Luteum 301
Cepæa 348
Ceraſi racemoſæ ſemen 213
Cervicaria minor 269
Chamædrys alpina 427
ſpuria fœmina 262
mas 263
Chamelæa Tricoccos herba 323
ſemen 159
Chamæleonis Nigri radix 23
Chamæſyce 324
Chelidonius Lapis 546
Cholelithus 517
Chondrilla 390
Chryſanthemi flores 495
Canadenſis ſtrumoſa radix 66
Cichorii bulboſi radix 33
Cichorium Spinoſum 270
Cichorii verrucarii herba 391
ſemen 140
Ciconiæ ſtercus 609
Cicutaria apii folio 325
aquatica 326

Cicu-

Cicutariæ odoratæ bulboſæ radix 31
Cicutariæ rubræ radix 44
Cinaræ ſylveſtris flores 492
Cineraria 349
Ciſti folio Salicis ſemen 151
Citri Lignum 100
Clavi ſiliginis 204
Clinopodium origani facie 227
Cneori herba 325
radix 57
Cochleæ operculum 571
Cocothrauſtæ caro 790
Colocyrthidis turbinatæ ſemen 166
Columbinus fimus 528
Coluteæ Scorpioidis flores 477
Convolvuli maritimi zeylanici radix 52
Convolvulus niger 350
Conyza cœrulea 302
acris 236
Coridis ſemen 152
Corni fœminæ ſemen 142
Cornicis ſtercus 619
Coronillæ flores 482
Coronopus ſerpentina 467
Corrudæ radix 37
ſemen 152
Corvorum Cor 825
Cotonaſter 427
Cotonaſtri herba 428
ſemen 214
Coturnicis axungia 711
Cotyledon aquatica 303
Craccæ majoris ſemen 195
Craccæ minoris ſemen 196
Criſta Galli 428
Crotolariæ ſemen 166
Cyani arboreſcentis herba 303
flores 486
Cyani majoris flores 492
Cygni adeps 721
Cynocrambe 357
Cynogloſſum minus 468
Cyperoidis radix 7
Cuculi ſtercus 625
Cucumeris, Ægyptiis Chate, ſemen 186
Cucurbitæ Clypeiformis ſemen 187
Lagenariæ ſemen 188
Pyſiformis ſemen 189
Cuniculi axungia 717
Curviroſtræ Caro 791

D.

Damaſonium 391
Draba 287
Dracunculi Aquatici radix 21
Dorycnium 352

E.

Echinopus 392
Elatine 271
Elichryſum foliis Abrotani 304
Emerus 353
Ephemeri Matthioli herba 393
radix 7
Epimedium 393
Equiſetum majus aquaticum 430
Ericæ Bacciferæ ſemen 153
Luſitanicæ ſemen 153

Erinaceæ radix 82
Erinacei Caro 793
Eruca ſylveſtris 283
Erucago 288
Eryngium Americanum fœtidum 272
Eryngii Marini radix 33
Nothi radix 34
Eſulæ majoris cortex 91
Euphraſia rubra 305

F.

Fabæ ſylveſtris ſemen 196
Fabago 306
Falconis ſtercus 631
Felinum caput 781
Ferrum equinum 431
Ficus Hottentotorum 180
Filicis racemoſæ minoris radix 51
Filix ſaxatilis 468
Flammula ranunculus 327
Floris paſſionis fructus 181
Fœniculi dulcis ſemen 115
Petræi ſemen ib.
Fringillæ caro 798
Fritillaria craſſa 327
Fulicæ cor 831
Fungi albi venenati viſcidi 106
Divi Georgii 104
Fatui 109
Fimetarii 110
Lutei Jaſeran 110
Muſcarii 113
Piperini 105

G.

Galega montana 268
Galegæ memorenſis vernæ ſemen 143
Galli Indici caro. 800
Gallii montani Cretici radix 83
Geniſtæ Hiſpanicæ flores 488
ſemen 169
Tinctoriæ flores 488
ſemen 143
Geniſtellæ flores 487
Gentianæ majoris purpureæ & albæ radix 45
punctato flore radix ib.
purpureæ radix 46
Gentianellæ Alpinæ magno flore radix 44
Gentianella Hippion 307
Geranium Africanum Ibiſci folio rotundo Carlinæ odore 228
Columbinum 432
Malvæ folio odorato 229
Sanguineum herba 433
radix 83
Triſte; herba 394
radix 3
Gingidii herba 289
flores 478
Gladioli radix 8
Glaux 394
Gliris ſtercus 634
Graminis crucis radix 67
ſemen 154

ge-

generis, dens caninus dicti, ſemen 215
Gramen floridum 395
Mannæ ſemen 171
Nodoſi herba 353
radix 38
Oſſifragum 469
Pratenſis ſpica arundinacea ſemen 154
Triglochin 354
Guayavæ herba 433
fructus 175
radix 84

H.

Halimi herba 470
radix 84
Hedera Poëtica 434
Hedyſarum Clypeatum 273
Hedyſarum triphyllum Canadenſe 354
Heliochryſos Tragi herba 256
flores 489
Heliotropium ſupinum 289
Helleborine 290
Herba alba 291
Heſperidis herba 292
flores 490
ſemen 133
Hieracium Echioides capitulis Cardui Benedicti 355
Macrorhizon 434
Sonchites 435
Stellatum 436
Hippentera 846
Hippolithus 542
Hippomanes 537
Hippoſorchides 755
Hirundinum Nidi 556
Holoſteum Caryophyllæum 308
Hordeum murinum 436
Hyacynthi orientalis radix 67
ſemen 172
tuberoſa radice flores 478
radix 68
Hyoſeris 308
Hypecoi ſemen 208
Hyppocheris 309
Hypericum Androſæmum 273
aſcyron 274
fœtidum 249
Hyſſopus Græcorum 236

I.

Iacobæa marina ſeu cineraria 309
Jasmini flores 478
Indicus color 507
Iva Moſchata 264
Junci ſemen 215
floridi radix 77
ſemen 216

K.

Kali 310

L.

Lablab ſemen 197
Labruſca 437

Laburnum 275
Lactuca marina 395
Lactucæ ſylveſtris herba 396
ſemen 189
odore viroſo herba 397
ſemen 189
Lamii Lutei herba 438
flores 483
Lamium ſylvaticum fœtidum 250
Lapathi acuti criſpi herba 397
radix 62
Lavandula multifida 229
Lauri Tini ſemen 159
Lentibularia 398
Leontopodium Candiæ 356
Lichen ſive Hepatica fontana 470
Lignum St. Luciæ 100
Liguſtici aquilegiæ folio ſemen 116
quorundam foliis Angelicæ radix 4
ſemen 117
Liliaſtri radix 78
Lilio aſphodeli flores 493
Lilio Narciſſi flores 494
radix 47
Limones 121
Limonii herba 438
ſemen 217
Linagoſtris 471
Linaria bellidis folio 312
Belvidere 313
Trifolia 257
Linum ſylveſtre 399
Lini arvenſis ſemen 198
Lithoſpermi nigri ſemen 155
Lolii ſemen 198
Lonchitis minor 473
Loti odoratæ herba 237
flores 480
Luffæ Arabum ſemen 200
Lunaria biſcutata 293
Botrytis 439
Lupini lutei ſemen 202
Luſciniæ Caro 803
Luteolæ ſtercus 636
Lutræ axungia 732
Lychnis coronaria 399
incana repens 275
Lycii ſemen 144
Cretici Alpini ſemen ib.
Lyncis ungues 666
Lyſimachiæ Chamænerii herba 401
radix 79
Lythophyton 440

M.

Madrepora 441
Mala Æthiopica 190
Malva criſpa 401
Marrubium aquaticum 442
Creticum 251
Martis Fimus 672
Maru Creticum 230
Marum Cortuſi ib.
Matricaria flore pleno 239
odorata 240

Me-

Medica 401
ſylveſtris 356
Melampyri lutei ſemen 133
Meliloti Ægyptiacæ Alchimelech ſemen 217
cujusdam Creticæ ſemen 208
Meliſſa Tragi 251
Melochiæ herba 402
ſemen 190
Mentha odore ocymi 240
ſpicata variegata 242
folio longiore nigriore 244
Mergi ſanguis 879
Merulæ ſtercus 637
Meſpili Aroniæ ſemen 218
Millefolium aquaticum pennatum 404
Millefolii nobilis Tragi flores 498
Milvi fel 526
Mollugo 443
Moly anguſtifolii radix 17
latifolii radix 18
Moly lutei radix 18
Morſus Ranæ 404
Moſchatellinæ radix 35
Motacillæ caro 807
Muli ungula 668
Muris montani axungia 735
Muſcari radix 53
Muſcarum capita 773
Muſcerda 550
Muſcus terreſtris & hortenſis 444
Muſcipula 357
Muſtelæ caro 808
piſcis ſpinæ 892
Mutellinæ radiz 3
Myagri, dicti Camelinæ ſemen 134

N.

Napi ſylveſtris ſemen 135
Naſturtium verrucoſum 294
Nerium alpinum glabrum 258
hirſutum 259
Nigellæ arvenſis ſemen 128
Creticæ odoratæ ſemen 146
Nigellaſtri herba 357
radix 85
ſemen 145
Nil Arabi ſemen 170
Noctuæ ſanguis 881

O.

Ocimaſtri ſemen 146
Odontitis lutea 445
Oenanthes ſucco viroſo cicutæ facie herba 329
radix 51
Apii folio radix 38
Oleaſtri herba 446
fructus 176
Onagra 445
Onobrychis 358
Ononidis luteæ non ſpinoſæ radix 8
Opuntiæ herba 405
fructus 182

Orchidis odoratæ radix 70
Orleanæ ſemen 129
Ornithogali ſpicati radix 80
vulgaris majoris & minoris radix 47
Ornithopodii herba 358
ſemen 156
Ornithopodium tuberoſum 447
Oſtryæ lignum 103
Oxalidis maximæ radix 39
Oxalis montana 276
ovina 277
Oxycedri Lignum 101
Oxycoccus herba 447
fructus 184

P.

Paliuri herba 448
fructus 185
radix 85
Panacis coſtini herba 314
radix 48
Pancratii Monſpeſſulani radix 22
Pandi Bavel herba 313
fructus 177
Papaveris ſpinoſi herba 406
ſemen 209
Papyrus 406
Paronychia 448
Parus 857
Paſſeris cerebrum 817
Paſtinacæ Echinophoræ Apulæ radix 4
Paſtinacæ Marinæ radix 5
Pavonis ſtercus 641
Papayæ ſemen 191
Pedicularis flore rubro & albo 449
Pelecini ſemen 147
Pentaphyllum flore rubro 449
Pepli ſemen 167
Peponis ſylveſtris ſemen 160
Perdicum pennæ 598
Periploca 330
Petaſitidis albi radix 9
Phalangii herba 450
flores 497
ſemen 173
Phalaridis ſemen 202
Phaſeoli Italici humilis ſeu minoris albi ſemen 201
Phaſiani adeps 685
Phillyrea 474
anguſtifoliæ herba 474
ſemen 148
latifoliæ ſemen 148
Phlomis 451
Phyllon Arrhegonon & Thelygonon 821
Pici oſſa 568
Pilulæ foliorum quercus 218
Pimpinellæ ſaxifragæ minoris herba 294
radix 25
Pinguicula 408
Piſi cordati ſemen 202
Platani herba 295
cortex 92
ſemen 219
Pneumonanthes flores 490
radix 49

Poly-

Polygoni Cocciferi Polonici radix 12
Polygonum Knauel 452
Poma Adami 131
Porcelli frumentarii caro 812
Porcinus lapis vulgo Pedra del Porco 594
Potamogeton 410
Poterii radix 75
Pſeudoaſphodeli flores 494
Pſeudodictamnus 252
Pulegium cervinum 243
Pyri Cervinæ Dioſpyri fructus 178

Q.

Quadrifolium 360
Quamoclit herba 361
ſemen 117
Quinquefolii albi radix 85
fragiferi herba 453
radix 86
ſemen 220

R.

Raphani aquatici radix 27
Ranunculus Æthiopicus 330
flammei majoris herba 331
radix 26
fluvitatilis hederaceus 331
tuberoſi radix 58
Rapiſtri herba 411
ſemen 136
albi ſemen ib.
Rapiſtrum Monoſpermon 295
Rapum geniſtæ 39
Roſmarinus ſtœchadis facie 259
ſylveſtris 243
minor 245
Rubiæ arboreſcentis radix 41
Rubia Cynanchica 277
Ruta ſylveſtris major 253
minor 254

S.

Sabdariffa 412
Sagitta 453
Salicornia 314
Salvia ſylveſtris 284
Samolus 315
Sanamundæ glabræ ſemen 163
Sanamunda Kali foliis 332
Sambuci aquaticæ cortex 93
flores 481
ſemen 171
racemoſæ rubræ ſemen 192
Sapindi ſemen 149
Satureja montana 231
Saxifraga Anglorum 260
Saxifragæ Matthioli herba 278
radix 41
Scabioſæ arboreſcentis herba 474
flores 490
minor 454
Scammoneæ Creticæ radix 4
Monſpeliacæ ſuccus 500
Scandix Italica 254
Scarabæi cornuti cornua 519

Scarabæus ſtercorum 606
Scirpi radix 87
Sciuri caro 814
Scordotis 285
Scorodopraſi herba 286
radix 19
Scorpioidis herba 316
ſemen 136
Sedum Africanum foliis orbiculatis 413
Minus 413
teres 414
ſerratum 415
Tridactylites tectorum 416
Serpentum Coronæ 832
exuviæ 835
Serratulæ herba 455
radix 32
Seſamoides parvum Dalechampii 332
Seſeli Æthiopici ſemen 118
Simaroubæ Cortex 95
Siſon ſ. officinarum Amomum 119
Siſyrinchii radix 70
Smyrnii Cretici ſemen 119
Solani Spinoſi arboreſcentis Promontorii bonæ ſpei radix 54
ſemen 210
Solanum verticillatum 416
Sophiæ Chirurgorum herba 455
ſemen 220
Sorbi Alpinæ ſemen 221
Sparganii radix 88
Spartii flores 491
ſemen 168
Spatulæ fœtidæ radix 10
Spergulæ ſemen 168
Spinæ luteæ radix 36
ſolſtitialis flores 491
radix 28
Spinachiæ fragiferæ ſemen 156
Spiræa 455
Split herba 296
radix 63
Spongia 456
Statice 459
Stœbes ſalmanticæ herba 316
ſemen 159
Stœchadis folio ſerrato flores 498
Neapolitanæ flores 481
radix 50
Sturni ſtercus 649
Symphyti tuberoſi radix 76

T.

Thalictrum Canadenſe 260
Talpæ ſanguis 885
Tanacetum criſpum 255
Tartonaire Maſſilienſium 333
Tatariæ Hungaricæ radix 76
Taxi axungia 738
Terracrepola 475
Teſticuli Hircini radix 71
Thapſiæ Salmanticenſis radix 61
Thlaſpi Cretici ſemen 137
latioris ſemen 138
Thora major 334
Thymalli axungia 742
Thymelææ Monſpeliacæ herba 339
radix 61
ſemen 164

Thy-

Thymus indorus 460
Thyſſelini herba 256
radix 16
Tithymali arboreæ ſuccus 501
Characiæ herba 336
radix 58
maritimi purpuraſcentibus floribus, radix 59
Myrſinites 337
non acris radix 60
ſoliſequus 337
Tordylii radix 16
ſemen 120
Tormentillæ alpinæ radix 89
Torna ſolis 504
Tragoriganum Creticum 231
Tragum 361
Tribuli terreſtris herba 460
ſemen 157
Trifolii bituminoſi herba 461
ſemen 210
Trifolium corniculatum 475
Tripolii radix 41
Trollius flos 338
Truttæ axungia 744
Tuberaria 462
Tubularia ib.
Turdi ſtercus 652
Turturis adeps 687

V.

Valeriana Græca 278
Verbaſculi ſalvifolii herba 463
flores 483
Verbena ſupina 463
Verbeſina 279
Vermicularis 417
Veronica fœmina 280
ſaxatilis ibid.
Veſpertilionis ſanguis 888
Viola aquatica 419
Violæ Lunariæ ſemen 138
Vitis Idææ fructu rubro herba 464
ſemen 222
magnæ herba 464
fructus 179
Urſi axungia 746
Uvæ Quercinæ radix 90
Marinæ ſemen 223
Urſi ſemen 224

X.

Xeranthemum ſ. Ptarmica 464
Xiphii radix 72

BENEVOLO LECTORI illud adhuc ſignificandum eſſe e rejudicavimus, quod ob Nundinas Francofurtenſes imminentes, & nimiam voluminis molem, coacti fuerimus, pro hac vice quoque omittere expoſitionem partis animalis oleoſo craſſo conſtantes, nempe *pellis Putoriæ*, & partium animalium terreis conſtantium cum pauco ſale volatili, *Carnis Halecis*, *Coccionellæ*, *Conchæ*, *Lapidis de Cobra*, *Cineris Ruſticulæ*, *Lapidis Manati*, & *Telarum aranearum*: ſpondemus tamen, ut ſupra jam in præfatione promiſimus, ea omnia, ut & partem tertiam, cum jam præſto ſint, quamprimum fieri poterit, in lucem nos eſſe edituros.

FINIS